
UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00912706 9

C. SALLUSTI CRISPI

HISTORIARUM RELIQUIAE.

EDIDIT

BERTOLDUS MAURENBRECHER.

FASCICULUS I.

PROLEGOMENA.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCXCI.



LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

PARENTIBUS CARISSIMIS

DIEM XVII MENSIS MAII ANNO H. S. NONAGENSIMO PRIMO,

NUPTIARUM VICENSIMO QUINTO

FESTUM AGENTIBUS

SACRUM.

Caput I

De Sallustii Historiis

C. Sallustius Crispus maiore aetatis parte improbe peracta ad res scribendas se contulit et quo turpior in vita fuerat ganeo lurcoque, eo acerbior in scriptis exstitit morum censor. Neque vero partes, quas adhuc secutus erat, deseruit, immo vero Caesare etiam mortuo id egit, ut et in coniuratione Catilinaria enarranda popularium factionem omni purgaret perduellionis crimine et in libro de Iugurthino bello conscripto optimatium inertiam, stoliditatem, corruptionem quam maxime urgeret. Quo in libro componendo de ampliore opere nondum cogitaverat[1]; sed brevi post[2] ad historiarum libros quinque exarandos accessisse videtur, quibus celeberrima Sisennae Posidoniique opera continuare studuit. Nimirum id nunc sibi enarrandum sumpsit temporis spatium, quo invehendi in optimates idonea sibi data esset occasio, scilicet res gestas populi Romani a Sullae morte usque ad Pompeii dominationem. Enixe autem in historiis operam dedit, ut semper doceret, quam corrupta infirmaque fuisset tunc optimatium dominatio per Sullam restituta quantaque severitate popularium partes ab illis oppressae essent, praeterea ut demonstraret, Pompeium minime fuisse dignum (sicut postea fuit Caesar), cui uni tota res publica mandaretur. In factione igitur Licinium Macrum, in genere dicendi Catonem aemulatus est. Attamen insequenti saeculo haud tanta cum laude opera Sallustii lectitata sunt, quanta nobis quidem digna esse videntur. Praecipue genus sermonis breve concisumque ac iusto antiquius graviter statim

1) Cf. Iug. 95, 2 et Kritz prolegom. p. 14.

2) Non ante annum 39 historias componi coeptas esse ex gravi M. Antonii vituperatione (cf. fr. III 54 et 55 D) iure conclusit Linker.

vituperatum est, sicut antiquo illo epigrammate apud Quintil. VIII 3, 28 servato:

'Et verba antiqui multum furate Catonis,
Crispe, Iugurthinae conditor historiae',

quod nescio an Lenaeo, Pompeii liberto attribuam.[1]) Simul Asinius Polio librum composuit, 'quo Sallusti scripta reprehendit ut nimia priscorum verborum affectatione oblita'[2]); simile de Sallustio iudicium tulerunt Caesar Augustus[3]), Livius[4]), Seneca[5]). Orationes vero a Sallustio operibus addita reprehendit Pompeius Trogus.[6]) Viden, quanta aspernatione illius aevi homines docti Sallustium repudiaverint! Quocum convenit quod Plinius[7]) numquam eo usus est auctore. Contra alii exstiterunt, qui Sallustium imitarentur, sicut ridicule Arruntius ac modestius Velleius Paterculus, paulloque postea Curtius Rufus[8]): etiam Seneca rhetor historica Sallustii opera non aspernatus est.[9]) Sed magis magisque ab exeunte primo p. Chr. n. saeculo admirati sunt Romani Sallustium, iamque scribere ausi sunt Martialis[10]):

'Hic erit ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romana Crispus in historia',

et Cornelius Tacitus[11]): 'Sallustius, rerum Romanarum florentissimus auctor'. Aemilius Asper[12]) in libros Sallustii, imprimis in historias, iisdem fere temporibus commentarium

---

1) Cf. Suet. de gramm. 15.

2) Suet. de gramm. 10; cf. Gell. X 26.

3) Suet. August. 86.

4) Seneca contr. IX 1, 14; adde quod Livius non ita saepe historiis fonte usus est.

5) Epist. XIX 5, 17 sq.

6) Iustin. XXXVIII 3.

7) Cf. auctorum indices, quibus numquam Sallustius nominatus est.

8) Cf. Wiedemann in Philol. XXXI p. 756.

9) Contr. III pr. 8; cf. Ribbeck in Mus. Rhen. XLVI p. 333.

10) XIV 191 in epigrammate anno 84 vel 85 edito.

11) Ann. III 30; de Taciti studiis Sallustianis conferas Wölfflin in Philol. XXVI p. 122.

12) Nuperrime vero Lämmerhirt, „de priscorum scriptorum locis a Servio allatis“ (diss. Jen. 1890) Aemilii Asperi aetatem fini secundi saeculi tertiive initio adscripsit. Equidem quaestionem difficillimam diiudicare non audeo.

edidit et M. Valerius Probus grammaticus Sallustianum dicendi genus discipulis interpretatus est.[1]) Mox Hadrianus Caesar magnopere Sallustium adamavit[2]), etiam magis Fronto eiusque sectatores. Eidem aetati attribuendus esse videtur Zenobius quidam qui opera Sallustiana in Graecum transtulit[3]), eadem excerptae collectaeque sunt orationes atque epistulae, quas complures libri manuscripti adhuc exhibent. Sermonem vero Sallustianum post Tacitum plerique etiam tertii quartique p. Chr. n. saeculi scriptores sedulo studio atque labore imitati sunt.[4]) Solus mediocre prudensque in communi horum admiratione sibi servavit iudicium Quintilianus[5]); digna quoque quae cognoscatur Grani Liciniani mira de Sallustio sententia est[6]): 'Sallusti opus nobis occurrit, sed nos ut instituimus, moras et non urgentia omittemus. Nam Sallustium non ut histori⟨cum⟩[7]) aiunt, sed ut oratorem legendum. Nam et temp⟨ora⟩ reprehendit sua e⟨t de⟩licta carpit et cont⟨iones⟩[8]) inserit[9]) et dat in ce⟨nsum⟩ loca, montes, flum⟨ina⟩ et hoc genus amo⟨ena⟩ et culta[10]), et compa⟨rat⟩ disserendo.' Sed inde ab exeunte quarto p. Chr. n. saeculo Sallustii historiae quippe quae quinque libris conscriptae essent, paullatim legi desierunt, etsi minoribus eiusdem operibus etiamtunc homines studuerunt. Ausonius quidem praeter coniurationem Catilinariam etiam integrum historiarum exemplar possedit legitque, sicut ipse testatur XIII 2. 61:

'Iam facinus, Catilina, tuum Lepidique tumultum,
Ab Lepido et Catulo iam res et tempora Romae

---

1) Gell. I 15. III 1.

2) Spart. Hadr. 16.

3) Cf. Suid. s. v. Ζηνόβιος.

4) Wölfflin in Mus. Rhen. XXIX p. 285, Pratje, „quaestiones Sallustianae“ (diss. Gotting. 1874) p. 28 sq.; Vogel in actis sem. Erlang. I (1878) p. 313, II (1881) p. 405; Opitz in annal. phil. 1883 p. 217; Klebs in Mus. Rhen. XLIII p. 330.

5) Inst. II 5, 19; IV 2, 45; X 1, 32; ibid. 101 ss.

6) p. 42 A 18 ss. (ed. Bonn.).

7) 'historica (historici??) sunt' cod., 'historicum scribunt' Bonn.

8) 'convitia' Bonn., melius supplevit Madvig.

9) 'ingerit' cod., corr. Francken.

10) 'cultae' cod., corr. Keil; 'culpat' Bonn.

Orsus bis senos seriem conecto per annos;
Iam lego civili mixtum Mavorte duellum,
Movit quod socio Sertorius exul Hibero.'

Et Aurelius Victor, Septimius, Sulpicius Severus, quin Ammianus Marcellinus[1]), etsi homo Graecus, non solum minores istos libros norant, sed historias quoque diligenter adhibuerunt variosque sermonis flosculos ex iis decerpserunt. Verumtamen Avienus[2]) utrum totam historiarum molem perlegerit an 'Situm Ponticum' seorsus editum, deinde Hieronymus ipsumne adhibuerit Sallustium an grammaticis quibusdam debuerit locos ex historiis allatos sane dubitari potest. Postremus, quoad nos scimus, totas Sallustii historias legit Augustinus, qui libro 'de civitate Dei' circa annum 425 edito longiora exhibet historiarum fragmenta. Iisdem fortasse temporibus attribuendum erit Iulii Exuperantii 'de bello civili opusculum' ex Sallustii bello Iugurthino atque primo historiarum libro excerptum.

Medio igitur quinto p. Chr. n. saeculo etsi plane doctorum hominum curae excidisse videntur historiae, tamen permulta exstant earum fragmenta, quorum pleraque grammaticorum latinorum studio debemus, qui Sallustii genus dicendi Sallustianasque voces observabant, laudabant, aequalibus ad imitandum proponebant vel priscae latinitatis usum allatis ex eo exemplis confirmabant. Primos docte de Sallustio egisse Aemilium Asperum et Valerium Probum supra iam commemoravi. Saepissime deinde Aulus Gellius, vir haud ineruditus, enuntiata verbave ex historiis laudat; postea tertii saeculi grammaticus exstitit Sallustii studiosus Nonius Marcellus, praeter hunc nonnulla quaedam habent Porphyrio, Horatii interpres, ac Sacerdos. Quarto quintoque p. Chr. n. saeculo magna grammaticorum qui historias citaverunt nobis praesto est cohors; ex quibus Aelium

---

1) De Sulpicio ac Septimio cf. Pratje, de Aurelio Opitz et Wölfflin l. l.; de Ammiano lege Hertz, „de Ammiani Marcellini studiis Sallustianis" (progr. 1874) et Wirz in Philol. XXXVI p. 627.

2) Avien. de ora. marit. IV 32:

'Interrogasti, si tenes, Maeotici
Situs quis esset aequoris: Sallustium
Noram id dedisse, dicta et eius omnibus
Praeiudicatae auctoritatis ducier
Non abnuebam.'

Donatum (et in Terentianis commentariis et in arte grammatica), Marium Victorinum, Rufinianum, Arusianum Messum, Servium[1]) ipsas etiam historias vidisse forsitan concedamus; sed plerosque, sicut Charisium Diomedemque, artium scriptores, Claudium Donatum, Vergilii interpretem, auctorem institutionum, quae Probi nomine falso inscriptae sunt, Macrobium, Martianum Capellam, scholiorum et ad Statii Thebaidem et ad Iuvenalis satiras auctores ex iis primi secundive saeculi grammaticis, quibus omnem fere doctrinam debent, etiam Sallustii verba laudata sumpsisse nemo erit quin mecum contendat. Quae si ita sunt, etiam posteriores grammaticos, Cledonium, Pompeium, Consentium, Phocam, Philargyrium, Priscianum[2]), Eutychem, scholiastas commentatoremque in Lucani Pharsalica ipsas non inspexisse historias per se patet. Septimi saeculi grammaticus doctissimus fuit Isidorus, qui saepissime laudat Sallustii verba; sed hunc plerosque illos locos e Servio[3]) prompsisse equidem existimaverim.

Discimus igitur etiam 'doctorum corda virorum' quarto ineunteque quinto saeculo historiarum plane fere oblita esse; omnino autem tunc ipsa scriptorum opera evolvere supersederunt homines barbari: itaque perierunt una cum Sallustii historiis plurimi tum Livii, Varronis aliorum libri. — Unus tamen etiam historiarum codex paullo diutius supererat, saeculo quarto vel quinto exaratus, sicut Hauler[4]) ex scriptura reque orthographica fragmentorum iure conclusisse mihi videtur; sed etiam hic nono fere saeculo a dementi quodam monacho dilaceratus est singulaque eius folia denuo rescripta sunt. Cuius libri complures particulae quamvis lacerae, gravissimo tamen momento, partim pridem iam repertae (fragmenta quae

1) Sed hunc multos, nisi forte omnes locos, quos e Sallustio affert, ex Asperi commentariis hausisse equidem non negaverim, cf. Teuffel [5] p. 1100.

2) Idem de Prisciano satis iam demonstravit Vogel in act. sem. Erlang. II p. 429.

3) Neque Servium neque Isidorum ipsas cognovisse historias suo iure contendit Vogel p. 428.

4) Stud. Vindob. VIII p. 321. Omnia historiarum fragmenta, quae aetatem tulerunt, unius libri manuscripti lacinia esse comprobavit P. Krüger in „Sall. op. ed. H. Jordan [3]" (1887) p. 133/34 adn.

dicuntur Berolinense et Vaticanum), partim nuperrime e codice Aurelianensi excussae sunt nobisque totius operis Sallustiani reciperandi magnum moverunt desiderium.

Sed antequam ad restituendarum historiarum aggrediamur conatum, circumspiciendum est, et quid adhuc viri docti de iis praestiterint et quid nobis relictum sit ut faciamus.

Primus Sallustii historiarum reliquias collegit Ludovicus Carrio 1574; deinde G. Corte[1]) 1724 primus eas ordine quodam historico disposuit. Novam optimamque ad restituendas historias viam ingressus est de Brossius[2]), qui quo erat ingenio splendidissimo, non fragmenta tantum Sallustii sed omnem materiem, quae historiis narrata erat, colligere ac disponere intermixtis Sallustii quae servata sunt verbis sibi proposuit. Attamen consilium optime excogitatum exsequi nequiit, quippe qui arte critica diligentiaque philologica plane careret. Tantum vero valuit ingenii Francogallici vis, ut qui postea historiarum fragmenta edidit, Fr. Dorotheus Gerlach praeter Cortium plerumque de Brossium sit secutus; pauca autem quae ipse e suo addidit nullius fere fuerunt fructus. Itaque Fridericus Kritz[3]) Brossii ratione plane abiecta ante omnia id studuit, ut quam accuratissime singula fragmenta explicaret, emendaret, ad rem certam referret, deinde ut ordine suo ea disponeret. Quod propositum ita fere assecutus est, ut et in rebus et in verbis constituendis pauca corrigenda vel addenda relinqueret. Qui postremo historias edidit, Rudolphus Dietsch[4]), Kritzii sectator, etsi non sine fructu aliquo ad Sallustium accessisse videtur, tamen magno huic muneri minime erat par. Praeterea de historiarum reliquiis optime meriti sunt Kreyssig[5]), qui frag-

1) Ex recensione Cortii saepius fragmenta edebantur, sicut a Paschalio 1737, Haverkamp 1742, Foulis 1749, 1777², aliis.

2) Charles de Brosses, „histoire de la république Romaine dans le cours de VII^e siècle par Salluste“ 1777, quem librum Teutonice edidit Schlüter 1810/21.

3) Kritz, „de C. Sallusti Crispi fragmentis a C. Debrossio in ordinem digestis rerumque gestarum contexta narratione illustratis“ 1829. „Sallusti opera“ vol. III, 1853. 1856².

4) R. Dietsch, „Sallusti quae supersunt“ vol. II, 1859.

5) „Commentatio de Sallusti libri III fragmentis“ 1835². „Epistula ad Fr. Kritzium de Sallusti hist. lib. II reliquiis“ 1852.

menta codicibus servata sagaciter interpretatus est, G. Linker[1]) de primo praecipue historiarum libro bene commentatus, Wölfflin, qui cum alibi, tum in editionis Dietschianae recensione[2]) de multis docte disputavit, Hauler, qui nuper nova Aurelianensia fragmenta et legit ediditque et acutissime interpretatus est, denique quem iam totius operis restituendi negotium subiturum vehementer speravimus, Henricus Jordanus. Qui de ceteris Sallustii scriptis iamdudum optime meritus postquam etiam de rebus in historiis narratis ac de earum fragmentis docte disseruit[3]), iam in eo erat ut ad novam historiarum editionem accederet, cum praematura flebilique nuper morte nobis ereptus est.

Nunc quidem si historias restituere studebimus, admonendum erit, ne fragmenta tantum colligamus atque in ordinem redigamus, sed ut omnem Sallustii memoriam apud posteros scriptores reconditam investigemus ac congeramus. Hanc reciperandi Sallustii viam praeivit de Brossius, hanc ostendunt Scaliger Eusebio, Suetonio Reifferscheid restitutis, hanc etiam Wilamowitz in animo habuisse videtur, cum diceret[4]): „Wenn man erst den Ephoros und Timaeos, Apollodoros περὶ θεῶν, Aristophanes λέξεις, die Historien des Sallust, die Antiquitäten des Varro in dieser Weise inhaltlich rekonstruiert, dann wird ein neues Leben in die Arbeit kommen, wird manches Gespenst gescheucht sein und die Ziele höher gesteckt werden, die Kenntnis in die Tiefen der antiken Wissenschaft dringen können.“ Quare primum disceptemus, quae res quo temporum ordine annis 78—66 domi militiaeque gestae sint, deinde quomodo Sallustius eas enarraverit. Quo circa in omnes qui de his annis egerunt scriptores inquirendum est, quibus fontibus usi sint, tum ii eorum loci, qui e Sallustio excerpti videntur, colligendi et disponendi sunt. Quo facto huic historiarum Sallustianarum imagini breviarioque intermiscenda sunt ipsius verba, quae nomine laudato a grammatico scriptoreve

---

1) Linker, „historiarum prooemium e reliquiis restituere tentavit“ (diss. Marburg. 1850), deinde in „Sitzungsber. d. Wien. Akad.“ 1854 (XIII).

2) Philol. XVII (1861) p. 519.

3) Herm. V p. 396, XIV p. 634, ind. lect. Regim. in aest 1887.

4) „Antigonos von Karystios“ (1881) p. 5.

servata sunt. Sed haec nunc quidem mittam; illas quaestiones iam tractabo, ut quasi fundamenta futurae iaciam editionis.

Ac primum quidem quaerendum est, quasnam omnino res Sallustii historiae continuerint. Sed hac de re iam egit Kritz, qui demonstravit[1]) initium enarrandi fecisse Sallustium ab anno 78[2]), cum autem 'bis senos per annos' res Romanas eum tractasse sciamus[3]), porrexisse historias usque ad annum a. Chr. n. 66. Atque idem e fragmentis elucere iamdudum constat. — Iam videamus quae subsidia nobis usui esse possint! Atque res duodecim illis annis gestas plerasque iam ita constituerunt magni rerum scriptores nostri Drumann, Mommsen, Neumann, ut historicas illas quaestiones raro tantum tractare nos oporteat. De annorum 78—71 rebus praeterea egit Schlimmer.[4]) — Deinde de scriptorum fontibus permulta iam disputaverunt viri docti; quare priusquam singula curemus, circumspiciendum erit, quae de scriptoribus qui de annis duodecim memoriae quidpiam tradiderunt, sententiae adhuc prolatae atque quae comprobandae sint.

Ac de Appiani quidem fontibus, postquam diu frustraque a viris doctis disputatum est[5]), nuperrime id quod unum

---

1) Proleg. p. 18.

2) Cf. fr. I 1. D 'Res populi Romani M. Lepido Q. Catulo consusulibus ac deinde militiae et domi gestas composui.'

3) Cf. Auson. l. l. Utrum vero historiae a Sallustio confectae sint an narrationem etiam longius contexere initio in animo ille habuerit, infra disquiretur.

4) „Historiae rerum gestarum quas in deperditis historiarum libris explicuit Sallustius", dissertatio (Traiect. 1860) non sine labore, mira cum stupiditate composita.

5) Velut *Μιθριδατικὰ* e Livio excerpta esse contenderunt Jordan, „de fontibus Appiani in bellis Mithridaticis enarrandis" (diss. Gotting. 1872) et Lauer, „de scriptoribus belli Mithridatici tertii" (progr. Wetzlar. 1871); idem de *ἐμφυλίων* libro primo affirmaverat Klebs, „de scriptoribus aetatis Sullanae" (diss. Berolin. 1876) et Kuyper, „de fontibus Plutarchi et Appiani in vita Sullae." Iam antea Posidonio una cum Livio attribuerat hunc librum Wijnne, „de fide et auctoritate Appiani" (1855) p. 10. Adversus hos priora bella Mithridatica e Posidonio, tertium e Theophane Mytilenaeo, bellorum civilium autem librum I e Posidonio vel Strabone fluxisse sumpserat Arnold in ann. phil. suppl. XIII (1884) p. 79 sq.. In reliquis bellorum civilium libris Graecum auctorem sta-

rectum est, demonstravit Otto[1]), et totum de bellis Mithridaticis librum et plerasque ἐμφυλίων partes excerpta esse e Strabonis hypomnematis; simul etiam Vogel[2]) ubicumque eodem auctore Graeco usi essent Appianus Plutarchusque, hunc Strabonem esse viderat. De primo ἐμφυλίων libro dubitat Otto, sed recte Arnoldium ac Vogelium docuisse arbitror, Posidonii aliorumque scriptorum memoriam usque ad I c. 106 Appiano per Strabonem praebitam esse; splendidam autem et amplam Sullae sepulturam splendidum Posidonio operis finem dedisse non est cur negemus. Sed plane diversum est enarrationis Appianeae genus inde a capite 107 (i. e. inde ab anno 78), a quo usque ad lib. II c. 7 Sallustio eum usum esse fonte contendo. Etenim in secundi libri de Catilinaria coniuratione parte Sallustii narrationem cum alterius auctoris conglutinatam esse constat[3]); in primi quoque libri fine Sallustium semper fere excerptum esse quamvis negantibus Wijnnio et Arnoldio infra demonstrare studebo. — Ipsius Strabonis magnum illud doctumque opus ἱστορικὰ ὑπομνήματα nuperrime Otto ex oblivionis tenebris ereptum restituit; sed quosnam habuerit auctores Strabo, difficillimum diiudicatu est, quoniam ille, qua erat doctrina ac diligentia permultos diversissimosque rerum scriptores legere et in usum suum excerpere solebat. — Plutarchus hanc aetatem in Sullae, Pompeii, Sertori, Crassi, Luculli vitis enarravit, quarum maxima pars e Sallustio hausta esse Petero[4]) visa est. Quam sententiam etsi minime falsam,

---

tuendum esse Appiano Plutarchoque communem Thouret in stud. Lips. I p. 333 sq. intellexerat, hunc autem Strabonem esse iam Judeich, „Caesar im Orient“ (1885) p. 46 coniecerat.

1) Stud. Lips. XI suppl. (1889). Ceterum data occasione non possum, quin Ottoni, viro illustrissimo maximas agam gratias. Qui non solum libro suo praeclarissimo et me et omnes nostrae disciplinae studiosos amicosque magno affecit beneficio, sed qua est doctrina, comitate humanitateque, me quoque saepius e profunda scientiarum copia donavit et hac in dissertatiuncula adiuvit.

2) „Quaestiones Plutarcheae“ (diss. Marburg. 1889).

3) Wijnne l. l. p. 41; Wiedemann in Philol. XXI p. 473; Dübi in ann. phil. 1876 p. 866; Schliephake, „griechische Quellen zur catilinarischen Verschwörung“ (progr. Goslar. 1877); Buresch in „comment. Ribbeck.“ p. 217.

4) „Quellen Plutarchs in den Biographieen der Römer“ 1865.

tamen in singulis quibusdam rebus corrigendam esse vel ex iis, quae Otto exposuit, efficitur. Sed de singulis singularum vitarum particulis infra disputabimus. — Zonaras X p. 474 sq. omnia quae his de annis profert, ex Plutarchi vita Pompeiana sumpsit; quae cum servata sit, Zonaram porro ne curemus.

Livianam memoriam praebent imprimis Orosius, periochae, Eutropius, praeterea etiam Cassiodorius et Augustinus. Quos non ipsum inspexisse Livium, sed epitome quadam e Livio aliis auctoribus adhibitis excerpta usos esse, postquam alii iam coniecerunt[1]), accurate evicit Zangemeister[2]); id unum addiderim, etiam Ammianum Marcellinum, Servium, scholiorum commentorumque in Lucanum auctores omnia fere, quae de liberae rei publicae temporibus narrant, ex epitome illa Liviana hausisse. — S. Rufum (vel Rufium) Festum 'breviarii' sui capitibus 3—14, quae de bellis in provinciis Romanis gestis refert, non ex Eutropio, sed ex Livio excerpsisse (potius ex epitome) Iacobi[3]) docuit. Qui cum Florum a Festo adhibitum esse plane negaret, Flori permulta in eo apparere vestigia iure ostenderunt Spengel[4]) et Eussner.[5]) Quare et epitomen Livianam et Florum Festi de rebus historicis fontes fuisse nunc constare mihi videtur.

Florum praecipue e Livio hausisse, alios autem interdum scriptores respexisse atque cum Livio contaminasse U. Köhler[6]) et Heyn[7]) exposuerunt, quibuscum equidem consentio. Quos inter scriptores certo Caesaris bellum Gallicum[8]), Sallustii tria opera[9]), Lucani Pharsalica[10]) fuerunt. O. Rossbach vero[11]) nu-

---

1) Sicut Thouret in annal. phil. suppl. XI p. 179.

2) „Festschr. z. 36. (Karlsruher) Philologenversammlg." (1882) p. 89 sq.

3) „De Festi breviarii fontibus" (diss. Bonn. 1874).

4) „Abhandl. d. Bair. Akademie" 1860 p. 348.

5) Philol. XXXVII p. 154.

6) „Qua ratione T. Livii annalibus usi sint historici latini atque Graeci" (diss. Gotting. 1860) p. 23 sq.

7) „De Floro historico" (diss. Bonn. 1866) p. 36 sq.

8) Heyn p. 52.

9) Iugurthinum quidem bellum usurpatum esse negat Jacobi, p. 35 adn.

10) Eussner in Philol. XXXVII p. 137; Westerburg in Mus. Rhen. XXXVII p. 35; sed cf. Judeich p. 11.

11) „Bresl. philol. Abhandl." II (1888) p. 164.

perrime contendit et Livii et Lucani memoriam Florum in utroque operis libro unico fonti suo, Senecae patri debere: contendit scilicet, neque vero accuratius demonstrare conatus est. Concedamus quidem ei, etiam Senecae librum Florum legisse; sed quin ceteros illos scriptores, praecipue Sallustium legerit atque usurparit, procul dubio est. — Libellus 'de viris illustribus', qui Aurelio Victori falso attribuebatur, Köhlero[1]) maxime e Livio excerptus esse, sed aliis adhibitis auctoribus visus est. Postea ad annalium scriptores illum redire existimarunt, statueruntque Mommsen[2]) Valerium Antiatem, Calpurnium Pisonem Aldenhoven.[3]) Sed rectius iam antea biographicum potius scriptorem cum auctoris 'de viris illustribus' tum Ampelii libri memorialis fontem esse arbitratus Wölfflin[4]) Hyginum nominaverat, cuius fere ad sententiam recurrens Mommsen[5]) Cornelium Nepotem praetulit. Difficillimam hanc quaestionem bene solvit H. Haupt[6]), qui vitarum scriptorem fontem statuendum esse Ampelio et huic auctori communem, eum autem esse Cornelium Nepotem, praeterea et multa singula et complures vitas e Livio (fortasse melius epitomen illam Livianam nominaret) sumpta esse acutissime ostendit. Hoc unum contra Hauptium defendam Florum quoque persaepe et ab Ampelio et ab Pseudo-Aurelio in exornandis rebus adhibitum esse.[7])

Velleium Paterculum non ad ipsos annalium scriptores recurrisse per se patet. Primi autem libri cap. 1—9 e Cornelii Nepotis chronicis fluxisse Sauppium[8]) secuti omnes consentiunt;

---

1) ll. p. 41.

2) Hermes I p. 168.

3) Herm. V p. 150.

4) „De Lucii Ampelii libro memoriali“ (diss. Gotting. 1854) p. 40.

5) Epistula quadam ad H. Jordanum scripta, cf. Herm. VI p. 207.

6) „De auctore de viris illustribus quaestiones historicae“ (diss. Herbopol. 1876).

7) Cf. Wölfflin p. 42; U. Köhler p. 41; Spengel p. 348; Rosenhauer, „de fontibus libri de viris illustribus“ 1882; Lucani autem vestigia dinosci iniuria statuit Westerburg l. l. p. 49. — Ceterum etiam Cornelium ab Ampelio lectum atque in exterorum hominum vitis usurpatum esse ipse evicit Wölfflin l. l. p. 32.

8) „Schweizer Museum“ I (1837) p. 145.

de liberae rei publicae temporibus Velleium Livio, Trogo Pompeio, Attico usum esse, praeter hos legisse Ciceronem Sallustiumque plerique putant.[1]) Contra Kaiser[2]) Livium et Trogum auctores Velleii fuisse omnino negavit ac sagacissime e rebus chronologicis conclusit, eum usque ac lib. II c. 48 Atticum secutum esse ducem, qui secundum Varronis quae dicitur aeram numerabat, inde vero a II 49 Catonis uti Velleium aera. Meo quidem iudicio et in genealogiis et in chronologia et aliis fortasse in rebus Attici annales Velleio certo usui fuerunt, sed etiam e Livio permulta eum hausisse in enarrandis singulis rebus satis docuisse mihi videntur U. Köhler et Klebs.[3])

Exemplorum collectores duo, Valerius Maximus et Frontinus haud pauca ex eo de quo agimus temporis spatio memoriae tradiderunt. Ac Valerius Maximus[4]) primarios fontes habuit Ciceronem et Livium, praeterea usus est Sallustio, Trogo, fortasse etiam Varrone, Caesare, Cornelio Nepote. Reliquos scriptores non ipse legisse Valerius, sed e collectaneis, sui ipsius collectioni similibus (sicut Pomponii Rufi) cognovisse videtur.[5]) — Frontinus quos habuerit in singulis exemplis auctores nondum satis inquisitum est; sed primarium inter eos obtinuisse locum Livium, Trogum, Sallustium, atque praeter hos etiam exemplorum collectiones in usum suum vertisse Frontinum consentitur.[6]) Bludau quidem omnia fere his de

1) Pernices, „de Velleii Paterculi fide historica" (1862) p. 11; U. Köhler p. 11, alii. — Atticum inepte repudiat De Oppen, „de Velleio Paterculo" (diss. Rostoch. 1875).

2) „De fontibus Velleii Paterculi" (diss. Berolin. 1884).

3) Köhler p. 11; Klebs p. 5.

4) Kempf in editionis (1854) praef. p. 17 sq.; U. Köhler l. l.; Elschner, „quaestiones Valerianae" (diss. 1864) p. 32; Zschech, „de Cicerone et Livio Valerii Maximi fontibus" (diss. Berolin. 1865); Kriegeri dissertatio, „quibus fontibus Valerius Maximus usus sit" (1888) mihi praesto non fuit.

5) Dirksen in „Abhandl. d. Berl. Akad." 1845 III p. 124. Kempf, Elschner l. l.

6) Wölfflin in Herm. IX p. 82; Bludau, „de fontibus Frontini" (diss. 1883); Gundermann in ann. phil. suppl. XVI (1888) p. 318; Fritze, „de Iuli Frontini strategematon libro quarto" (diss. Hallens. 1888).

annis exempla ad Sallustium referenda censet, quod quam leviter factum sit infra edocebitur. — Quarti Frontiniani libri auctorem paucissimos adiisse scriptores neque Sallustium quidem legisse recte disputavit Wölfflin. — Plinii auctores quippe qui ab ipso scriptore indicibus nominati sint, haud difficile persaepe est discernere; praeclarissime enim Brunn[1]) demonstravit, Plinium eodem ordine quo in componendis libris usus sit, auctores in indices retulisse. Qua lege postea cum de singulis exemplis disseremus utemur; Sallustii vero nomen nullius exhibet libri index. — Asconii in Ciceronis orationes commentarios optimis niti fontibus, sicut Ciceronis orationibus epistulisque, Livio, Sallustio, Fenestella, Attico, actis, constat; hac autem de aetate Asconium plerumque ad Sallustium redire iure Wilmans[2]) autumavit, bene Lichtenfeldt[3]) demonstravit. Eandem fere atque Asconius doctrinam scholiasta Bobiensis exhibet, qui non multo post illum vixisse videtur.[4]) Sed talibus commentariis usi sunt auctores scholiorum quae dicuntur Ps.-Asconii et Gronoviana; qui certe iisdem fontibus suis debent locos Sallustii aliorumve scriptorum saepius laudatorum.

Exuperantii de bellis civilibus libellum plane e Sallustio expressum Sallustianique sermonis particulis ab ineruditissimo quodam homine conglutinatum esse, quod iam pridem quidam coniecerant, C. Bursian[5]) luculentissime comprobavit. De Diodori denique, Cassii Dionis, Memnonis, Grani Liciniani fontibus infra dicetur.

Sed haec hactenus: iam postquam generatim atque universe quid de scriptorum fontibus cogitandum sit, exposuimus, de singulorum auctorum singulis partibus earumque de fontibus disserendum est, ut repperiamus, qui posteriorum scriptorum loci e Sallusti historiis hausti sint; quibus in quaestionibus hunc sequar ordinem, ut primum agam de maioribus quae tunc fuerunt bellis, de seditione Lepidi, bello Sertoriano,

---

1) „De auctorum indicibus Plinianis“ (progr. Bonn. 1856).

2) „De fontibus et auctoritate Dionis Cassii“ (diss. Berolin. 1835) p. 13.

3) „Bresl. philol. Abhandl.“ II (1888).

4) Cf. Gaumitz, „zu dem Bobienser Ciceroscholiast“ (progr. Dresd. 1884).

5) In editione sua (progr. Turic. 1868).

tumultu fugitivorum, bello Mithridatico tertio, deinde de minoribus quibusdam rebus disputem, bellis piraticis, Macedonicis, Cretensi, postremo res urbanas breviter addam.

Caput II

De seditione Lepidi

Res annis 78—77 in Italia gestas optime iam Mommsen praecipue Grani Liciniani reliquiis usus constituit. Equidem addiderim Sullam mortuum esse postea, quam Servilii contra praedones expeditio inita est (cf. Suet. Caes. 3); Martio igitur fere mensi dictatorem exspirasse crediderim. Qui sequuntur tumultus et urbanos et Etruscos media iam aestate sedatos esse existimo, quoniam pax inter consules facta est antequam comitia[1]) coepta sunt. Lepidum autem cum Etruscorum proscriptorumque praeesset catervis, Catulo collega repulso ipsam Romam vi aggressum esse ex Exuperantio Sallustioque[2]) efficitur. Ineunte anno 77 Lepidus Philippo Catuloque auctoribus hostis iudicatus denuo ad urbem accessit, sed impetus eius a Catulo repulsus est. Interea Pompeius in Gallia Liguriaque exercitus popularium devicit. Drumann[3]) vero qui Flori[4]) verbis deceptus Pompeium fugato demum Lepido in superiorem Italiam

1) Cf. App. b. c. I 107: *ἐπὶ τὰ ἀρχαιρέσια οὐ κατῄει*, i. e. mensi Quintili vel Sextili cf. Mommsen „röm. Staatsrecht“ I p. 563², p. 580³.

2) Cf. Exup. p. 3, 26 (Bursian): 'Sed in Etruriae litore commisso proelio coeperat Lepidus esse superior per armatam multitudinem quae odio rerum Sullanarum se Lepidi partibus applicarat.' Sall. hist. or. Phil. § 10: 'An expectatis, dum exercitu rursus admoto ferro atque flamma urbem invadat.' Philippi verba falso Drumann (IV p. 343 adn.) ad impetum anni 77 initio factum nobisque ignotum refert. Exuperantii enuntiatum ne ad pugnam ad Cosam factam referas prohiberis verbis 'coeperat Lepidus esse superior', quae minime quadrant ad 'fugientes eius copias ac se implicantes festinatione formidinis'. Similia de priore Lepidi impetu pugnaque etiam apud Granium Licinianum (p. 44 A. ed. Bonn.) exstare videntur.

3) IV p. 345, quem Neumann II p. 23 sequi non debebat.

4) II 11 (Halm): 'Sed iam Mulvium pontem collemque Ianiculum Lutatius Catulus Gneusque Pompeius — — — alio exercitu insiderant, a quibus primo statim impetu retro pulsus' etc.

proficiscentem fecit, non solum accuratissimae Plutarchi narrationi contradicit, sed etiam incredibilia sibi fingit. Quid enim Catulum Lepidumque, dum Pompeius complures per menses contra populares bellat, in Etruria vel Cosae alibive fecisse putat vir doctus? — Ceterum res a Lepido, Catulo, Pompeio gestas, cum Pompeius usque in Liguriam penetrasset diuque Mutinam obsedisset, ad mediam anni 77 aestatem durasse puto. — Sed iam ad scriptores qui has res memoriae tradiderunt nos convertamus ac quaeramus Sallustiusne an alius eorum auctor fuerit.

Granium Licinianum, cuius ex annalibus fragmenta quaedam ad seditionem Lepidi spectantia servata sunt, semper fere e Livio hausisse Madvig[1]) animadvertit. Sed inde a morte Sullae Sallustium secutus esse videtur; namque cum dicit[2]): 'Sallusti opus nobis occurrit, sed nos ut instituimus moras et non urgentia omittemus', ipse Sallustium se evolvisse testatur, neque vero eum omnino repudiat, sed 'moras' tantum eius, quas quidem mox enumerat (scil. contiones, descripta loca, montes, flumina), omittere vult. Deinde Granius in enarratione pergit: 'Verum ⟨simul⟩ coegere[3]) tr⟨ibuni⟩ pl⟨ebis⟩ c⟨onsu⟩les, uti tribuniciam ⟨po⟩testatem restitue⟨rent⟩, negavit prior Lepid⟨us⟩; et in contione m⟨ag⟩na pars adsenta⟨ta⟩st[4]) ⟨dicen⟩ti, non esse utile re⟨sti⟩tui tribuniciam p⟨otes⟩tatem. Et extat ora⟨tio⟩'. — Sin orationem Lepidi exstare dicit iste secundi saeculi homo, profecto aliam nisi celeberrimam orationem Lepidi a Sallustio fictam significare[5]) non potest. Neque rem ipsam, quam narrat Granius, Sallustio contradicere putaverim[6]); namque tum restituendae tribuniciae potestatis cona-

1) „Kleine Schriften“ p. 398. Editorum Bonnensium falsam de Liciniani aetate opinionem defendebat etiam Francken in annal. phil. suppl. III p. 251, sed cf. Comparetti in Mus. Rhen. XIII p. 457. — Livium de aetate Sullana Grani fontem esse tuetur Klebs l. l. p. 5.

2) p. 42 A, 18.

3) 'Cogenera' cod., 'convenerant' Bonn., 'orare coeperant' Madvig.

4) 'adsentast' cod., corr. C. Wachsmuth.

5) Jordan in Herm. VI p. 213 genuinam Lepidi orationem in animo eum habuisse putat. Sed illa neque umquam scripta memoriae tradita est neque, si fuisset, tam diu servari potuit.

6) Quod voluit Linker in annal. phil. LXXVII p. 639.

tus a Lepido omnino nondum susceptus erat[1]) neque iam eius rei Sallustius in oratione a Lepido in Sullam habita meminit. Is vero Grani error est, quod orationem a Lepido initio consulatus habitam, quam re vera in Sallustio exstantem viderat, cum hac Lepidi Sulla mortuo contione confudit. Sed Sallustium abhinc Grani fontem fuisse, ut magis comprobetur, conferenda erunt p. 42 B, 23: 'Et alia mul⟨ta pol⟩licebatur: exules r⟨edu⟩cere, res gestas a Sul⟨la vertere⟩[2]), in quorum agro⟨s mili⟩tes deduxerat, re⟨sti⟩tuere' et Exuper. p. 3, 22: 'Congregatis iis, in quorum possessiones novos colonos de suis militibus Sulla victor inmisit, ingentem congregavit exercitum pollicendo, si vicissent, se bona patria restituturum'; deinde Gran. p. 44, A, 8: 'defendebant, ⟨quo⟩d vulgus[3]) agreste do⟨moque ext⟩orre[4]) eo coactum ⟨ess⟩et', et Sall. fr. I. 46 D 'Magna vis hominum convenerat agris pulsa aut civitate eiecta'; denique Gran. p. 44, A. 11: 'Et consules dato ⟨exercitu in⟩[5]) Etruriam ⟨prof⟩ecti sunt', et Sall. fr. I. 44 D: 'Uti Lepidus et Catulus decretis exercitibus maturrime proficiscerentur.'

E Plutarchi vita Sullae postrema tantum capita nobis respicienda sunt, quibus de Sulla moriente ac deinde sepulto agitur. Ea autem, quae de adulterina Sullae vita cap. 36 narrantur, e Sallustio deprompta esse videntur, cum eiusdem rei[6]) testem illum Plutarchus laudet[7]) et bene conveniat cum Sallustiana Sullae morum descriptione.[8]) De ipsa Sullae morte

1) Cf. Sall. Hist. or. Lic. Macr. § 8: 'et quamquam L. Sicinius primus de potestate tribunicia loqui ausus mussantibus vobis circumventus erat' etc., quocum convenit Asconius p. 103 (Orelli): 'Primus Sicinius, tribunus plebis nec multo post Quintius — — — perfecerant, ut tribuniciam potestatem populo darent consules' etc. — Sed postea cum denuo anno 77 armatus urbi minaretur, talia flagitasse videtur, cf. orat. Phil. 14.

2) 'Rescindere' ed. Bonn., quod spatium excedit.

3) 'UiNGUS' in cod. legebatur; correxi.

4) ACREO in codice visum est, '⟨ext⟩orre eo' conieci, cf. Sall. Iug. 14.

5) Supplevi.

6) Etiam similia narrasse videtur Nicolaus Damascenus, cf. fr. 81 (F. H. G. III p. 416) ap. Athen. V p. 261 C. Qui unde haec habuerit, nescimus.

7) Comp. Lysandri et Sullae c. 3.

8) Cf. fr. I 37 D: 'Insanum aliter sua sententia atque aliorum

discrepat Plutarchus ab Appiano, cum ipse Sullam phthiriasi laborantem ex vehementi animi commotione mortuum esse tradat, hic autem b. c. I, 105 febri correptum Sullam decessisse narret. In phthiriasi urgenda Plutarchus consentit cum Plinio hist. nat. XXXVI, § 138, Pausania I 20, 7, auctore de vir. ill. 75. — Pausanias ad quem redeat auctorem decernere vix ausim; Plutarchi autem et Pseudo-Victoris congruentia facillime explicabitur, si haec e Cornelio Nepote, quem a Plutarcho lectum esse constat, hausta esse putaverimus; neque enim ridiculam hanc fabulam[1]) Sallustio, Posidoniove, gravibus illis scriptoribus vindicare licet. Plinius porro in huius libri indice non exhibet auctorem, apud quem fabulam repperire potuit; sed eandem rem etsi brevius, commemoravit etiam VIII, § 138, ubi Cornelius Nepos in indice nominatus est. Iam quis dubitet, quin Plinius, Pseudo-Victor, Plutarchus rem e Nepote[2]) sumpserint? De ultima Sullae mortis causa, scilicet de re inter eum ac Granium duumvirum commissa, accurate congruit Plutarchus cum Valerio Maximo IX 3, 8; velut Val. Max. 'Immoderato vocis impetu convulso pectore' cf. cum Plut. *τῇ δὲ κραυγῇ καὶ τῷ σπαραγμῷ* vel Val. Max. 'Spiritum cruore mixtum evomuit' cum Plut.: *πλῆθος αἵματος ἐξέβαλεν.* Quo e consensu neque minus e narrationis consilio Sullae inimico concludi liceat hanc rem ab utroque e Sallustio haustam esse. Postremo vitae Sullanae capite cum Pompeii gratia ac persona admodum urgeantur, Livium, Pompeianus qui dictus est, nos tenere suspicari possumus. Etiam ea, quae Licinianus usque ad Sullae mortem narrat, e Livio emanasse supra iam commemoravi: et profecto convenit cum eodem Plutarchus: *Τοῦ πυρὸς ἁπιόντος ἐκχυθῆναι πολὺν ὄμβρον καὶ κατασχεῖν ἄχρι νυκτός*, cf. Gran. p. 42, A. 15: 'Cuius rogo quom ignis esset inlatus, non mediocris imber est insecutus.'

Deinde Plutarchus in Pompeii vita c. 1—16 de rebus ab

---

mulierum' (scil. amor vel cupido), et fr. I 29 D: 'Mox tanta flagitia in tali viro pudet dicere' (cf. Schol. Gron. p. 434 Orell.).

1) Iure Mommsen negavit umquam extitisse talem morbum nisi in mente credulorum.

2) Kuyper l. l. p. 120 Sallustio, Arnold l. l. p. 109 Fenestellae tribuerunt, uterque vero sine ullo argumento.

adulescente Pompeio gestis agit, ubi multa e Strabone fluxisse ob Plutarchi Appianique similitudinem haud improbabiliter conclusit Vogel[1]); mox c. 16 ipsam Lepidi Catulique seditionem enarrat. Ac primum quidem fontem Plutarchi ab optimatium partibus stetisse videmus; Lepidum enim ex ambitione seditionem movisse insimulat, cf. *Λέπιδος εἰςποιῶν ἑαυτὸν εἰς τὴν ἐκείνου* (scil. Sullae) *δύναμιν*; de Catulo vero multo iudicat melius: *Κάτλος ᾧ τὸ καθαρὸν καὶ ὑγιαῖνον μάλιστα τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου προσεῖχεν.* Brevi post de Bruto ad Mutinam capto duos habuit auctores: *ὁ γὰρ Βροῦτος εἴτε παραδοὺς τὴν δύναμιν αὐτὸς εἴτε προδοθεὶς μεταβαλομένης ἐκείνης*; infra autem unam, et quidem priorem sequitur in re enarranda relationem: *γεγραφὼς γὰρ — — ὡς ἑκὼν αὐτῷ πρόσθοιτο Βροῦτος.* Patet autem hanc optimati deberi scriptori, quoniam Brutus, popularium partium dux, ignaviae inconstantiaeque accusetur, illam populari auctori, cum deditio Bruti perfidia exercitus eius excusetur. Quae si ita sunt, conici liceat scriptorem optimatem, quem praecipue hoc capite sequatur Plutarchus, Livium esse, popularem vero Sallustium. — Denique de morte Lepidi duplicem denuo tenemus apud Plutarchum memoriam: *Κ'ἀκεῖ νοσήσας ἐτελεύτησε δι' ἀθυμίαν, οὐ τῶν πραγμάτων ὥς φασιν, ἀλλὰ γραμματίῳ περιπεσών, ἐξ οὗ μοιχείαν τινὰ τῆς γυναικὸς ἐφώρασε.* Id quod auctoribus verbis '*ὥς φασιν*' significatis refutat, '*δι' ἀθυμίαν πραγμάτων*' mortuum esse Lepidum, Livii est[2]); contra Sallustius solum morbum commemoraverat et poenitentiam vehementer abnuerat.[3]) Tertia praeter morbum et poenitentiam ab altero Plutarchi auctore refertur mortis causa, scilicet ira de infida uxore, de qua congruit Plutarchus cum Plinio III 122 et 186. Plinii autem index cum Cornelium Nepotem afferat, hunc utriusque hac in fabella fontem fuisse putaverim; etenim Livium, qui in

1) l. l. p. 21.

2) Cf. Flor. II 11: 'Ibi morbo et poenitentia interiit.' Saepius autem Plutarchum aut si novum inducit auctorem aut si primarium fontem suum aliqua in re corrigit, imprimis si e Livio aliquod sumit, verbis '*ὥς φησι*' vel '*λέγεται*' hoc facere observarat Judeich p. 45.

3) Cf. Exup. p. 4, 5: 'Ac dum multa parat, morbo gravi oppressus et mortuus est.'

eodem indice nominatur, haec non enarrasse ex ipsius Plutarchi verbis sequitur.

Summo omnium est momento Appiani his de rebus narratio, b. c. I 105—107. Quem de morte Sullae ac de sepulturae ratione plane dissentire a Plutarcho ac verisimillime ad Posidonium vel Strabonem redire iam exposui. Nunc vero ut id quod supra contendi comprobem, inde a. c. 107 Sallustium fuisse primarium Appiani auctorem, complura animadvertenda erunt Sallusti fragmenta et Liciniani Exuperantique loci, quibuscum Appiani caput 107 accuratius congruit. Sicut fr. I 42: 'tyrannumque et Cinnam maxima voce appellans' excerpsit Appianus: *λόγοις βλασφήμοις ἐς ἀλλήλους διεφέροντο*; deinde conferas velim Exup. p. 3, 25: 'plebi quoque multis muneribus publice privatimque largitis carus videbatur' et App.: *καὶ τὸ ἀστικὸν ἐς αὐτοὺς διῄρετο*; cf. Gran. p. 44 A: 'Pollicebatur — — — in quorum agros milites deduxerat restituere' atque Exup. p. 3, 24: 'pollicendo, si vicissent, se bona patria restituturum' cum App.: *Ἰταλικοὺς προσποιούμενος ἔλεγεν, ὅτι τὴν γῆν αὐτοῖς ἣν ὁ Σύλλας ἀφῄρετο ἀποδώσει*; Gran. p. 44 B: 'Senatui concessit execrationibus maximis nulla ultro arma movere umquam' cum App.: *ὥρκωσε μὴ πολέμῳ διακριθῆναι*; Sall. fr. I 91: 'Prudens omnium quae senatus censuerat' cum App. *καὶ οὐδὲ αὐτὸς ἀγνοῶν ἐφ' οἷς ἐκαλεῖτο*; denique Exup. p. 4, 5: 'Ac dum multa parat morbo gravi oppressus et mortuus est' cum App.: *ἔνθα νόσῳ τηκεδόνι χρώμενος ἀπέθανεν.* — De reliquis Appiani capitibus postea ubi de bello Sertoriano et de tumultu fugitivorum verba faciemus disserendum erit. —

Florus II 11 (Halm.) Livianam praecipue, quod iam dixi, ostendit memoriam. Satis autem leviter excerpsit Livium, cum totius fere anni spatium inde ab autumno 78 usque ad aestatem 77 plane omiserit. Eidem Flori neglegentiae neque vero fonti attribuamus, quod Pompeium Lepido iterum urbem aggrediente Romae praesentem facit, qui quidem re vera ad Mutinam contra Brutum bellavit. Praeterea etiam e Sallustio flosculos quosdam sumpsisse videtur, sicut: 'arma inde et exercitum urbi admovebat', cf. Sall. or. Phil. § 10; deinde: 'Lepidus acta tanti viri rescindere parabat', cf. Exup. p. 3, 20: 'Huius acta

cum conatur Lepidus in suo consulatu subvertere'[1]) et schol. Gron. p. 410 (Orell.): 'volebat infringere acta Sullana.' E Floro eadem mutuati sunt auct. de vir. ill. c. 47: 'Lepidum acta Sullae rescindere volentem privatus Italia fugavit' et Ampel. lib. mem. c. 19: 'Catulus qui Lepidum acta Sullae rescindere volentem admoto exercitu (cf. Flor. l. l. § 5) Italia fugavit', nec non Augustinus de civ. Dei III 30: 'alter gesta Sullana rescindere cupiebat' et per. 90: 'Lepidus cum acta Sullae temptaret rescindere.'

Breviter seditionis Lepidanae mentionem fecerunt Valerius Maximus II 8, 7 et Ampelius c. 40, 2. — Cladem Lepidi Cosae factam commemorat Rutilius Namatianus carminis 'de reditu suo' a. 416 p. Chr. n. compositi versu 295:

'Inter castrorum vestigia sermo retexit
Sardoam Lepido praecipitante fugam;
Litore namque Cosae cognatos depulit hostes
Virtutem Catuli Roma secuta ducis.'

In praecipitata fuga urgenda consentit cum Exup. p. 3, 29: 'fugientes eius copias ac se implicantes festinatione formidinis ita prostravit' etc.; sed casuine id tribuam an Sallustium etiam tunc a Rutilio lectum esse censeam ipse dubito. —

Caput III

De bello Sertoriano

§ 1. Lepido Italia pulso mortuoque unus supererat popularium partium princeps, Sertorius; atque quo facilius Sullani Catulo Pompeioque ducibus illum prostraverant, eo atrocius pertinaciusque hic optimatibus restitit. Quod bellum octo fere per annos in Hispania gestum etsi magno fuit rei publicae Romanae momento, tamen a scriptoribus non tanta cum diligentia curaque relatum est, quanta nobis dignum esse videtur: quo factum est, ut de permultarum rerum hoc bello gestarum tempore atque ordine valde adhuc dissentiant viri docti. Iis-

---

1) Subvertendi verbum ab ipso Sallustio usurpatum esse puto; cf. Iug. 32, Catil. 10, Hist. or. Phil. 8 et 10, or. Lep. 4.

dem de rebus, si nos quoque pauca disseremus, de priorum annorum rebus gestis praecipue Livius et Plutarchus sequendi erunt duces, inde autem ab anno 76 etiam Appianus accedit.[1])

Ac primum Sertorius anno 82 provinciam pro praetore obtinuit Hispaniam citeriorem, non ulteriorem, sicut voluit Drumann[2]); namque recte Exuperantium p. 5, 4 'misere in citeriorem Hispaniam' dixisse vel ea e re elucet, quod si in ulteriore fuisset Sertorius, non Pyrenaeum[3]) praesidio munire potuisset. Anno 81 Sertorius ab Annio Lusco legato Sullae pro praetore ex provincia expulsus et terra marique vagatus, dein anno 80 a Lusitanis in Hispaniam imperator revocatus est. Quo anno Fufidium ulteriori, M. Domitium Calvinum citeriori provinciae praefuisse puto. De Fufidio omnes consentiunt; cuius collegam e gente Domitia fuisse constat; Drumann[4]) autem L. Domitium Ahenobarbam, Dronke[5]) simpliciter L. Domitium eum nominant; Edler[6]) eundem esse atque consulem anni 94 a. Chr. n. (!!) vult. Cum autem Plutarchus[7]) meo quidem iudicio Domitium habeat Calvinum et Livii periocha 90 ei Marci pronomen praebeat, ei M. Domitio Calvino nomen fuisse cum Mommseno[8]) consentio, ac conicio, quod optime cum temporum ratione convenit, hunc patrem fuisse Cn. Domitii Calvini M. f. M. n. cos. 53 a. Chr. n.

Praeterea vehementer errare puto Neumannum, qui eum

---

1) E recentioribus de bello Sertoriano respiciendi erunt praeter viros doctos supra laudatos: Dronke in „Zeitschr. f. Altertumswissensch." 1853 p. 499 sq.; Wilsdorf, „fasti Hispaniarum provinciarum" in stud. Lips. I p. 114 sq.; Schneider, „quaestionum in Ciceronis pro M. Fonteio orationem capita quattuor" (diss. Lips. 1876); Edler, „quaestiones Sertorianae" (diss. Monast. 1880).

2) IV p. 353 adn.

3) Cf. Plut. Sert. 7.

4) IV p 355; ibid. p. 357 adn., quem secutus est Neumann II p. 27.

5) l. l. p. 499.

6) l. l. p. 16.

7) Plut. Sert. 12: *Δομέτιον δὲ Καλουῖνον ἀνθύπατον ὄντα τῆς ἑτέρας Ἰβερίας διὰ τοῦ ταμίου καταγωνισάμενος — — ἀνεῖλεν*, ubi *καλουσιον* (*καὶ λούσιον*) codd., *καὶ Λεύκιον* (!!) Dronke, *Λεύκιον* Sintenis, sed optime facillimeque correxit Mommsen *Καλουῖνον*.

8) Cum Mommseno faciunt etiam Lange „Röm. Altertümer" III[2] p. 177 et Wilsdorf l. l. p. 18.

anno demum 79 una cum Metello in Hispaniam venisse arbitratur; immo vero, sicut acute exposuit Wilsdorf, quoniam a Plutarcho una cum Fufidio proconsul provinciae appellatus est, eidem anno 80 attribuendus Annique Lusci successor habendus est. Sed iam deceptus Floro, periocha Liviana, Eutropio Lange[1]) alterum sibi finxit Domitium, scilicet L. Domitium Ahenobarbam legatum quendam Metelli, quem una cum Thoranio legato ad Anam flumen devictum esse vult. At unum eundemque esse hominem vel e Plutarcho sequitur, deinde ea e re quod rectum Marci pronomen ei assignat periocha; adde quod uterque Domitius, si sequeremur Langium, simillimo modo ab Hirtuleio caesus esse narraretur.[2]) Mendum autem est aut Eutropii periochaeque auctoris aut librorum, quod ille Lucium, haec legatum eum appellant. Neque vero Florum urgere licet; qui cum scripserit: 'prima per legatos habita certamina, cum hinc Domitius et Thoranius inde Hirtulei proluderent', optime id quadrat ad Thorani Hirtulei Herenni clades, sed minus convenire hanc comparationem ad Domitium, rhetor Florus neglexit neque flosculi pulchri gratia res turbare dubitavit. Similis neglegentia epitomae quoque Livianae tribuenda est, quae Metelli et Domitii proconsulum expeditiones re vera diversis factas annis brevitatis causa quasi uno anno complectebatur, cf. Oros. V 23, 3: 'Adversus hunc — — — duo duces missi, Metellus et Domitius', et Eutr. VI 1: 'Missi sunt contra eum duces Q. Caecilius Metellus et [L.] Domitius praetor.'

Anno deinceps 79 Q. Caecilius Metellus Pius ulteriorem provinciam pro consule adeptus est, ut Fufidio victo succederet. Eodem anno Thoranius legatus Metelli ac Domitius[3]) proconsul ab Hirtuleio ad Anam devicti caesique sunt, ipse Metellus a Sertorio saepius clade affectus est, velut in Lacobrigae[4])

1) Et una Wilsdorf p. 119; Edler p. 16.

2) Iure hanc opinionem antea quam lata est, refutavit iam Drumann IV p. 357 adn.

3) Domitium anno demum 79 mortuum esse vel ea re efficitur, quod 78 Q. Calidius in citeriore provincia ei successit, de quo cf. Wilsdorf p. 119.

4) Falso autem Drumann IV p. 358 et Neumann II p. 29 Lacobrigae oppugnationem anno attribuunt 78; Neumann quidem urbem Laggobriten ad Pallantiam sitam (cf. Ptolem. II. 6, 49 et itin. Anton.)

oppidi obsidione, quam quidem rem accuratius enarrat Plutarchus Sert. 13. — Quibus Metelli cladibus commotus anno 78 L. Manlius qui Galliae praeerat[1]) auxilio profectus ab Hirtuleio apud Ilerdam[2]) fugatus est. Ipse Metellus annis 78 et 77 Pompeium subvenientem expectans in ulteriore se tenuisse videtur provincia[3]), cum Sertorius totam fere subigeret Hispaniam.

Iam quaeritur, id quod gravissimum est, quando Pompeius in Hispaniam pervenerit. Etenim Drumann[4]) anno 76 demum Roma profectum eum esse putat; contra Dronke evicit[5]), e Sallusti epist. Pomp. § 2 sequi, iam anno 77 Italia Pompeium excessisse; in Hispaniam vero eum advenisse arbitratur anno 76 ineunte; Mommsen[6]) autem contendit iam anni 77 autumno Pompeium in Hispania fuisse ibique hiemasse. Attamen hoc omnino fieri potuisse vehementer nego. Namque si circa mensem Iunium vel Quintilem Lepidus Italia pulsus et Pompeius quadraginta exercitui comparando diebus consumptis Sextili fere Roma profectus est, tamen itinere per Alpes facto et Gallis obviis subactis[7]) profecto vix hieme, si voluisset ad Valentiam Lauronemque accedere potuit. Proelium autem illud Laelii 'pabulatorium', quod statim Pompeio Lauronem aggresso fuit[8]), omnino hieme fuisse non potest, quippe qua milites

---

dictum esse putat, sed equidem cum Mommseno Drumannoque Lacobrigam Lusitaniae merodionalis urbem prope Tagum sitam tunc oppugnatam esse censeo, quoniam prope Hiberum Metellus Baeticae provinciae proconsul his annis omnino non pugnavit. Quod si concedatur, veri similius esse videbitur, audacem Metelli usque in ipsam Lusitaniam expeditionem initio imperii eius, i. e. anno 79 factam esse, quam postea.

1) Cf. Schneider p. 12.

2) Sed pugna Ilerdensis nihil habet commune cum L. Valerii Praeconini legati clade (cf. Caes. b. p. III 20) sicut rati sunt Drumann IV p. 358 et Neumann II p. 28 adn.

3) Cf. Oros. l. l.: 'Metellus multis proeliis fatigatus per devia oberrans hostem mora fatigabat donec Pompeii castris consociaretur.'

4) IV 361, quem perperam secutus est Neumann II p. 31.

5) l. l. p. 505, quo cum facit Schlimmer p. 64.

6) Cui adstipulatus est Edler p. 18.

7) Cf. Cic. de imp. Cn. Pomp. 30: 'testis est Gallia, per quam legionibus nostris iter in Hispaniam Gallorum internicione patefactum est'

8) Cf. App. b. c. I 109: *ἀφικομένου δ' ἐς Ἰβηρίαν αὐτίκα δὲ Σερτώριος τέλος ὅλον ἐπὶ χορτολογίᾳ ἐξιόν κ. τ. λ.* Simul intellegimus

ἐπὶ χορτολογίᾳ (pabulatum) emitti non soleant: ergo fuit aestate vel vere 76, brevissimo igitur ante in Hispaniam Pompeius advenit. Itaque aestate anni 77 Roma profectus est, deinde in Gallia hiemavit et vere 76 Hispaniam ingressus ad Lauronem a Sertorio obsessam processit. — At dixerit forsitan quis, ex Obsequ. 58 elucere Laelii legati proelio Lauronensi mortem iam anno 77 contineri! Immo vero Obsequentis narratione Dronkii meaque comprobatur ratio; namque cum ad annum 76 adnotet: 'a Sertorio in Hispania exercitus Romani caesi', haec est ipsa Laelii clades; videmus autem Livium iam in prodigio, quod egredienti Roma exercitui contigit, enarrando flebilis Laelii interitus mentionem fecisse, postea vero proelium suo ordine enarrasse, qua in iteratione eum secutus est Obsequens. — Praeterea cum Pompeium in Gallia hiemantem a M. Fonteio frumento adiutum esse constet, hoc factum esse puto eadem anni 77/76 hieme; namque Fonteium per annos 77—75, non sicut vult Schneider[1]) annos 74—72, existimo[2]) Galliae praefuisse.

Porro si Pompeius vere anni 76 Pyrenaeos transgressus[3]) est, inde sequitur, Perpernam eodem demum tempore ad Sertorii partes se applicasse[4]), neque iam anno 77, id quod vv. dd. voluerunt. Neque aliter profecto fieri potuit! Namque usque ad aestatem 77 Lepidum in Italia fuisse supra docuimus; Perperna igitur postquam in Sardinia bellavit ac dein in Liguriam vectus Alpes Pyrenaeosque transiit, non ante hiemem

falso Mommsenum et Langium (l. l. p. 189) pugnam ad Valentiam factam etiam ante Lauronis obsidionem collocasse.

1) l. l. p. 20.

2) Etenim quoniam contra Gallos pugnasse Fonteium Cicero testatur, hoc bellum idem esse videtur quod antea Pompeius dum ibidem hiemaret gessit. Multis autem annis post denuo Gallos rebellasse unde Schneider sciat, libenter audiam.

3) Ceterum cum Orosius V 23, 6 dicat: 'Pompeius contracto apud Pallantiam exercitu' etc., neque Pallantia prope Durium Hiberumque sita dicta est neque 'apud Valentiam' emendare licet, quod iubet Neumann II p. 33 adn.; sed oppidum cui 'Pallantias' nomen erat, prope Saguntum situm significatum esse videtur, cf. Ptolem. II 6, 15.

4) Cf. Plut. Sert. 15: *ἐπεὶ Πομπήιος ἠγγέλλετο τὴν Πυρήνην ὑπερβάλλων*.

77/76 in Hispaniam advenisse putandus est; ad Sertorium vero postea demum se applicavit.

Novam quaestionem neque minoris momenti nunc disceptemus, quo anno Contrebia a Sertorio expugnata sit ceteraeque res Livii fragmento Vaticano (Hertz 19) enarratae acciderint. Equidem Mommsenum falso hiemi 77—76, recte Drumannum[1]) hiemi 76—75 attribuisse fragmentum existimo, cum omnia, quae enarrantur, ad hanc, neque vero ad illam quadrent. Etenim legimus, iam Perpernam in Sertorii esse exercitu: et Perperna quidem ad Sertorium se applicavit vere anni 76. Perperna autem atque Herennius, qui contra Pompeium bellare iubentur, pugnavere re vera anno 75, sed de eorum cum Pompeio anno 76 pugnis nihil scimus. Deinde unde Sertorius 'neque in aciem descensurum eum (sc. Pompeium) credebat', nisi hoc ex clade eius Lauronensi anni 76 conclusit? Mox cum dicit 'Perpernam in maritimam regionem superpositum, ut ea, quae integra adhuc ab hoste sint, tueri posset', hoc minime dici potuit post annum 77, quo omnia Sertorio integra erant, optime autem quadrat ad hiemem 76/75, cum anno 76 complures civitates Pompeio adveniente a Sertorio defecerint.[2]) Eodem spectat, quod Sertorius de Autriconibus memorat: 'a quibus saepe per hiemem, cum ab se oppugnarentur Celtiberae urbes, imploratam esse opem Pompeii compererat'; namque non hieme 77—76 ad Pompeium in Gallia morantem Celtiberos misisse per se patet. Quibus de causis hoc fragmentum hiemi 76—75 attribuendum esse puto. Simul autem intellegimus Livium aliqua in re discrepare a Sallustio, namque hic hiemem illam sive in Gallia sive prope Galliam degentem facit Metellum.[3]) Livius contra neglegenter narrat Metellum in ulteriore provincia tunc, sicut antea, hiemasse: '(litteras misit) et in alteram provinciam ad L. Hirtuleium . . . ne acie cum Metello dimicaret' et mox '(dubitabat) an ad Metellum et Lusitaniam se convertat'.

Metellus igitur qui adhuc in ulteriore provincia semper

1) IV p. 364; item Dronke p. 506. — Mommsenum sequitur Edler l. l. p. 18.

2) Cf. Plut. Sert. 18: *ὅθεν καὶ πολλαὶ τῶν ὑπὸ Σερτωρίῳ πόλεων ἀποβλέψασαι πρὸς αὐτὸν ὁρμὴν μεταβολῆς ἔσχον.*

3) Cf. Sall. Hist. ep. Pomp. § 9 et App. b. c. I 110.

versatus erat, exeunte anno 76 septentrionem versus profectus est, ut cum Pompeio se coniungeret. Quo in itinere Hirtuleius ei obstitisse videtur, sed a Metello Italicae victus est.[1]) Falsissime vero viri quidam docti[2]) hanc Hirtulei cladem anno 75 attribuunt. Etenim etsi quis neglecta etiam Sallustii auctoritate Metellum 76/75 in Baetica provincia hiemasse secundum Livium putet, cur non statim ad Pompeium anno 75 Valentiae atque ad oram maritimam bellantem Metellus properavit? Quam ob causam Segoviam[3]) tendit? Et quomodo Hirtuleius plane Italicae devictus brevi post Metello Segoviae denuo resistere potuit? At si recte cum Sallustio Metellum hiberna 76/75 in Gallia egisse putamus, omnino fieri non potest, ut paucis mensibus Metellum primum in ulteriore provincia Italicae, tum Segoviae in Lusitania, postremo Sagunti fuisse statuamus. Itaque cum Mommseno Sallustium secuti pugnam Italicensem anno 76, Segoviensem anno 75 factam esse diudicemus.

Prima proximi anni 75 fuit pugna ad Valentiam a Pompeio contra Herennium ac Perpernam commissa.[4]) Quae sequuntur huius insequentisque anni res non iam incertae sunt. — Deinde epistulam quam a Pompeio ad senatum scriptam fingit Sallustius anni 75 exitu datam, se Romae lectam esse ineunte anno 74 acute conclusit Drumann.[5]) Falso postea Mommsenum[6]) eandem hiemi 74/73 adscripsisse nunc e fragmento Aurelianensi[7]) constat. Postea vero eodem anno, quo Pallantia a Pompeio circumsessa est, scilicet anno 74, etiam Chauca[8]) prope eam sita ab eodem occupata esse videtur. Isdem temporibus Metellus in occidentali citerioris provinciae parte ad Segobrigam, Bilbilim, Calagurrim pugnavit.[9]) Anno

1) Cf. Oros. V 23, 10.

2) Drumann IV p. 366; Dronke p. 507; Neumann II p. 35.

3) Pugnam enim Segoviensem, qua Hirtuleius caesus est, iisdem fere diebus, quibus Sucronensem accidisse, i. e. aestate 75, e Frontino II 7, 5 elucet.

4) Cf. Plut. Pomp. 18; Drumann IV p. 366.

5) IV p. 376, recte quoque cum eodem Dronke p. 505 et Schlimmer l. l. p. 68.

6) Quem perperam secutus est Schoene in Mus. Rhen. XXV p. 638.

7) Col. 16 ed. Hauler.

8) Cf. Front. II 11, 2.

9) Cf. Strab. fr. 73 (Otto) et App. b. c. I 112.

deinceps 73 omnis videtur Celtiberia a Romanis subacta esse. Eodem fere tempore Perperna in Gallaecia pugnasse videtur, ubi Cales urbs teste Sallustio ap. Serv. ad. Aen. VII 728 ab eo capta est. Namque cum Perperna anno 77 exeunte in Hispaniam venerit, ineunte 76 ad Sertorium transierit, annis 76 et 75 in regionibus ad mare medium sitis contra Pompeium bellaverit, postea vero anno 72 una cum Sertorio Oscae fuerit, veri videtur simile esse, has res in Gallaecia gestas pertinere ad annum 74 vel 73, melius fortasse ad annum 74, cuius exitu Sertorius prosperior esse coepit[1].) Postremo denique anno de Osca, Ilerda, Calagurri, praeterea de Tarracone et Dianio pugnatum est, cf. Strab. fr. 74a: *ἐν δὲ ταῖς πόλεσι ταύταις* (scil. Ilerdae et Oscae) *ἐπολέμει τελευταῖον Σερτώριος καὶ ἐν Καλάγουρι Οὐασκώνων πόλει καὶ τῆς παραλίας ἐν Ταρράκωνι καὶ ἐν Ἡμεροσκοπείῳ μετὰ τὴν ἐκ Κελτιβήρων ἔκπτωσιν, ἐτελεύτα δ' ἐν Ὄσκᾳ.* — Intellegimus vero etiamsi Sertorius non a coniuratis occisus esset, tamen non multum afuisse, quin omnis Hispania Romanorum rursus sub potestatem redigeretur.

De levioribus quibusdam rebus, quae nisi a Frontino non narratae sunt, infra disputabitur.

§ 2. Plutarchus in vita Sertorii primum c. 2—5 breviter res ab eo ante fugam seditionemque gestas exponit, tum c. 6—27 bellum Hispaniense copiosius enarrat. Tota autem in vita Sallustium ab eo excerptum esse Peterum[2]) secuti omnes consentiunt. Atque in priore parte statim apparet verba: *τῶν ὄψεων ἀπέβαλε τὴν ἑτέραν ἐκκοπεῖσαν· ἐπὶ τούτῳ δὲ καλλωπιζόμενος ἀεὶ διετέλει κ. τ. λ.* hausta esse e Sallusti fr. I 55 D.: 'Quae vivus facie sua ostentabat aliquot adversis cicatricibus et effosso oculo. Neque illis anxius: quin ille[3]) dehonestamento corporis maxime laetabatur, quia reliqua gloriosius retinebat.' Item quae sequuntur Romanum produnt

1) Cf. App. b. c. I 112.

2) l. l. p. 61, cui partim iam praeiverat Linker l. l.

3) 'Quid ille — — — laetabatur, neque illis anxius quia' etc. codd., 'quin' corr. Hertz, quod etiam secundum Donati verba desideratur, 'neque illis anxius' transposui, quoniam post 'maxime laetabatur' nullam fere habent vim et vox 'quin' negationem antecedentem postulare videtur.

auctorem, cf. *στρεπτὰ καὶ δόρατα καὶ στεφάνους* i. e. torques, hastas puras, coronas; denique conferenda esse: *ἐξεδέξαντό τε κρότῳ καὶ κατευφήμησαν* cum Sall. fr. I 56: 'et ei voce magna gratulabantur' iamdudum intellectum est. — Attamen quamquam media huius capitis pars ad Sallustium redit, reliqua de iuvene Sertorio narratio Sallustiana esse mihi non videtur; et omnino Sallustium tam accurate haec enarrasse negaverim! Etenim quae Plutarchus de Sertorii in Hispania atque bello Marsico rebus gestis habet, hausta esse non possunt e Sallustii brevi enuntiato (fr. I 55): 'Magna gloria tribunus militum in Hispania T. Didio imperante, magno usui bello Marsico paratu militum et armorum fuit, multaque tum ductu eius peracta[1]) primo per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum celata sunt.' Longiorem autem earundem rerum enarrationem ex qua Plutarchus haurire potuisset, infra insecutam esse vetant et quae succedunt Sallustii verba quae iam ad rem plane diversam transgrediuntur et narrationis apud Plutarchum ordo; antecessisse vero ea omnino nego, cum nusquam quoad scimus tali modo se repetierit Sallustius! Neve e verbis Sallustii 'deinde per invidiam scriptorum celata sunt' elicias idcirco ipsum Sallustium gesta Sertorii non celare, sed celebrare voluisse: immo vero non potuit; namque res Sertorii ita oblivione obrutae erant, ut exstitisse eas, quod nemo scriptorum narravit, ipse tantum Sertorius facie sua testatus sit. Sed ad hanc narrationis brevitatem optime quadrant reliqua Sallustii fragmenta, quae huc pertinere iudicanda sunt, sicut de stipendiis a Sertorio mereri coeptis fr. inc. 65 D.: 'Togam paludamento mutavit', tum fr. inc. 76: 'Inter arma civilia aequi bonique famas petit', neque minus ea quae Sallustio apud Plut. c. 7 deberi iudicavimus. Etiam is, qui certe unum Sallustium exscripsit, Exuperantius, accuratioris de Sertorio narrationis initium sumit ab anno demum 83; et inde ab eodem anno etiam Plutarchum, quoniam cum Exuperantio et Sallustii fragmentis saepius congruit, Sallustio usum esse

1) 'Eiusque rapta' codd., correxit Mähly. — Ceterum 'manu' quod addidit Linker ('tum ductu eius ⟨manu⟩que curata') falsissimum est, namque de rebus fortiter manu gestis omnino nondum loquitur Sallustius.

constat, ita ut pro certo habere possimus Sallustium res a Sertorio inde ab anno 83 gestas plenius rettulisse. Sin Sallustius de Sertorii iuventute quasi transcursu breviterque egisse videtur, Plutarchus contra easdem res c. 2—5 multo auctiores exhibet, concludendum est non e Sallustio Plutarchum talia hausisse. Sed de Rhodano a Sertorio bello Cimbrico transnatato consentit idem cum Ammiano Marcellino et scholiasta Vergilii[1]), quam rem uterque e Liviana epitome repetiisse putandus est. Livii igitur libro 67 etiam Plutarchum haec debere haud negaverim. Item quae de rebus sub Didio in Hispania gestis narrat e Livii libro 70[2]) sumere potuit. Accedit, quod in narrando bello civili saepius cum Appiano et sua ipsius vita Marii ita convenit, ut communem fontem Graecum, fortasse Strabonem, certe non Sallustium habuisse videantur. —

Ut igitur summam faciam: omnia quae c. 2—5 continentur, praeter mediam capitis 4 partem ex aliis scriptoribus hausta sunt, Livio fortasse ac Strabone, cum Sallustius his de rebus Plutarcho non satis faceret; sed inde ab anno 83, a quo Sallustius sicut elucet ex Exuperantio, copiosius vitam Sertorii enarrare coepit, h. e. inde a capite sexto Plutarchus quoque eum fontem adhibuit. Quod iam satis demonstravit Peter partim Sallustii fragmentis cum Plutarcho collatis partim e Plutarchi cum Gellii et Valerii Maximi verbis congruentia, quae omnia repetere longum est. Praeter locos a Petero iam allatos etiam conferenda erunt Plut. c. 6: *τέλος δὲ Σύλλας Σκηπίωνι παραστρατοπεδεύσας καὶ φιλοφρονούμενος, ὡς εἰρήνης ἐσομένης διέφθειρε τὸ στράτευμα καὶ ταῦτα προλέγων Σκηπίωνι*

---

1) Amm. Marc. XXIV 6, 7: 'Et miratur historia Rhodanum arma et loricam retinente Sertorio transnatam' etc.; Schol. Bern. ad Georg. IV 108: 'ut in historia Sertorius effodit signa, pugnavit et victus est; vix ipse ut evaderet Rhodanum transnatavit.' Iniuria autem Wölfflin in Philol. XVII p. 547 haec verba Sallustii esse putavit; in quibus equidem reperire simile Sallustiani sermonis quicquam nequeo. Simillimo modo Livii vel Epitomae Livianae excerpta afferuntur saepius a commentatore Lucani, sicut II 367 (Usener.): 'dixit — — — respiciens historiam', V 577: 'in historia legitur' VIII 470: 'ut historia refert.'

2) Cf. per. 70: 'T. Didius proconsul adversus Celtiberos feliciter pugnavit.'

καὶ διδάσκων Σερτώριος οὐκ ἔπειϑε cum Exup. p. 4, 5: 'parato validissimo exercitu processere et vetante Sertorio colloquia consules permiserunt inter eum et Sullae exercitum et facta proditio est omnisque exercitus Sullae traditur' et Sall. fr. I. 57: 'Cuius adversa voluntate colloquio militibus permisso corruptio facta paucorum et exercitus Sullae traditus est'; tum Plut. c. 6: *παραλαβὼν δὲ ἔϑνη πρὸς ὅλην κακῶς διακείμενα τὴν ἡγεμονίαν, ἀνελάμβανεν ὁμιλίᾳ τε τοὺς δυνατοὺς καὶ φόρων ἀνέσει τοὺς πολλούς* cum Exup. p. 5, 5: 'Sed ubi in provinciam venit, ita strenue sociorum animos iam deficientes atque alia cupientes in favorem partium suarum modeste tuendo atque blandiendo perduxit, ut et carus esset et tamen ab omnibus timeretur' et Sall. fr. inc. 79: 'Modico quoque et eleganti imperio percarus fuit'; deinde Plut. c. 7: *Καλπουρνίου δὲ τινὸς ἐπίκλησιν Λαναρίου δολοφονήσαντος τὸν Ἰούλιον* cum Sall. fr.[1]): 'Salinator in agmine occiditur', mox ibidem: *αὐτὸς ὀλίγαις ναυσὶ τῆς μὲν ϑαλάσσης ὑπὸ τοῦ χειμῶνος εἰργόμενος, τῆς δὲ γῆς ὑπὸ τῶν πολεμίων* cum fr. inc. 35: 'Cum Sertorius neque erumpere tam levi copia navibus[2]) — — —'; postea vero Plut. c. 9: *ἔρωτα ϑαυμαστὸν ἔσχεν οἰκῆσαι τὰς νήσους κ. τ. λ.* cum fr. inc. 94: 'More humanae cupidinis ignara visendi', deinde Plut. c. 13: *προλοχίσας τὴν ὁδὸν ἐπανερχομένῳ τῷ Ἀκυΐνῳ τρισχιλίους ἄνδρας ἔκ τινος συσκίου χαράδρας ἐπανίστησεν* cum fr. inc. 42: 'Consedit in vallo virgulta nemorosaque', denique Plut. c. 21: *καὶ τῷ πανταχόσε φοιτᾶν ὀξὺς ἐπιών* cum fr. II 54: 'Noctu diuque stationes et vigilias temptare' et *τὰ δ' ἐκ ϑαλάσσης λῃστρικοῖς σκάφεσι κατέχων τὴν παραλίαν* cum fr. II 56: 'ad hoc pauca piratica, actuaria navigia.'

Seiungendus est capitis 9 finis, inde ab: *ἐνταῦϑα τὸν Ἀνταῖον οἱ Λίβυες ἱστοροῦσιν κεῖσϑαι*, quem e Strabone[3]) esse insertum post Niesium[4]) accuratius ostendit Otto. Sed

---

1) Apud comment. Luc. I 478 (Usener.).

2) Cuius fragmenti etsi non verba, tamen sententiam sic continuandam esse puto: '— — posset, impeditus tempestate neque terra, prohibitus ab hostibus.'

3) Cf. fr. 72 (Otto).

4) Mus. Rhen. XXXVIII p. 600, quem secutus est Vogel p. 52; Otto p. 286.

dissentio ab eodem, cum a Sallustio capitis 8 partem posteriorem abiudicet. Etenim cf. *αἳ δύο μὲν εἰσὶν, λεπτῷ παντάπασι πορθμῷ διαιρούμεναι, μυρίους δ' ἀπέχουσι Λιβύης σταδίους καὶ ὀνομάζονται Μακάρων*, et mox *καὶ καρπὸν αὐτοφυῆ φέρουσιν* cum fr. I 61 D: 'quas duas insulas propinquas inter se et decem ⟨milia⟩ stadium procul a Gadibus sita constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere', deinde *αὐτόθι τὸ 'Ηλύσιον εἶναι πεδίον καὶ τὴν τῶν εὐδαιμόνων οἴκησιν, ἣν Ὅμηρος ὕμνησεν* cum Serv. ad Aen. V 735 (Sall. fr. I 62): 'insulae fortunatae, quas ait Sallustius inclutas esse Homeri carminibus.' Reliqua autem ex ipso Homero Od. IV v. 562 sq., quippe quem laudaverit etiam Sallustius supplesse Plutarchus atque sic Sallustium Homerumque contaminasse videtur, neque de fonte medio Strabone cum Ottone cogitare cogimur. — Hoc unum etiam moneam, Plutarchum semper fere secundum temporum ordinem bellum enarrasse; atque c. 12 breviter res a Sertorio usque ad Pompeii in Hispaniam adventum gestas enumerat; deinde singula quaedam ex his annis plenius enarrat capitibus 13—17, sicut Metelli ad Lacobrigam expeditionem anno 79 susceptam c. 13, exin c. 14 leges institutaque quibus Sertorius annis 78 et 77[1]) Hispaniam administraverit, tum c. 15 Perpernae cum Sertorio consociationem anno 76 factam. Itaque Sertorii prospera in Characitanos expeditio, de qua c. 17 agitur, eodem illo anno 76 facta esse videtur. Etiam quae sequuntur capita 18—26 temporum ordinem servant exceptis capitibus 16 et 22, quibus narratiunculas singulas e Sallustii aliorumve auctorum diversis locis excerptas congessit.

In vita Pompeii c. 17—20 quam post alias huius aetatis vitas composuisse Plutarchus videtur, complura e sua Sertorii vita repetivit.[2]) Praeterea quae habet, pleraque etiam e Sallustio hausta esse videntur, sicut c. 17 de rebus urbanis

---

1) Cf. Dronke l. l.

2) Inepte vero Vogel l. l. p. 13 hanc congruentiam ea e re explicandam contendit, quod utraque vita e Graeco quodam fonte communi, scilicet Strabone, fluxerit: nempe oblitus est saepissime Plutarchum sese ipsum exscripsisse vel eadem excerpta sua quam plurimis posset in vitis adhibuisse.

Philippique in Pompeium dicto[1]), deinde c. 20 de Pompeii epistola Romam ad senatum scripta, quod congruit cum Sallustiana epistula Pompeii et vit. Luc. c. 5, denique de Perperna a Pompeio victo, quod consentit cum Front. II 5, 32. — Itaque etiam cetera quae nova affert hac in vita Plutarchus, Sallustio attribuenda esse non est cur negemus, sicut c. 18 de pugna ad Valentiam facta, c. 19 de vulnerato Pompeio, ibid. de ducibus Romanis obviam factis, quae res amplissime neque sine Pompeii obtrectatione descripta optime, si quid, ad Sallustii narrandi genus quadrat.

§ 3. Appiani libri primi finem e Sallustio excerptum esse iam antea contendi et de capite 107 demonstrare studui; nunc idem ut faciamus, poscimur de cap. 108—115, quibus bellum Sertorianum enarratum est. — Initio autem quam brevissime Appianus enumerat res annis 82—77 gestas, deinde a Pompeii in Hispaniam profectione, i. e., si mecum facis, inde ab Sallustii libro secundo res paullo amplius tractat. Sed etiam breviore in illa parte Sallustius cognoscitur; initium quidem e sua ipsius narratione (b. c. I 86) repetit, sed quod sequitur: *καὶ στρατὸν ἔχων ἔκ τε Ἰταλίας αὐτῆς καί τινα ἄλλον ἐκ Κελτιβήρων ἀγείρας* excerptum est e Sallustii exercitus Sertoriani descriptione, cuius reliquias reperimus etiam apud Plut. Sert. 12. Deinde *ἐπίδοξος ἦν στρατεύσειν ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν* respondet simili apud Sallustium sententiae, cf. ep. Pomp. § 4: 'Hostesque in cervicibus iam Italiae agentes ab Alpibus in Hispaniam submovi.' De Pompeii vita moribusque cum ille in Hispaniam mitteretur Sallustius fusius disputavit;[2]) apud Appianum remanserunt breviora: *νέον μὲν ἔτι ὄντα, περιφανῆ δ' ἐξ ὧν ἐπὶ Σύλλα περί τε Λιβύην καὶ ἐν αὐτῇ Ἰταλίᾳ κατείργαστο.* De itinere Alpino Pompeii c. 109: *οὐ κατὰ τὴν Ἀννίβου μεγαλουργίαν, ἑτέραν δ' ἐχάρασσεν ἀμφὶ ταῖς πηγαῖς κ. τ. λ.* cf. cum ep. Pomp. § 4: 'Per eas iter aliud atque Hannibal nobis

---

1) Cf. Schol. Gron. p. 442 (Orell.).

2) Cf. fr. II 11. 12. 71. 86 et quae habet eodem connexu Plut. Sert. 18: *οὐ γάρ τι μικρὸν ἦν τὸ Πομπηίου κλέος ἀλλ' ἤνθει τότε μάλιστα πρὸς δόξαν ἐκ τῶν περὶ Σύλλαν ἀνδραγαθημάτων, ἐφ' οἷς καὶ Μάγνος ὑπ' αὐτοῦ ἐπωνομάσθη τιμῶν τε θριαμβικῶν οὔπω γενειῶν ἔτυχεν.*

opportunius patefeci'; quod autem mox flumina Rhodanum et Padum describit, optime cum Sallustio rerum geographicarum studioso convenit. Pugna Lauronensi legionem totam caesam esse cum Frontino[1]) consentit, Livius contra eodem Frontini loco decem milia militum interfecta dixit. Mox cf. *καὶ Λαύρωνα πόλιν ἐφορῶντος αὐτοῦ Πομπηίου διήρπασε καὶ κατέσκαψεν* cum Plut. Pomp. 18: *ἐπεῖδε καταπιμπραμένην τὴν πόλιν αὐτοῦ παρόντος.* Hieme 76/75 Metellum vicina Pompeio castra habuisse tradidit Sallustius, cum Livius illum in ulteriore provincia hiemantem faceret; Appianus vero hac in re cum Sallustio facit cf. c. 110: *ἐπήεσαν ἀλλήλοις Μέτελλος μὲν καὶ Πομπήιος ἀπὸ τῶν Πυρηναίων ὀρῶν ἔνθα διεχείμαζον.* Fabellam illam de cerva alba Sertorii quae post pugnam Sucronensem effugerat, sed mox reperta est, memorat aeque atque Plut. Sert. 20[2]) et Gellius XV, 22; quoniam autem e Sallustio illos hoc hausisse certum est, Appianus hanc narratiunculam nisi e Sallustio habere non potuit. Praeterea cf.: *ἀγῶνα μέγαν ἠγωνίσατο περὶ Σαγουντίαν* cum Plut. Sert. 21: *Ἠγωνίσθη δὲ λαμπρῶς παρ' ἀμφοτέρων.* Etiam in singulis proelii Saguntini rebus conveniunt Plutarchus et Appianus. De deficientibus Romanis proscriptisque a Sertorii partibus Appianus c. 112 contra Livium facit et id agere videtur ut Sertorium excuset; cf. Liv. per. 92: 'Q. Sertorii multa crudelia in suos facta (scil. continet), qui plurimos ex amicis et secum proscriptis crimine proditionis insimulatos occidit.' Contra Appianus[3]) non solum 'crimine proditionis insimulatos', sed re vera deficere proscriptos, neque Sertorium occidere eos, sed *χαλεπαίνειν* et *λυμαίνεσθαι* tantum iis enarrat, tum statim laudem eximiam Sertorii addit et cum Hannibale eum com-

1) II 5, 31, quo de exemplo infra disseretur.

2) Hanc aliasque Appiani cum Plutarcho congruentias vidit etiam Vogel l. l. p. 23, sed hic semper Strabonem fontem esse mira perseverantia contendit.

3) Falsissime vero leviterque Neumann II p. 52 cum hoc Appiani capite Plut. 25 comparat, quod de re biennio demum postea gesta agit. Eodem errore implicitus est Vogel p. 23. Neque debuit Neumann rem ab Appiano narratam in suspicionem vocare, praesertim cum idonea nequiret afferre argumenta.

parat, quod secundum Sallustium eum fecisse intellegimus collato Plut. Sert. 1. — Etiam de postrema Sertorii vita et de coniuratione Perpernae non recedere a Sallustio Appianus c. 113 mihi videtur. Neque enim Appianus Plutarchusque de postremis Sertorii rebus sibi contradicunt, optime vero sese complent coniungique possunt. Ita enim narrasse Sallustium puto: primum invidia Romanorum auctore Perperna orta est (Plut. Sert. 25), tum eorum fraudibus *ἀποστάσεις ἐγίγνοντο καὶ ταραχαὶ περὶ τὰς πόλεις*, deinde Sertorius magna severitate in Hispanos animadvertit obsidesque Oscae habitos interfecit (Plut. App. l. l.); simul mutatio magna morum vitaeque Sertorii facta est (App.), quam quidem excusat Sallustius[1]) (cf. App.: *βλάπτοντος ἤδη θεοῦ*, coll. Plut. Sert. 10), denique his de causis coniuratio facta est Perpernae aliorumque. Plutarchus autem ea quae opprobrio Sertorio erant omisit hoc loco, attamen talia in Sallustio se legisse testatur ipse 10: *καίτοι δοκεῖ περὶ ἔσχατον αὐτοῦ βίον ὠμότητος καὶ βαρυθυμίας τὸ περὶ τοὺς ὁμήρους πραχθὲν ἔργον ἐπιδεῖξαι τὴν φύσιν οὐκ οὖσαν ἥμερον κτλ.*

Priorem Perpernae coniurationem casu detectam esse Appianus c. 113 aeque atque Sall. fr. III 2 et 3 narrat. Deinde de Perperna post cladem capto cf. App. c. 115: *ὁ μὲν Περπέννας ὑπὸ θάμνῳ πόας ἐκρύφθη, — — λαβόντες δ' αὐτὸν ἱππεῖς τινὲς εἷλκον ἐς τὸν Πομπήιον* et Amm. Marc. XXVI 9, 9: 'Ad veteris Perpernae exemplum, qui post Sertorium inter epulas obtruncatum dominatione paullisper potitus a frutectis, ubi latebat, extractus oblatusque Pompeio eius iussu est interfectus' cum Sall. fr. III 5: 'Et Perpernam forte cognoscit mulio redemptoris', uterque igitur ad Sallustium redit. Denique de Perpernae morte accurate conspirant Plut. Sert. 27 et Pomp. 20 cum App. c. 115.

Itaque Sallustium fontem hac quoque in parte statuen-

---

1) Minime vero putandum est Sallustium ea quae iniqua Sertorio essent consulto omissurum fuisse. Namque postquam Sertorius cum acerbissimo patriae hoste Mithridate anno 75 foedus fecit, plerique popularium eum deseruisse videntur (cf. App. c. 112); et abhinc Sallustius non iam adeo, ut antea, favet illi, qui non princeps partium suarum, sed populi Romani proditor hostisque extiterat.

dum esse si recte disputavimus, etiam intellegitur cur errores tam horribiles committere potuerit Appianus, nimirum aeque atque in coniuratione Catilinaria[1]) multa Sallustii non percepit vel falso vertit vel cum abbreviare vellet plane confudit. Sic etiam his de bello Sertoriano capitibus nonnulla, quae taeterrime confusa reperiuntur, explicanda esse puto. Velut c. 109 de Rhodano ac Pado: *οἳ ἀνίσχουσι μὲν ἐκ τῶν Ἀλπείων ὀρῶν οὐ μακρὰν ἐπ' ἀλλήλων*, deinde c. 110 de pugna Sucronensi: *καὶ συμβάλλουσιν ἀλλήλοις περὶ πόλιν ᾗ ὄνομα Σούκρων*, quamquam prope flumen Sucronem pugna fuit. Mox autem Metellus proelio interfuisse negligenter commemoratur, re vera multum a Sucrone spatium absens; deinde cum de Pompeio dicit: *ἐτρώθη δόρατι εἰς τὸν μηρὸν ἐπικινδύνως*, pessime haec confudit cum vulnere Metello ad Saguntium illato.[2]) Tales errores non fonti eius (minime vero Straboni) addici posse sed ipsi Appiano minorum rerum neglegentissimo recte Buresch docuit. Eandem ob causam Straboni Sallustianam memoriam Appianum debere (quod quidem per se fieri potuit) negaverim, contenderim vero Sallustii aeque ac coniurationem Catilinariam etiam historias ab Appiano lectas esse.

Addendum est initio capitis 111 summam Appianum omnium bellorum annis 76—72 i. e. olympiade 176 gestorum enumerare, quam certe non Sallustio, Graeco potius alicui scriptori[3]) debet.

§ 4. Iam aggrediamur ad eos qui exempla collegerunt, Valerium Maximum et Frontinum. — Ac primum Frontinus quidem exemplum I 10, 1, quod notam illam de duobus equis fabulam refert, quoniam etiam in verbis cum Plut. Sert. 16 et Valer. Max. VIII 3, 6 congruit, e Sallustio hausit; ad eandem rem alludit etiam Horatius epist. II 1, 45 et Plinius epist. III 9, 11, quos hoc in Sallustio legisse puto. — Deinde I 10, 2 (de proelio quodam equestri) accurate consentit cum Plutarcho,

---

1) Cf. Buresch in „comment. Ribbeck.“ p. 232.

2) Cf. Sall. fr. II 19: ‘Avidis ita atque promptis ducibus, ut Metellus ictu tragulae sauciaretur.’

3) E Castoris chronographia haec fluxisse Arnold l. l. p. 105 coniecit; sed potius de Strabone cogitandum est.

sumpsit igitur haec e Sallustio. — I 11, 13 (de alba Sertorii cerva) ita cum Gellio XV 20, Plut. Sert. 11 et 20, App. I 110, Val. Max. I 2, 4 conspirat, ut una cum his scriptoribus ad Sallustium redeat. Frontinum et Valerium hanc rem exemplorum collectioni cuidam debere Fritze[1]) nuperrime contendit; cum vero ipsius Valerii verba non iam exstent, iusto audacius esse mihi videtur, si hunc et Frontinum artius inter se cohaerere quam ceteros scriptores statuamus. — Eandem rem narrat etiam Plinius n. h. VIII 117, cuius index[2]), si Flavium Procilium[3]) omittimus, nullum[4]) exhibet talis fabulae auctorem nisi Fenestellam. Fortasse igitur Plinius id e Fenestella, Fenestella e Sallustio excerpsit.

I 12, 4 de prodigio quod Sertorio anno 75 contigit, Livio[5]) deberi docet Obsequens c. 60. — II 1, 2 quo clades aliqua Hirtuleii narratur, ad proelium apud Italicam inter Metellum atque Hirtuleium commissum pertinere videtur, cum ad id 'fervidissimum tunc tempus anni' non minus quam facilis Metelli victoria quadret, deinde cum pugna Segoviensis (v. infra) plane aliter gesta sit. — II 3, 5 (de altera Hirtuleii clade), ubi e verbis: 'eo proelio, quo Hirtuleium devicit' et ex ipso strategemate, quo elucet exercitum Hirtuleianum ducemque plane deletum iri, conicere licet, hanc esse pugnam Segoviensem. De utriusque exempli fonte[6]) cum ab aliis scriptoribus plane destituti simus, nihil dicere ausim.

II 5, 31 (de proelio Lauronensi et morte Laelii legati) secundum Sallustium narratum est; recte enim Wölfflin[7]) verba '(Hispanos) — — aptissimos ad furta bellorum' e Sallustiano usu dicendi deprompta esse collato fr. I 86: 'metu gentis ad furta belli peridoneae' intellexit. — Etiam in proelio descri-

1) „De Iuli Frontini strategematon libro IV“ (diss. Hal. 1888).

2) Cf. Brunn l. l. p. 14.

3) De quo cf. Sprengel in Mus. Rhen. XLVI p. 69.

4) Nisi forte Sallustii nomen in indice librariorum culpa excidisse putas.

5) Levissime Bludau „de fontibus Frontini“ neglecto Obsequente hoc exemplum Sallustio vindicavit.

6) Nimirum Bludau, quamquam quibus de pugnis his exemplis agatur nescit, tamen bene scit ea e Sallustio hausta esse.

7) Herm. IX p. 82, cui assensus est Bludau.

bendo Frontinus cum Sallustio[1]) congruere videtur; legionem unam periisse cum Appiano b. c. I 109 convenit. Postremo numerum occisorum Romanorum alterum e Livio, quem laudat, addit.[2]) — II 5, 32 (de Perpernae per Pompeium clade), cum conspiret cum Plut. Pomp. 20 et App. I 115, Sallustii esse videtur. — II 7, 5 de pugna Sucronensi agit; simul ex hoc exemplo elucet Segoviense proelium mortemque Hirtulei paucis diebus ante Sucronense accidisse. — II 12, 2 (de Chauca oppido a Pompeio occupato) ad annum fere 74 referendum esse supra disputavi. — II 13, 3 (de fuga Sertorii post pugnam Saguntinam vafre parata) Sallustio[3]) deberi auctori puto, cf. 'ne fugam quidem sibi tutam arbitratus abire dispersos milites iussit' cum Plut. Sert. 21: *ἐκείνοις τε φυγὰς ἀδεεῖς μηχανώμενος κτλ.*

Ad res nobis minus notas pertinent Frontini exempla haece: I 5, 1, quo Sertorius coram hostibus flumen transiisse refertur et quod fortasse ad res post pugnam Sucronensem gestas referri potest. — I 5, 8, quo Hirtuleius per angustias reditum sibi tutum facere dicitur, quod non sine veri specie quadam ad fugam Hirtulei in Lusitaniam a Metello Italicae pulsi pertinere putari potest. — II 1, 3, quod e verbis 'iunctis cum Pompeio castris' concludatur forsitan aut ad annum 76 aut ad pugnam Sucronensem, post quam duo imperatores exercitum aliquamdiu coniunxerant[4]), spectare.

II 12, 2 (de clade equestri Romanorum), ubi e verbis: 'hostium equitatui maxime impar' forsitan elicias haec initio belli facta esse. — De Ps. Front. IV 5, 19, quo Consaburram per Hirtuleium obsessam fameque vexatam esse memoratur, nihil amplius scimus.

Deinde Valerii Maximi exempla I 2, 4, VII 3, 6, IX 1, 5 e Sallustio excerpta esse supra edocuimus.[5]) Reliquum est exemplum VII 6, ext. 3 de Calagurris obsidione, cuius verba:

---

1) Cf. fr. II 15 et 16.

2) Iniuria enuntiatum quo Livius laudatur Gundermann in annal. philol. XVI suppl. p. 369 sustulit.

3) Ad Livium hoc exemplum redire negligenter iudicat Edler p. 37.

4) Hoc voluit Drumannum secutus Edler p. 34.

5) Nimirum praeeunte viro doctissimo Kempfio in edit. praef. p. 17.

'infelices cadaverum reliquias sallire non dubitavit' e Sall. fr. III 6: 'Parte consumpta reliqua cadaverum ad diuturnitatem usus sallerent' petita esse apparet; itaque Sallustio debetur fonti. Eiusdem rei mentionem quoque facit Iuvenalis sat. XV 93 sq. — Denique IX 15, 3 (de filio Sertorii falso) rem tradit aliunde non notam.

Restant minoris momenti quidam scriptores, e quibus primum adeamus Florum II 10. Qui complures hoc capite commisit errores, sicut Baleares insulas pro Pithyusis nominat, deinde Domitium rhetorici flosculi causa inter legatos Metelli numerat (v. supra). Mox oratorie 'Hirtuleios' commemorat ut significet Hirtuleium quaestorem, Herennium aliosve duces; qua Flori voce decepti[1]) Orosius atque auct. d. vir. ill. 63 'fratres Hirtuleios' ad Segoviam mortuos esse sibi finxerunt; at omnino non fratres sed unum Hirtuleium extitisse e Frontino, Livio, Sallustio satis superque elucet. Postremo quae narrat de Osca, Termeste, Clunia, Valentia, Uxama, Calagurri a Romanis subactis, cum conveniant cum Exup. p. 5, 16[2]), discrepent ab Orosio V 23, 4: 'civitatibus vero cunctis ultro ac sine mora per deditionem acceptis duae tantum restiterunt, hoc est Uxama et Calagurris', e Sallustio addita sunt.

Strabonem cuius hypomnematum fragmentis 72—75 (Ott.) de bello Sertoriano agitur, varios auctores adhibuisse per se patet. Ac primum de Sertorio in Libya morante (fr. 72 et apud Plut. Sert. 9) Tanusium Geminum[3]) laudat. Maximi sunt deinde momenti quae fr. 73 et 74[a] de postremis Sertorii Romanorumque pugnis narrantur, sed quem ad fontem redeant non liquet. Frag. 74[b] (de Dianio portu) fortasse ex Sall. fr. I 77 et fr. 75 (de tropaeis a Pompeio positis) e Sall. fr. IV 29 (quocum conferas Exup. p. 5, 18) haustum est.

Plinius n. h. VII 95—96 de iisdem tropaeis disserit sed multo copiosius quam Sallustius ac Strabo; cum autem index praeter Cornelium Nepotem Livium praecipue appellet, atque

1) Neque vero minus recte hunc errorem epitomae Livianae attribuas, ex qua aut tres illi aut Orosius Aureliusque hauserunt.

2) Hoc quidem iam Linker viderat, neque minus Heyn. p. 52.

3) *Γαβίνιος* vel *Τανίσιος* codd., *Τανύσιος* coni. Niese in Mus. Rhen. XXXVIII 601.

ipsa res ad extollendum Pompeium narrata esse videatur, Livio hanc Plinii particulam addixerim.

Velleius belli Sertoriani breviter mentionem facit II 30 et 90. — Auctor de vir. ill. 77 famosum illud Philippi de Pompeio dictum commemorat, quod certe neque e Cicerone neque e Sallustio sumpsit, incertum vero, ex Liviana epitome an e Nepote.

Polyaenus VIII 22 fabulam de alba cerva e Plutarcho verbo fere tenus excerpsit.

Diodori longius de bello Sertoriano fragmentum servatum est, XXXVII fr. 22[a] (Dindorf), quo postrema Sertorii facta enarrantur. Diodorus autem quos habuerit hac de aetate fontes nondum satis quaesitum est; certo Posidonium non iam adhibere potuit. Sed equidem putaverim, postrema huius fragmenti verba: *ὁ Σερτώριος ἀνακλιθεὶς ἀνὰ μέσον Ταρκυιτίου καὶ Ἀντωνίου ὑπὸ τούτων ἐσφάγη* procul dubio fluxisse e nota illa Sallustii descriptione, cf. fr. III 4: ‘Igitur discubuere: Sertorius inferior in medio, super eum L. Fabius senator ex proscriptis; in summo Antonius et infra scriba Sertorii Versius; et alter scriba Maecenas in imo medius inter Tarquitium et dominum Perpernam.’ Neque enim diversam a Sallustio aliquam memoriam praebere Diodorus potest, quoniam eo ordine, quem refert, si quidem verbo tenus interpretamur, accubari omnino non potuit[1]); negligenter autem Sertorium inter Tarquitium et Antonium sedentem facit, omissis scilicet iis, qui interpositi erant. Quos etiam Plutarchus, cum Sallustium excerperet, neglexisse videtur cf.: *Ἀντώνιος ὑπερκατακείμενος παίει τῷ ξίφει τὸν Σερτώριον.* Praeterea compluribus in rebus singulis hoc Diodori fragmentum congruit cum Appiano, a quo Sallustium esse excerptum supra ostendimus; accedit, quod certo Diodorus anno 21 a. Chr. n. i. e. Sallustio iam mortuo historiisque diu editis scribendi nondum finem fecerat[2]). Quare non prorsus denegandum existimo, Sallustii historiis Diodorum in bello Sertoriano enarrando esse usum.

Deinde exiguum illud fragmentum XXXVIII 22, 2: *ἀκα-*

---

1) Cf. Becker, Gallus III[3] p. 265; Serv. ad. Aen. I 698.

2) Cf. Diod. XVI 7 cum Dione Cassio LIV 7.

τάσχετος γάρ τις ὁρμὴ τοῖς βαρβάροις ἐνέπεσε τῆς πρὸς Ῥωμαίους ἀποστάσεως ad Pompeii in Hispaniam adventum pertinere mihi videtur, cf. Plut. Sert. 18: *ὅθεν καὶ πολλαὶ τῶν ὑπὸ Σερτωρίῳ πόλεων ἀποβλέψασαι πρὸς αὐτὸν ὁρμὴν μεταβολῆς ἔσχον.*[1])

Suidas denique duo fragmenta Graeca quae ad bellum Sertorianum spectant servavit, primum s. v. *ἀποκινδυνεύοντος*: *Ὁ δὲ Σερτώριος ὁ τῶν Ῥωμαίων στρατηγός, καίπερ θρασέως τῶν Ἰβήρων ἐκ τοῦ τὰ πλείω κατορθοῦν ἐχόντων οὐκ ἀποκινδυνεῦσαί ποτε ἐτόλμησεν*, alterum s. v. *δῆθεν*: *Ὁ δὲ Σερτώριος παρῄνει ὡς δῆθεν αὐτοῖς παραδοῦναι τὴν πόλιν*, qui loci cum ex 'excerptis *περὶ ἀρετῆς*' sumpta sint[2]), aut Diodori aut Dionis Cassii sunt. Ille autem locus fortasse ad idem equestre proelium, de quo agit Plut. Sert. 16, pertinet; alter ad obsidionem aliquam referendus est.

Ceterum Livius, quem adhuc omisi, quos habuerit fontes enucleari non iam potest. Sallustii in reliquiis Livianis nullum extat vestigium; auctor vero Livii non adeo a popularium partibus stat quantopere Sallustius; sed num fuerit Sulpicius Galba, quem de pugna Lauronensi laudat Orosius, incertum manebit.

Caput IV

De tumultu fugitivorum

Seditionis gladiatoriae, quam coepisse anno 73[3]) constat, res gestae omnes fere cum notissimae sint, id unum quaeritur, quonam anno M. Licinius Crassus imperium contra servos gerendum susceperit. Namque Mommsen[4]) iam anno 72 Crassum

1) Etiam latinos legisse auctores Diodorum defendit E. Meyer in Mus. Rhen. XXXVII p. 611; cf. praetera Thouret in annal. philol. suppl. XI p. 174 adn. — Librorum 37 et 38 fontem Livium esse, qui hunc ubique reperire vult, Klebs l. l. p. 43 statuit; de Sallustio coniurationis Catilinariae apud Diodorum auctore cogitaverat dubitans Dübi in annal. philol. 1876 p. 878.

2) Cf. de Boor in Herm. XX p. 382.

3) Ridiculis argumentis O. Schambach „der ital. Sklavenaufstand“, (progr. Halberstadt. 1872) ortam esse seditionem iam anno 74 contendit.

4) Cui assensus est Neumann II p. 65 adn.

missum esse conclusit et e verbis Plut. Crass. 10: *ταῦθ' ἡ βουλὴ πυθομένη τοὺς μὲν ὑπάτους πρὸς ὀργὴν ἐκέλευεν ἡσυχίαν ἄγειν*, et ea e re, quod hieme Spartacus in Bruttio circumvallatus esse narratur. Neque vero e Plutarcho elici quicquam posse existimo nisi consulibus imperium non prorogatum esse; praeterea ex Appiani[1]) verbis minime obscuris c. 118: *τριέτης τε ἦν ἤδη καὶ φοβερὸς αὐτοῖς ὁ πόλεμος* satis superque elucet, anno demum 71 Crasso imperium mandatum esse. Accedit quod, quae Appianus c. 117 de fugitivis Thuriis morantibus narrat, ad hiemantem exercitum referenda sunt, pertinent igitur ad hiemem 72/71. — Evasit autem Spartacus a Crasso circumclusus brevi ante quam totius belli finis factus est Pompeio iam in Italiam transgresso i. e. circa mensem Novembrem anni 71.[2]) Atque iam intelleges, cur Spartacus *νύκτα νιφετώδη καὶ πνεῦμά τι χειμέριον παραφυλάξας* Crassi stationes perruperit.

Iam in fontes, quibus usi esse scriptores videantur inquiramus. Ac Plutarchum Sallustio primario fonte usum esse Peter[3]) satis comprobavit[4]) e fragmentis eius compluribus, quae apud Plutarchum excerpta vel in Graecum translata reperimus. Praeter locos a Petero laudatos conferre iubeam Plut. c. 8: *Σπάρτακος — — οὐ μόνον φρόνημα μέγα καὶ ῥώμην ἔχων* cum Sall. fr. III 13: 'Ingens ipse virium atque animi'; Plut. c. 10: *μέγα μὲν οὖν καὶ χαλεπὸν τὸ ἔργον, ἤνυσε δὲ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ* cum Sall. fr. ap. Serv. ad. Verg. Georg. I 287[5]): 'Diu noctuque laborare, festinare', Plut. c. 11: *πολλῶν ἐκ διαφορᾶς ἀποστάντων αὐτοῦ* cum fr. IV 12:

1) Quod ab Eutropio VI 7 etiam confirmatur: 'post multas calamitates Italiae tertio anno bello huic finis impositus.'

2) Etenim contio Pompeii triumphusque exeunte mensi Decembri Romae habita sunt. Ceterum Livii periocha 96 non contra nos facit, quippe quae nihil doceat nisi Livium res autumno 72 et anno 71 gestas continua narratione complexum esse.

3) l. l. p. 109.

4) Inepte Schambach l. l. p. 9 praeter Sallustium etiam Caecilii de bellis servilibus librum Plutarchi fontem esse coniecit; sane rhetorica eiusdem opera cognovit Plutarchus, sed historici nullum in vita Crassi potest indagari vestigium.

5) Cf. schol. Bern. ad eundem locum.

'dissidere inter se coepere neque in medium consultare'; *ὀφθέντες δ' ὑπὸ δυεῖν γυναικῶν προθυομένων τοῖς πολεμίοις ἐκινδύνευσαν* cum fr. IV 15: 'Cum interim lumine etiamtum incerto duae Galliae mulieres conventum vitantes ad menstrua solvenda in montem ascendunt.' — Ceterum rectam esse Peteri sententiam vel ea re confirmatur, quod Plutarchus a Livio nonnumquam dissentit. Sicut c. 8 duodeoctoginta facit gladiatores fugientes, Livius[1]) contra septuaginta quattuor; c. 11 pugna ad Camalatrum facta 12300 fugitivos occisos esse commemorat, cum Livius[2]) e more suo numerum habeat multo maiorem. Attamen prodigium illud, quod Spartaco Romae evenerat, Plutarchum[3]) non e Sallustio sumpsisse credo, sed ut hoc genus plura Livio debere.

Apud Florum II 8 plura quam alias Sallustii conspiciuntur vestigia.[4]) Velut de apparatu bellico a Spartaco instituto: 'adfluentibus in diem copiis[5]), cum iam esset iustus exercitus, e viminibus pecudumque tegumentis inconditos sibi clipeos, e ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt' etc., quod accurate consentit cum Sall. fr. IV 1 et 2. Deinde de funere quod Spartacus Crixo a Romanis caeso facit, dissentit a Livio[6]), qui hoc in honorem matronae necatae factum esse inepte narrat; cum autem cum Appiano c. 117 de eadem re congruat, non dubito quin uterque hoc e Sallustio hauserit. Denique de conatu Spartaci in Siciliam transgrediendi verbis fere convenit cum Sall. fr. IV 8. Verba autem 'effracto Lentuli ludo', quae etiam apud Eutropium[7]) leguntur, e Livio[8]) translata esse videntur.

Appianum reliquum est ut demonstrem etiam his capiti-

---

1) Oros. V 24, 1; Eutrop. VI 7; per. 95; Vell. II 30.

2) Oros. l. l., per. 97.

3) c. 8: *Τούτῳ δὲ λέγουσιν, ὅτε πρῶτον ἐς Ῥώμην κτλ.*; cf. etiam Iudeich p. 45 et Otto p. 264.

4) Sicut iam viderat Heyn p. 52.

5) Et verba: 'adfluentibus in diem copiis cum iam iustus esset exercitus' ex Sallustiano sermone deprompta esse collato Sulpic. Sev. chron. II 20, 2 vidit Vogel in act. sem. Erlang. II p. 438.

6) Cf. Oros. l. l. § 3.

7) Similiter autem Oros. et Vell. l. l., per. 95.

8) Iniuria igitur Vogel hunc sermonis flosculum Sallustio tribuit.

bus Sallustium usurpasse fontem. Atque c. 116 de primo fugitivorum bellico ornatu, cum arma sibi e curribus obviam factis rapuerint consentit Appianus: *καὶ τινῶν ὁδοιπόρων ξύλοις καὶ ξιφιδίοις ὁπλισάμενος* cum Plutarcho: *ἐντυχόντες δὲ κατὰ τὴν ὁδόν κ. τ. λ.*; simul autem denuo negligentiam illam Appiani latinum auctorem excerpentis deprehendimus. Eandem rem longe aliter tradidit Livius, cf. Vell. II 30: 'raptis ex ea urbe gladiis.' De multitudine agresti ad Spartacum properante cf.: *ἔνθα πολλοὺς ἀποδιδράσκοντας οἰκέτας καί τινας ἐλευθέρους ἐκ τῶν ἀγρῶν ὑποδεχόμενος* cum Plut. c. 9: *καὶ προςεγίγνοντο πολλοὶ τῶν αὐτόθι βοτήρων καὶ ποιμένων αὐτοῖς, πλῆκται καὶ ποδώκεις ἄνδρες.* De clade Varinii mire consentiunt Appianus Plutarchusque, cum uterque etiam equum praetoris a fugitivis captum esse cemmemoret. Mox de aucto in Lucania Spartaci exercitu Appianus: *Σπαρτάκῳ μὲν ἔτι μᾶλλον πολλοὶ συνέθεον* congruit cum Floro l. l., cf. Sall. fr. Vatic. col. VI: 'Augeretur numerus lectis viris', quod paullo infra col. VII—VIII copiosius enarratur; in ipsis vero numeris dissentit a Livio.[1]) Arma a fugitivis esse comparata (*ὅπλα ἐχάλκευε καὶ παρασκευὴν συνέλεγεν*) similiter refert Florus § 6, quem hunc locum e Sallustio hausisse supra dictum est. De priore autem Spartaci vita graviter discrepat Appianus a Livio, cf. Flor. § 8: 'ille de stipendiario Thrace miles, de milite desertor, de desertore latro, deinde in honorem virium gladiator', contra Appianus: *ἐστρατευμένος ποτὲ Ῥωμαίοις, ἐκ δὲ αἰχμαλωσίας καὶ πράσεως ἐν τοῖς μονομάχοις ὤν*, quod quodammodo consentire videtur cum Varronis 'de rebus urbanis' fragmento[2]): 'Spartaco innocente coniecto ad gladium.' Deinde c. 117 Appianus eodem quo Plutarchus errore[3]) narrat Crixum a Gellio consule caesum esse, cum accuratius Liv. per. 96 tradiderit Q. Arrium praetorem, qui sub Gellio militasse putandus est, eum vicisse. Tum et Florus et Appianus de funere Crixi a Spartaco splendidissime habito congruunt, cum Livius plane aliam habuerit memoriam; mox cf.: *καὶ χρυσὸν μὲν*

---

1) Cf. Oros. V 24, 2 et schol. ad Luc. II 554 (Usen.).
2) Apud Charis. p. 133 K.
3) Qui negligentiae cuidam Sallustii attribuendus erit.

καὶ ἄργυρον τοὺς ἐμπόρους ἐσφέρειν ἐκώλυε καὶ κεκτῆσθαι τοὺς ἑαυτοῦ cum Plinio n. h. XXXIII 49: '— — — cum sciamus interdixisse castris suis Spartacum, ne quis aurum haberet aut argentum; tanto plus fuit animi fugitivis nostris.' Plinii index[1]) huius rei auctorem profert aut Varronem aut Atticum: procul dubio Varro, et rerum urbanarum quidem libro aliquo, haec enarravit Pliniique auctor fuit. Varronis autem et Appiani congruentia inde explicanda erit, quod uterque haec e Sallustio hausit. — Praeterea cum verbis Appiani: *καὶ θαμινὰ ἐπὶ λεηλασίας ἐξῄεσαν* Sall. fr. IV 3: 'Rursus iumenta nancti ad oppidum ire contendunt' arte coniungendum est. Tum c. 118 de supplicio, quo duas legiones affecit Crassus, convenit[2]) cum Plut. c. 10, quem e Sallustio hoc hausisse constat. Simul altero e fonte verbis *οἱ δ' οὐχ' οὕτως νομίζουσιν* alteram de supplicio illo memoriam prorsus fabulosam inserit. Atque abhinc usque ad capitis 119 finem secundarium hunc fontem secutus est, namque nihil fere eorum quae narrat apud Plutarchum legitur, immo vero nonnulla ei contradicunt. Velut verbis *αὐτίκα μυρίων Σπαρτακείων ἐφ' ἑαυτῶν που στρατοπεδευόντων ἐκράτει κ. τ. λ.* pugna ad Camalatrum facta, qua Casto Gannicoque ducibus Germani victi sunt, dicta esse videtur; sed secundum Plutarchum Sallustiumque illa multo demum postea evenit. Deinde proelia, quibus Spartacus obsidentibus evadere studuit (*βιαζομένου δ' ἐς τὴν Σαυνιτίδα τοῦ Σπαρτάκου διαδραμεῖν κ. τ. λ.*), Plutarcho obloquuntur, qui refert Spartacum primum obsidionem neglexisse, postea autem pugnare non ausum esse. Neque de equis, quos expectare ab Appiano Spartacus narratur, quicquam habet Plutarchus. — At subito Sallustii denuo apparet in Appiano particula inde a verbis *οἱ δ' ἐν ἄστει Ῥωμαῖοι κ. τ. λ.*; Sallustii autem haec esse docet et nomen '*τὸ Σπαρτάκειον ἔργον*'[3]) et quod aeque atque Plutarchus Sallustiusque[4]) Crassum Pompeio ar-

1) Cf. Brunn p. 41.

2) Quod Appianus non principem harum legionum cohortem, sed duas legiones decimari narrat, levitati eius tribuendum est.

3) Quocum cf. Plut. c. 8: *ἣν οἱ πολλοὶ Σπαρτάκειον πόλεμον ὀνομάζουσιν* et Flori inscriptionem 'bellum Spartacium.'

4) Cf. fr. IV 14: 'Avidior modo properandi factus.'

cessito *ἐπείγεσθαι* ad bellum conficiendum dicit. Haec igitur Sallustiana particula iam agitur de rebus, quae gestae sunt paullo postea quam Spartacus e Bruttio effugit. Iam iterum alterius fontis sequitur frustulum, quod Crassum rursus in Bruttio obsessum ostendit inde a verbis *καὶ ὁ Σπαρτακὸς — — ἐς συνθήκας τὸν Κράσσον προυκαλεῖτο.* Etenim alterius fontis haec esse elucet et ex equitibus illis denuo commemoratis (*καὶ παρόντων οἱ τῶν ἱππέων*) et ex verbis *ὤσατο παντὶ τῷ στρατῷ διὰ τοῦ περιτειχίσματος*, quam quidem rem aliter habet Plut. c. 10: *ὥστε τῆς στρατιᾶς περαιῶσαι τὸ τρίτον.* Postrema autem inde a: *γενομένης δὲ τῆς μάχης κ. τ. λ.* rursus Sallustii esse videntur. Videsne quam stupide res Appianus permiscuerit et quam foede duos auctores consarcinaverit? Iam nemo erit quin mihi concedat tales errores non Straboni, sed ipsi Appiano addicendos esse, neque dubitandum est, quin Appianus in fine libri primi secundique exordio Sallustium prius unicum, mox primarium quidem fontem habuerit. Alter autem auctor cuius duo illa *ἐμβλήματα* capitibus 118—120 investigavimus quis sit plane nescio. Forsitan tamen idem sit qui etiam de coniuratione Catilinaria usurpatus est, simul idem cuius longiores particulas e Straboniana materie insequentibus in libris secrevit Otto.[1])

Frontini sex ad hoc bellum pertinent strategemata. Ac primum I 5, 20 (de Spartaci in Bruttio obsessi eruptione) e Livio haustum esse videtur, cum faciat contra Plutarchum (cf. c. 10: *ἔχωσε τῆς τάφρου μέρος οὐ πολὺ γῇ καὶ ὕλῃ καὶ κλάδοις δένδρων* cum Front.: ‘caesis captivorum pecorumque corporibus’) et Spartaco inimicissimam ostendit opinionem. — I 5, 21 (de Clodio ad Vesuvium a fugitivis fugato) rem ipsam narrat secundum Sallustium[2]), sed ultima verba ‘ut aliquot cohortes gladiatoribus quattuoretseptuaginta cesserint’ e Livio esse addita ipse comprobat numerus.[3]) I 5, 22 (de re contra

1) i. e. II c. 118—148, cf. Otto p. 266 et lib. IV c. 2—21, cf. Otto p. 282. Sed haec si consideraverimus Ciceronis hypomnema fuisse coniurationis Catilinariae fontem, quod voluit Buresch, negabimus.

2) Cf. Plut. c. 9 et Flor. II 8, 4; viderat idem iam Wölfflin in Herm. IX p. 82.

3) Cf. Oros. V 24, 1; Eutr. VI 7; Vell. II 30; per. 95.

Varinium gesta) cum Sallustio ita convenit ut mutila illius verba fr. Vat. col. II secundum Frontinum restitui possint. — I 7, 6 (de Spartaci bellico apparatu) quia et cum Floro et cum Sall. fr. IV 1 et 2 congruit, Sallustianum est. — II 4, 7 victoriam Crassi ad Camalatrum de Casto Gannicoque reportatam longe aliter enarrat atque Plut. 11; namque apud Plutarchum Sallustiumque cohortes, quae in hostium terga mittuntur priusquam aggredi possent, detectae sunt ac deletae essent, nisi Crassus illis subvenisset; apud Frontinum vero cohortes circum missae commisso iam proelio in hostium terga invadunt pugnamque decernunt. Quare non dubito, quin e Livio hoc sumpserit Frontinus. — II 5, 34 (de eadem Crassi cum Casto Gannicoque pugna) a suo ipsius exemplo II 4, 7 vehementer discrepat; namque hoc ad Cantennam montem eam factam esse, illo ad Camalatrum tradit, praeterea in tota pugnae descriptione ne minimum quidem affert, quod alterius exempli narrationi simile est. Attamen eandem pugnam dictam esse docet numerus hostium caesorum. Qui cum Livio[1]) laudato in fine adseratur, reliquam de pugna narrationem Livianam esse neque minus Sallustianam[2]) negaverim, cum plane abhorreat a Plutarcho. Ad tertium igitur fontem nobis nondum notum Frontinus hoc loco redire putandus est.

D i o d o r i fragmentum XXXIX 21, quod de Spartaci moribus agit, quos habeat auctores incertum est. — Praeterea belli gladiatorii breviter mentionem faciunt etiam A u g u s t i n u s de civ. Dei III 26, A m p e l i u s lib. mem. c. 40 et 45, s c h o l. ad L u c. II 554 (Usen.), C a e c i l i i fragmentum apud Athen. VI p. 272 servatum.

---

1) Cf. per. 97 et Oros. V 24, 6.

2) Duo haec proelia quasi duae eiusdem partes fuissent, coniungere studuit Drumann IV 80, similiter Neumann II p. 67 adn. et Schlimmer l. l. p. 59. Pari negligentia Bludau utramque relationem e Sallustio haustam esse fragmentis quibusdam falso adhibitis contendit. Contra recte Mommsen coniungi eas non posse intellexit, sed num iure posteriorem Frontini narrationem acceperit dubito.

Caput V

De bello Mithridatico tertio

§ 1. De bello illo gravissimo a Lucullo contra Mithridatem, deinde contra Tigranem octo per annos gesto multo certiores facti sumus a scriptoribus, quam de ceteris rebus, quae Sallustii historiis narratae erant. Attamen, quod sane mireris, de temporum ratione dissenserunt viri docti quidam; namque Drumann[1]) ita res gestas distribuit, ut anno 72 Lucullus in Pontum invaserit, 71 proelia compluria ad Cabiram facta, anno 70 Amisus, Sinope, Heraclea ceteraeque Ponti urbes captae sint, hieme 70/69 Lucullus Asiam provinciam administraverit. Sed optimo iure hanc rationem abiecit Mommsen. Itaque iam autumno anni 73 Lucullus et Cotta in Pontum profecti[2]) sunt, hieme 73/72 Lucullus Amisum obsedit, sicut docet Plut. Luc. c. 33[3]): *Σαλλούστιος μὲν οὖν φησι χαλεπῶς διατεθῆναι τοὺς στρατιώτας πρὸς αὐτὸν εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῦ πολέμου πρὸς Κυζίκῳ καὶ πάλιν πρὸς Ἀμισῷ δύο χειμῶνας ἑξῆς ἐν χάρακι διαγαγεῖν ἀναγκασθέντας*; deinde *μετὰ τὸν χειμῶνα*[4]) i. e. vere anni 72 ad Cabiram processit, ubi per aestatem hiememque eum contra Mithridatem pugnasse elucet e Phlegontis fragmento[5]), quod ad annum 72 pertinet: *Λεύκολλος δὲ Ἀμισὸν ἐπολιόρκει καὶ Μουρήναν ἐπὶ τῆς πολιορκίας καταλιπὼν μετὰ δυοῖν ταγμάτοιν, αὐτὸς μετὰ τριῶν ἄλλων προῆγεν ἐπὶ Καβείρων, ὅπου διεχείμαζε, καὶ Ἀδριανὸν ἐπέταξε πολεμῆσαι Μιθριδάτῃ καὶ πολεμήσας ἐνίκησε.* Anno deinceps 71 oppida ad Pontum sita capta sunt; etiam Heracleam hoc anno expugnatam esse, non insequenti, sicut statuerunt plerique, sequitur ea e re, quod obsidio, quae coepta est anni 73 autumno, biennium durasse narratur. Totum igitur annum 70 Lucullus in provincia degit. Qua cum ratione convenit Memn.

---

1) p. 133/140; nimirum cum hoc facit Neumann II p. 96.

2) Memn. c. 43.

3) Hoc loco nisus iam Fischer „Röm. Zeittafeln“ p. 202 Drumanni falsam opinionem refutaverat.

4) Plut. Luc. 15.

5) fr. 12 (F. H. G. III p. 606).

c. 55: *Μιθριδάτης δ' ἐνιαυτὸν καὶ μῆνας ὀκτὼ ἐν τοῖς μέρεσιν τῆς Ἀρμενίας διατρίβων οὔπω εἰς ὄψιν κατέστη Τιγράνου κ. τ. λ.*; cum vero exeunte anno 70 convenisse eos veri simillimum esset, effugit in Armeniam proelioque Cabirensi victus est Mithridates vere anni 71.

§ 2. Scriptorum qui de bello Mithridatico egerunt summo est momento Plutarchus. Quem in vita Luculli scribenda primarium fontem Sallustium habuisse Peter[1]) rectissime demonstraverat; extiterunt quidem, qui Sallustium esse fontem Plutarchi negarent[2]); Plutarchum enim quasi uno decursu fluere unoque manare e fonte rati, ubi quicquam ad Sallustianam memoriam minus quadrare iis visum est, statim totam vitam a Sallustio abiudicandam esse putabant et Livium aliumve auctorem statuebant. Sed acutissime Otto[3]) conglutinatam e variis trium scriptorum, Sallustii, Livii, Strabonis particulis Plutarchi narrationem esse, tamen primarium eius auctorem Sallustium fuisse demonstravit. — Omnino Plutarchus inde a capite 5 (i. e. a Luculli consulatu) prorsus alios atque antea auctores consuluisse videtur; usque autem ad caput 9 Sallustium fontem esse comprobant et acerba optimatium corruptorum castigatio et seditiosi in Asia exercitus descriptio[4]), praeterea complura Sallustii fragmenta. Sed prodigium illud c. 8 Mario et Lucullo factum a Sallustio abiudicaverim. Aperte enim narrationis cursus graviter interrumpitur, quoniam antea iam prope Chalcedonem Lucullus est videtque ingentes hostium copias, tum subito in Phrygia cum Mario congredi dicitur, at statim denuo ante Chalcedonem stat. Prorsus autem discrepat prodigium illud a Sallustiano genere narrandi; cognoscimus igitur hoc a Plutarcho in mediam Sallustii narrationem inser-

---

1) l. l. p. 106.

2) Sicut Grashof „de fontibus et auctoritate Cassii Dionis" (diss. Bonn. 1867); Lauer „de scriptoribus belli Mithridatici tertii" (progr. Wetzlar 1871); Schacht „Quelle Plutarchs in der vita des Lucull." (progr. Lemgo); comprobavit Peteri sententiam Gleitsmann „de Plutarchi in Luculli vita fontibus ac fide" (diss. Erlang. 1883).

3) l. l. p. 315 sq.

4) Cf. Otto l. l. p. 316.

tum esse, ex Livio quidem, ut opinor, qui talia referre solebat.[1]) Brevem totius obsidionis imaginem c. 9 sequuntur res quaedam mirae diversis ex auctoribus excerptae. Ac primum fabula illa de nuntio submarino neque e Sallustio (cf. frag. III 19) neque e Livio (cf. Oros. VI 2, 14; Flor. I 40, 16; Frontin. III 13, 6) orta esse videtur, Graecum autem fontem iure statuunt Arnold[2]) et Otto. Cum vero quae sequuntur de lintribus, quibus Lucullus milites Cyzicum transduxit, Strabonem fontem prodant[3]), etiam illud Straboni attribuendum esse videtur. Duo prodigia cap. 10 accurate cum Obsequ. cap. 60 congruentia Liviana esse iamdudum constat; tertium sriptoris est, cui Ilium notissimum erat (*καὶ στήλην τινὰ δόγματα καὶ γράμματα περὶ τούτων ἔχουσαν ἐδείκνυον Ἰλιεῖς*), nempe Strabonis. Insequenti c. 11 numerus captorum e Strabone insertus est (cf. App. Mithr. 75), cetera omnia Sallustii sunt. Dein Plutarchus, qui proelium inter Lucullum atque fugientem Mithridatem non ad Aesepum, sicut App. 76 et Memn. 40, 5, sed ad Granicum commissum esse falso dicit, hunc errorem e Sallustio hausit; Florus autem, qui praeter Livium etiam Sallustio usus est, haec conglutinavit, cum proelium ad utrumque fluvium factum esse diceret, qui quidem quattuor fere milliaria distant, i. e. amplius iter unius diei.[4]) Fine capitis particula Livii addita est (*Λέγονται δὲ — — μυριάδες οὐ πολὺ δὴ τῶν τριάκοντα λείπουσαι διαφθαρῆναι*, cf. Oros. VI 2, 19: 'Nam plus quam trecenta milia hominum fame et morbo in eadem obsidione amisisse fertur'). Capitis 12 initium fonti Graeco deberi ostendunt versus illi Homerici, quibus dormientem alloquitur Aphrodite Lucullum; scilicet idem est de Ilio auctor, quem c. 10 reperiri posse putabamus[5]); res quae sequuntur simillime enarrantur apud App. 77, quod praecipue manifestum est numero navium

---

1) *τοῦτο μὲν οὖν φασὶν ἐν Φρυγίᾳ — — — συμβῆναι τὸ πάθος*, cf. Judeich l. l. p. 45.

2) l. l. p. 89.

3) Cf. frag. 80: *ὀψὲ δ' ἴσχυσεν εἰσπέμψαι τινὰς νύκτωρ* cum Plut.: *ἔλαθον δὲ νυκτὸς διαπεράσαντες κτλ.*

4) Attamen Drumann IV 131 ineptam Flori narrationem praetulit.

5) De Graeco quodam auctore cogitavit iam ante Ottonem Arnold l. l. p. 89.

a Lucullo captarum: Strabonem igitur quasi manibus deprendimus auctorem. Sed finis capitis, quo de Mario capto et necato agitur, differt ab Appiano, congruit cum Orosio, cf. *ὅπως ἐξονειδισθεὶς καὶ καθυβρισθεὶς ἀποθάνοι* cum Orosio: 'Marius — — — extractus meritas hostilis animi poenas luit.' Quam ob rem Livio haec res attribuenda erit.

Cap. 13 diversis e fontibus compositum est; namque initio mysteria Samothraces commemorata Strabonem auctorem esse ostendunt. Sed mox de naufragio Mithridatis dissentit a Strabone; namque cum Appianus c. 78 (atque cum eo Livius) Mithridatem Sinopen ex tempestate servatum venisse, inde Amisum vectum narrent, apud Plutarchum Heracleam confugit (*εἰς τὴν Ποντικὴν Ἡράκλειαν ἐξεσώθη*), quod non solum rectum[1]), sed etiam a Sallustio ita narratum est (cf. epist. Mithr. § 14: 'Naufragiis apud Parium et Heracleam militum optimos cum classe amisi'). Hac igitur de re Sallustius fons a nobis cognosci potest. Deinde epistulam Luculli ad senatum scriptam supra suo loco omissam e Strabone addit; conspirat enim cum Appiano cap. 77, discrepat a schol. Gronov. p. 442, a quo Sallustium excerptum esse infra disputabitur: 'Quando ibat Lucullus ad bellum, ceperat pecuniam infinitam, ut suis militibus bello daret; iste accepit' etc.; contra Plutarchus: *Ψηφιζομένης γὰρ αὐτῆς — — ἀπὸ τρισχιλίων ταλάντων ἐξαρτύεσθαι ναυτικὸν ἐκώλυσε — — ὡς ἄνευ δαπάνης ταῖς τῶν συμμάχων ναυσὶ Μιθριδάτην ἐκβαλεῖ τῆς θαλάττης.*

Cap. 14 ea quae de divitiis, in quas milites Romani inciderunt, narrantur, deinde cap. 15 priorem fere partem, qua de clade equitum Romanorum, Pomponii virtute, Lucullo e loco iniquo per Graeculos quosdam liberato agitur, e Strabone fluxisse, cetera autem Sallustii esse iam Otto coll. App. 78 et 79 demonstravit.

Deinde cap. 16 de Olthabante[2]) Scytha narratiuncula ad Sallustium[3]) referenda est; etenim simillime idem narrat Fron-

---

1) Cf. Memn. c. 42.

2) De forma nominis nihil fere constat, cum ille Olthakos Plutarchi Adathas Frontini, Olkabas Appiani libris nominatus sit.

3) Otto et simul Vogel p. 41 neglectis differentiis hoc caput Straboni attribuerunt.

tinus II 5, 30, longe diverse Appianus cap. 79. Namque cum Appianus disceptare nolit, proditione an casu omnia facta sint (*εἴτε ἐπιβουλεύων καὶ δόξας ὑποπτεύεσθαι, εἴτε σὺν ὀργῇ περιυβρίσθαι νομίζων*), atque per totam enarrationem sine ira et studio ipsas tantum res tradat, Plutarchus et Frontinus castrensem praebent Romanorum relationem, qui illa in re proditionem aliquam barbari inesse statim suspicabantur. Praeterea conferas: *Ἀλλ' ἔφη κωλύοντος εἰςελεύσεσθαι περὶ πράγματος ἀναγκαίου καὶ μεγάλου διαλεχθῆναι βουλόμενος* cum Front.: 'Cum tamquam nuntiaturus subitum aliquid ac necessarium intrare vellet', deinde Plut.: *λαβὼν τὸν ἵππον ἀπήλασεν εἰς τὸ Μιθριδάτου στρατόπεδον ἄπρακτος* cum Frontino: 'Equis, quos ante portam paratos habebat, ad Mithridatem refugit irritus', iam antea Plut.: *ἀνὴρ ὅσα χειρὸς ἔργα καὶ τόλμης ἐν πολέμῳ διαπρεπὴς ἅπαντα* cum Front.: 'Quodam eminente viribus' et Sall. fr. inc. 31: 'In proeliis actu promptus'. Frontinus igitur atque Plutarchus eodem usi esse fonte videntur, scilicet Sallustio, Strabo contra rem non e Romanorum partibus enarravit. Attamen Plutarchus in describendis singulis etiam Strabonem[1]) adhibuit, cf.: *γένος δ' εἰσὶν οἱ Δανδάριοι βαρβάρων τῶν περὶ τὴν Μαιῶτιν οἰκούντων* cum Strab. geogr. XI p. 495 et: *ὥς τε τραπέζης καὶ συνεδρίου ποτὲ ποιεῖσθαι κοινωνόν* cum App. 79: *τραπέζης τε καὶ γνώμης καὶ ἀποῤῥήτων ἀξιούμενος*. Insequenti cap. 17 e Livio[2]) insertus est numerus occisorum apud Cabiram hostium (*οὗτοι πάντες, ὡς λέγεται, πλὴν δυεῖν κατεκόπησαν*); Strabonis est capitis media pars de fuga ducum Ponticorum eorumque in castrensi tumultu morte.[3]) Reliqua Sallustii sunt, id quod imprimis docet militum rapientium inoboedientia. Mox de auro mulo alicui imposito atque a militibus Romanis direpto duas praebet relationes Plutarchus, quarum altera: *εἴτε ἀπὸ ταὐτομάτου παρεισπεσόντος* Strabonis[4]), altera: *εἴτε τοῦ βασιλέως*

1) Minime vero hoc commovere debuit Ottonem, ut omnia Straboni suo vindicaret.

2) Cf. Otto p. 318.

3) Cf. App. c. 81.

4) Cf. App. c. 82.

ἐπίτηδες ἐμβαλόντος αὐτὸν εἰς τοὺς διώκοντας Sallustii Liviique[1]) est.

Cap. 18 maiorem partem, qua caedes mulierum Pharnaciae iubente Mithridate facta refertur, Straboni addicendam esse bene suspicatus est Otto; etenim cum Plutarchus duas narret Mithridatis sorores ibi occisas esse, unam novisse videtur Sallustius, cf. schol. Gron. p. 439 (Orell.): 'iste (scil. Mithridates) auctore Sallustio et fratrem et sororem occidit' etc. Porro Straboni iure attribuit Otto, quae cap. 19 de *κτίσει* oppidi Amisi et de Tyrannione, ipsius Strabonis magistro, referuntur. Mox cap. 20 conditionis provinciarum descriptio, quippe qua acerbissime vituperetur equitum et optimatium factio, bene quadrare ad Sallustium videtur neque minus ampla legationis Appii Clodii ad Tigranem factae enarratio 21—22. Sed illud de Metrodoro Scepsio *ἐπεισόδιον*, quod non congruit cum Strabonis fr. 87, item Amphicratis historiolam unde habeat Plutarchus plane nescimus. Quae sequuntur cap. 23—24 e Sallustii et Strabonis frustulis conflata sunt. Etenim initium, quod arte cohaeret cum cap. 20 et quo *Λουκούλλεια* in Asiae minoris urbibus instituta esse narrantur — contra App. 76 hanc rem velut anno 73 gestam rettulit — Sallustianum est. Sed quae habet Plutarchus de capta Sinope, e Strabone addita esse iam evicit Otto collatis fr. 84 et App. 83; et quidem ineptissime ea adiecta esse existimo, cum Sinopen re vera autumno anni 71 expugnatam esse ex App. 83, Strab. fr. 84, Memn. c. 52 (coll. cap. 43) eluceat, Plutarchus vero hanc rem initio expeditionis in Tigranem susceptae i. e. principio anni 69 adnexuerit. Paullo infra cap. 24, cum interea in enarranda hac expeditione perrexerit, denuo e Strabone foedus a Lucullo cum Machare ictum refert, quod re vera iisdem quibus obsidio Sinopes[2]) temporibus factum est. Simul cognoscimus reliqua omnia, in quae has duas Strabonis particulas inepto loco Plutarchus iniecit, non Strabonis, Sallustii igitur esse. Prodigium autem, quod transgresso Euphratem Lucullo contigisse narratur, minime Sal-

---

1) Cf. Flor. I 40, 18: 'rex callidus — — spargi aurum a fugientibus et pecuniam iussit, qua sequentes moraretur.'

2) Cf. Memn. c. 54.

lustio tribuamus; sed rectius fortasse Livium, ut saepius, etiam hic talem rem Plutarcho tradidisse putemus.

Cap. 25—35 non iam sicut antea alienas particulas Plutarchus cum primario fonte suo Sallustio coniunxit; namque uno fere eodemque sibi pari fluxu labitur pulcherrime enarratio rerum annis 69—67 gestarum. Sallustium vero fontem esse comprobant sat multa argumenta, quae iam satis collegerunt Peter atque Otto. Saepius quoque Plutarchus ab Appiano dissentit et in minoribus et in gravioribus rebus. Ante omnia autem, id quod urgere operae pretium est, in pugna ad Tigranocerta commissa vehementissime discrepant; Plutarchus enim commemorat duas cohortes duce Lucullo clibanarios dextro in cornu collocatos e dextra aggressas esse, clibanarios autem in reliquam peditum aciem coniectos, tum omnes etiam in fronte a Romanis impugnatos fugatosque esse. Contra Appianus tradit omnem Romanorum peditem longo circuitu in terga Armeniorum properasse, tum in impedimenta invassise, calones ad pedestrem copiam confugisse, pedites a tergo equites cum Romanorum equitatu proeliantes perturbasse. Ceterum recte Plutarchum enarrasse et ex Memn. c. 57 elucet et ea e re, quod quae Appianus tradidit numquam ulla in pugna per ullum exercitum imperatoremve fieri possunt. Intellegimus autem novo exemplo[1]) quam diverse pugnae a scriptoribus descriptae sint ac quam caute talibus eorum descriptionibus nos uti oporteat. Nec minoris momenti est, quod secundum App. 85 et Mithridates et Tigranes pugnae interfuerunt, secundum Plutarchum cap. 29 Mithridates fugienti demum exercitui Armenio occurrit. Iisdem capitibus Livius bis laudatur, praeterea semel adhibitus esse videtur (cap. 28: *Λέγεται δὲ τῶν μὲν πεζῶν ὑπὲρ δέκα μυριάδας διαφθαρῆναι, τῶν δ' ἱππέων ὀλίγους παντάπασι διαφυγεῖν*); Strabonem agnoscimus[2]) cap. 29 (*ὥστε καὶ τοὺς στρατιώτας ὠφελεῖσθαι καὶ τὸν Λούκουλλον θαυμάζεσθαι, ὅτι δραχμὴν μίαν ἐκ τοῦ δημοσίου ταμιείου μὴ λαβὼν αὐτὸν ἐξ' αὐτοῦ διώκει τὸν πόλεμον*), quod contra Sallustium pugnare supra demonstravimus; deinde cap. 31 de Artaxata

1) Cf. quae de pugna ad Camalatrum vel Cantennam facta supra disseruimus.

2) Cf. Otto p. 322.

(*Λέγεται δ'Ἀννίβαν τὸν Καρχηδόνιον κτλ.* cf. Strabonis fr. 91), tum cap. 32 de Nisibi (*εἰς τὴν λεγομένην Μυγδονικὴν κατέβαινε κ. τ. λ.*), denique cap. 35 (*Τριάριος δ' ὡς ἕτοιμον ἁρπάσαι τὸ νίκημα κτλ.* cf. App. 89).

Ad Sallustianam huius belli narrationem accedit etiam foedus illud praeclarum inter Mithridatem et Sertorium anno 75 factum, de quo Plutarchus agit vit. Sert. 23—24. Etiam hoc e Sallustio haustum videtur, quod imprimis comprobat totius narrationis studium popularibus Sertorioque amicum. Id enim agit Plutarchus (vel Sallustius), ut noluisse Sertorium populi Romani provincias Mithridati tradere ostendat; sed hoc mendacium esse aut popularis factionis aut ipsius Sallustii ex Appiano c. 68 satis superque constat.

§ 3. Cassium Dionem lib. XXXVI 3—19 de bello Mithridatico Sallustio unico fonte usum esse iam Wilmans[1]) putaverat, dein Grashof[2]) accuratius collatis Sallustii fragmentis comprobaverat. Sed hic differre quodammodo Plutarchum Dionemque existimavit; cum autem Dionis auctorem Sallustium esse affirmaret, a Plutarcho alterum scriptorem adhibitum esse ratus est. Livium etiam huius libri sicut reliquorum fontem esse Gleitsmann[3]) contendit, de eodem Otto quoque cogitasse videtur. Attamen adeo congruit Dio et cum Sallustii fragmentis et cum Plutarcho, ut minime Livium, certo Sallustium auctorem eum habuisse unicum equidem existimo. — Ac primum c. 3[a] (Dindorf. apud Xiphilin. p. 3) una cum Plutarcho Tigranem solum pugnae Tigranocertanae interfuisse tradit[4]), Livius contra et Appianus etiam Mithridatem affuisse narrant. Deinde cap. 3 etiam errorem Sallustii sequitur regem Persarum Arsacem appellans (cf. Phleg. fr. 12); ea autem, quae legatis ad illum mandantur, ex epistula Mithridatis Sallustiana hausta sunt. Cap. 4 de Lucullo Romae graviter vituperato plane consentit cum Plut. 24; etiam illud, quod inimicos postea consilium suum

---

1) „De fontibus et auctoritate Dionis Cassii" (diss. Berolin. 1835).

2) l. l. p. 6.

3) l. l. p. 18.

4) Quomodo Gleitsmann aliud quicquam et quidem contrarium in Dione videre potuerit, equidem non intellego.

perfecisse iam hic ostentatur, utrique commune est (*καὶ μετὰ ταῦθ', ὡς καὶ αὖθις τὸ αὐτὸ τοῦτο πεποιηκέναι ἔδοξε, τὸν ὕπατον αὐτῷ τὸν κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὄντα διάδοχον ἔπεμψαν* cf. cum Plut.: *οὗτοι μὲν οὖν ἐξειργάσαντο χρόνῳ τὴν αὐτῶν ὑπόθεσιν*). De expugnatione Tigranocertorum cf.: *στασιασάντων πρὸς τοὺς Ἀρμενίους τῶν ξένων* cum Plut. 29: *τῶν Ἑλλήνων πρὸς τοὺς βαρβάρους στασιασάντων* et *τὰ μὲν ἄλλα διηρπάσθη* cum Plutarcho: *τὴν δὲ πόλιν διαρπάσαι παρέδωκε τοῖς στρατιώταις*, neque minus de Arabibus ceterisque populis subiectis congruunt. De Parthorum ad Romanos legatione cf. Dio. c. 5: *πρέσβεις τε οἱ ἀντέπεμψε καὶ φιλίαν τε καὶ συμμαχίαν ἐσπείσατο* cum Plut. 30: *ἧκε πρεσβεία παρ' αὐτὸν εἰς φιλίαν προκαλουμένου καὶ συμμαχίαν*. De rebus insequentibus dissentire uterque Grashofio visus est; attamen meo quidem iudicio optime alter alterum supplet atque continuat: Arsaci ob praesentiam Sextilii legati suspicio commovetur (Dio), quare denuo appropinquare incipit ad Tigranis Mithridatisque partes, qui antea eum ad foedus invitaverant; quod animadvertit Sextilius Lucullumque certiorem facit (Plut.); Lucullus iam bellum adversus tres reges animo volutat (Plut.), Arsaces igitur ab utroque foedere recedit mediamque tenet partem (Dio.). Nonne igitur optime inter sese conspirant scriptores duo? Plutarchus autem omnia, quae ad efferendum Lucullum necessaria non erant, omisit, praecipue priorem illam Mithridatis ad Arsacem epistulam. Deinde cap. 6 conferas: *μεσοῦντος ἤδη τοῦ θέρους* cum Plut. cap. 31: *θέρους ἀκμάζοντος* et *τινά τε τῆς γῆς ἐπόρθησεν — — καὶ ὡς οὐδὲν μᾶλλον ἐκινοῦντο, ἔπ' αὐτοὺς ὥρμησεν* cum Plut.: *καὶ πορθῶν ἐν ὄψει τὴν χώραν οὐκ ἐκίνει πεπληγότας πολλάκις, ἀναστὰς ἐβάδιζεν ἐπ' Ἀρτάξατα*. Ipsam ad Arsaniam flumen pugnam Dio omisit, sed quae generatim de pugnandi ratione Armeniorum dicit, cum singulis Plutarchi rebus consentiunt. Neque magis discrepant Plutarchus et Dio cap. 8 de causis, quibus Lucullus redire coactus sit; namque Sallustii narratio ita fere componenda est, ut et tempestas (Plut.) et fames (Plut. cum Dione) et vulnera gravia militum (Dio) coniuncta iram seditionesque exercitus concitaverint, quibus Lucullus ut reverteretur commotus est. Deinde cap. 14—15 ea e re, quod milites Triarii

parum oboedientes disciplinaque militari vacui effecisse narrantur, ut pugna minus prospere Romanis eveniret (— prorsus aliam causam cladis commemorat Strabo apud App. 89 et Plut. 35) — Sallustium manifesto tenemus. Mox seditionis exercitus cap. 16 duae causae a Dione afferuntur, et luxuria militum Nisibi hiemantium et P. Clodii orationes turbulentae. Quarum utramque etiam a Sallustio esse commemoratam ex frag. V 8[1]) et Plut. 34 intellegimus. Postremo quae Dio ad mores naturamque Luculli describenda affert, pleraque reperimus etiam apud Plut. cap. 33.

Vel hisce e rebus satis superque eluceret Sallustio usum esse Dionem, sed accedunt multa Sallustii fragmenta, quae in Dionis verbis latine translata vel abbreviata animadvertimus, et quorum pleraque collegit iam Grashof. Conferenda igitur sunt Xiphil. p. 3 cum frag. IV 54, Dio cap. 8 cum frag. IV 52—53, cap. 11 cum frag. inc. 46 et V 1—3, cap. 17 cum frag. V 11 et 10 (quocum cf. etiam Plut. cap. 35: *ἀπέλιπον τὰς τάξεις, ὡς ἀφειμένοι δόγματι τῆς στρατείας*), denique cap. 19 cum frag. V 12. Cum autem alius scriptoris atque Sallustii vestigia nusquam apud Dionem investigari possint — etiam cap. 13, quo de Comanis oppido agitur, ad Sallustium geographicorum et mythologicorum studiosum bene quadrare videtur[2]) — omnem de belli Mithridatici annis 69—67 apud Dionem materiem ad Sallustium cum Wilmansio ac Grashofio referamus.

§ 4. Plutarcho inter tres auctores discerpto et Dione omnino Sallustio addicto iam Livii fontes discernamus, cuius memoriam praebent tam Orosius, Eutropius, periochae, Iulius Obsequens, S. Rufius Festus quam istae Plutarchi, Flori, Frontini partes, quas e Livio excerptas esse iudicandum est. Inter primarios huius belli fontes Livium praecipue Sallustium habuisse iam divinarunt quidam[3]); satis autem multis locis Sallustium apud scriptores Livianos cognosci puto.

---

1) 'Ceteri negotia sequebantur familiaria legatorum aut tribunorum, et pars sua commeatibus, mercatis.'

2) Complures hoc capite fontes ipsum adiisse atque examinasse Dionem contendit Lauer l. l. p. 13.

3) Arnold p. 89, Otto p. 316 adn. 1.

De foedere Mithridatis et Sertorii Orosius VI 2, 12 et periocha 93 cum Plut. Sert. 23—24, quoad quidem iudicare possumus, consentiunt; conferenda quoque sunt Orosii 'Fannius et Magius de exercitu Fimbriae profugi' cum Ps.-Ascon. p. 183: 'Transfugae de Valeriano exercitu.'[1]) Antequam Sallustius belli Luculli enarrandi initium fecit, de exercitu Pontico plura disseruit (cf. Plut. cap. 7). Quod etiam Livium fecisse discimus e per. 93: 'Apparatus dein regiarum copiarum pedestrium navaliumque.' Cum vero Servius ad Aen. II 476 adnotet: 'Curribus falcatis usos esse maiores et Livius et Sallustius docent', quod Sallustium fecisse in exercitu Mithridatis describendo recte Kritz[2]) coniecit, etiam eadem in occasione Servium hoc in Livio repperisse concludere nobis licet; Livius igitur talia e Sallustio hausisse putandus est. Deinde seditionem militum, quam urgere Sallustii proprium est, reperimus etiam apud Livium, cf. per. 94: 'Lucullus — — poscentesque pugnam milites a seditione inhibuit.' De nuntio illo sub aqua ad Cyzicenos misso consentiunt Frontinus III 13, 6, Florus I 40, 16, Orosius l. l. § 14, quos tres e Livio hoc hausisse constat[3]); sed Livius totam hanc rem in Sallustio[4]) legit, quem quidem more suo ampliavit atque exornavit. Ibidem in falsa descriptione urbis Cyzici Livius cum Sallustio facere videtur, cf. Front. l. l.: 'Introitus urbis, qui unus et angustus ponte modico insulam continenti iungit' et Sall. fr. III 20: 'Unde pons in oppidum pertinens explicatur'; uterque igitur de uno refert ponte. Contra Strabo fr. 80, qui certe Cyzicum optime noverat, duos testatur pontes inter oppidum et continentem fuisse. Quin dictionis Sallustianae vestigia prendimus apud

1) Etenim horum scholiorum auctores Sallustio usos esse infra demonstrabitur.

2) Fr. III 12 (Kritz).

3) Cf. Lauer l. l. p. 10; Arnold l. l. p. 89. — Falso autem Heyn „de Floro historico" p. 51 Florum, Frontinum Wölfflin in Herm. IX p. 82 ac Bludau hoc ipsi Sallustio debuisse iudicarunt, cum uterque plura habeat quam in brevissimo Sallustii fragmento insunt.

4) Cf. fr. III 19: 'Duos quam maximos utres levi tabulae subiecit, qua super omni corpore quietus invicem tracto pede quasi gubernator existeret. Ea inter molem atque insulam mari vitabundus classem hostium ad oppidum pervenit.'

Orosium § 20: 'Lucullus incruento milite novum genus victoriae adeptus est.'[1]) Deinde cf. Eutrop. VI 8: 'Armenia quoque minor, quam tenuerat, eidem sublata est' cum Plut. 19: *καὶ τὴν μικρὰν Ἀρμενίαν παραλαβών*, quam rem apud ceteros scriptores frustra quaesiveris. Descriptionis regni Armenii Sallustianae, quam exhibet Plutarchus c. 21, vestigia nobis occurrunt etiam apud Eutrop. VI 8[2]); Arabes victos esse praeter Plut. cap. 25 narrat unus Livius apud Ruf. Fest. 14 ('phylarchi Saracenorum in Osrhoëna cessere superati'). In ipsa pugna Tigranocertana enarranda Livius Sallustium secutus est[3]); ex eodem sumpsit *ἐπεισόδιον* illud de tiara Tigranis, sed negligentia aliquid mutavit, cum non filio, deinde servo datam, sed statim a Tigrane abiectam esse tiaram commemoraret (cf. Front. l. l. 'abiectis insignibus' et Oros. VI 3, 6: 'diademate et tiara, ne agnosceretur, abiectis'). Complures populos sua sponte Romanis se subiecisse Sallustium secuti tradunt Dio 4 et Plut. 29; idem autem habet etiam Orosius: 'tunc ad Lucullum totius paene orientis supplices venere legati.' Denique seditionem militum, qua Lucullus reverti coactus est, Livius e Sallustio sumpsisse videtur, cf. per. 98: 'Lucullum ne persequeretur Mithridatem ac Tigranem summamque victoriae imponeret, seditio militum tenuit qui sequi nolebant; [i. e. legiones Valerianae, quae impleta a se stipendia dicentes Lucullum reliquerunt].'[4]) Quin ipsum nomen legionum Valerianarum e Sallustii sermone promptum est.

Quibus de causis Livium Sallustio praecipue usum esse negari non potest; verumtamen aliorum vestigia fontium apud eum dinoscenda sunt. Atque primum quidem cum Eutropius II 6, per. 93, Ruf. Fest. cap. 11 memoriae tradunt, Nicomedem Bithyniae regem morientem regnum suum Ro-

---

1) Cf. Plut. 9: *ὡς ὀλίγων ἡμερῶν ἀναιμωτὶ τὸ νίκημα παραδώσων αὐτοῖς* et Serv. ad Aen. XI 421 (fr. III 16): 'laudat Sallustius duces, qui victoriam incruento exercitu reportaverunt.'

2) 'Persas saepe vicerat, Mesopotamiam occupaverat et Syriam, Phoenices partem.'

3) Cf. Front. II 2, 4.

4) E Livii integro opere haec verba in periocham interpolata esse iure censuit Wölfflin in „comment. Mommsenian." p. 346.

manis testamento heredibus destinatis reliquisse, hanc Livianam esse memoriam certum est. Contra schol. Gronov. p. 437 longe aliter refert: 'Iste mortuus est intestatus; pervenit ergo regnum eius ad populum Romanum; misit ergo populus Romanus ad regnum illud tenendum Ariobarzanem.' Quod cum plane a Livio discrepet, ex illo haustum esse nequit et sicut pleraque in scholiis illis relata e Sallustio excerptum esse videtur. Cum Livio consentiunt etiam Velleius II 39: 'Bithynia testamento Nicomedis relicta hereditaria', Ampelius 34 'Nicomedes moriens testamento ipse populum Romanum heredem promisit', Arrianus apud Phot. cod. 93: *τὴν βασιλείαν τελευτῶν Ῥωμαίοις κατὰ διαθήκας ἀπέλιπεν*, Appianus Mithr. 71: *Νικομήδους ἄρτι τεθνεῶτος ἄπαιδος καὶ τὴν ἀρχὴν Ῥωμαίοις ἀπολιπόντος*, idem b. c. I 111: *δύο μὲν ἐκ διαθηκῶν ἔθνη Ῥωμαίοις προςεγίγνετο, Βιθυνία τε Νικομήδους ἀπολιπόντος κτλ.* Velleius atque Ampelius ad Livium redeunt; minime vero Appianus, sed de Strabonis et Livii communi nobis cogitandum est fonte.[1]) Qui partium Romanorum acerrimus extitisse videtur vindex, cum iniuriam, quam Bithynia occupata fecerunt Romani, celare voluerit, scribens testamento regis Romanis relictam eam esse, cuius rei exemplum ei tunc praebuit Cyrene. Ipse Sallustius quamquam filium Nicomedis Nyssaeque spurium esse iudicabat[2]), tamen non eo processit, ut publicum illud communeque mendacium in historias reciperet. Sed primum per alterum auctorem nobis ignotum (annalium puto scriptorem)[3]), postea per Livium, qui eum sequebatur, verum occultatum est falsaque relatio imperio Romano tam grata in omnes usque ad nostram aetatem auctores irrepsit. — Itaque si fons Romanus extitit et Straboni et Livio communis, ex eodem prodigia cum apud Obseq. c. 60 et Plut. c. 10 tum apud App. 75

---

1) Neque enim Livium Strabo aut legit aut usurpavit, cf. Otto p. 262.

2) Cf. fr. II 48: 'Quos adversum multi ex Bithyniae volentes accurrere falsum filium arguituri.'

3) Auctor Livio Strabonique communis non Theophanes Mytilenaeus fuit, quippe qui de Luculli bello omnino non egerit, cf. Otto p. 311 et Fabricius „Theophanes v. Mytilene und Q. Dellius als Quellen der Geographie Strabos“ (diss. Argentorat. 1888) p. 5. — Sed omnino nomina afferre iusto audacius erit.

narrata neque minus, si Livii esse recte opinatus sum, quae extant apud Plut. cap. 8 et cap. 24 fluxisse puto. Dein cum hoc scriptore partium Romanarum studioso optime conveniunt numeri in honorem exercitus Romani magnopere aucti. Velut trecenta milia ante Cyzicum fame mortuorum (Oros. l. l. et Plut. cap. 11) et centum milia ad Tigranocerta caesorum (apud Plut. 28) illi scriptori Livium debere puto, item sexaginta milia hostium ad Cabiram occisorum (perioch. 97). Et vides, quantopere auctor ille mentitus sit, cum apud Cabiram re vera omnino numerus Ponticorum quadraginta milia non excesserit.[1]) Sed duos hos fontes, scilicet Sallustium et annalium scriptorem, Livium contaminasse existimo de pugna apud Tigranocerta facta, qua in describenda ut prorsus cum Sallustio facit, ita contra Sallustium (apud Plut. 29 et Dionem 3[a]) una cum Appiano c. 85 i. e. Strabone Mithridatem proelio interfuisse commemorat. Gravissimus praeterea est Appiani et Livii consensus de tempestate, qua Mithridates Pontum ingrediens afflictus est. Etenim et Orosius VI 2, 24 et App. 78 per piratas eum servatum venisse Sinopen tradunt, sed secundum Sallustium Mithridates ex tempestate Heracleam confugit, unde multo demum post Sinopen vectus est.[2]) Quin in singulis congruunt Appianus Orosiusque, cf.: 'Amisum cum magna difficultate pervenit' et App.: *ὅθεν ὁ μὲν ἐς Ἀμισὸν ἀπὸ κάλω διαπλέων.* Quem errorem utrumque e fonte illo communi sumpsisse necesse est. Contra Graecum potius fontem sapiunt, quae Strabo et Livius de rebus a Fannio et Metrophane in Lydia, ab Eumacho in Phrygia gestis enarrant[3]), cf. Serv. ad Aen. X 712: 'Livius Inarinem in Maeoniae partibus esse dicit, ubi per quinquaginta milia terrae igni exustae sunt; hoc etiam Homerum significasse vult.' Livius autem, ut recte autumasse mihi videtur Arnold[4]), non amplius unum versum Homeri legit in auctore suo Il. II 783: *εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς*, quo e versu taeterrimum Inarimorum nomen finxit. In summa autem rei consentit Livius

1) Cf. App. 78; Plut. 15; Memn. 43.

2) Cf. Memn. 42.

3) Oros. VI 2, 16—18; per. 94; App. 75.

4) l. l. p. 81.

cum Strabone geogr. XIII 6 p. 626, qui suae opinionis auctorem laudat Metrodorum Scepsium. Etiam Strabo huius opinionis firmandae causa unum affert illum versum Homeri. Fortasse igitur etiam Metrodori commentariis *τὰ περὶ Τιγράνην* inscriptis usi sunt Livius et Strabo.

§ 5. Memno ac Strabo etsi nobis Sallustianam memoriam colligentibus non adeo usui esse possint, magno tamen erunt momento ei, qui res gestas enarrare velit; etenim per utrumque denuo edocemur, quam fallax mendaxque Romanorum de suis ipsorum rebus gestis fides fuerit; quin etiam Sallustii narratio saepius corrigenda esse ei, qui historicam eius fidem examinabit, videbitur. Qua de causa nobis quoque liceat, de utriusque fontium genere pauca disserere.

Memno operis sui de rebus gestis Heracleae Ponticae libris XV et XVI etiam bellum Mithridaticum tertium narraverat.[1]) Qui scriptor Romanis non favens, immo Ponticorum partes plerumque capessens etiam auctoribus usus esse videtur Ponticis vel Graecis, qui a Ponticorum partibus stabant. Similiter Strabo, cum ipse esset Ponticus Mithridatisque familiae adnexus, nonnumquam non Romanam, sed Ponticam secutus est memoriam. Praeterea Strabo etiam Romanis usus est fontibus, velut Sallustio et ignoto annalium illo scriptore aliisque. Utrum vero uno eodemque fonte Graeco Memno Straboque usi sint[2]) an duo extiterint Ponticarum partium scriptores, discerni non iam potest. Ponticam igitur illam memoriam partim apud Strabonem partim apud Memnonem reperimus hisce fere locis: Pugna ad Chalcedonem facta Memno c. 39 multo maiorem occisorum captorumque Romanorum numerum tradit quam Appianus Plutarchusque; Strabo igitur hic Romanos secutus est auctores[3]), Memno inimicos; conspirat autem uterque in describenda pugna, velut in Bastarnorum

1) Cf. Müller F. H. G. III p. 545 sq., c. 37—59.

2) Id unum pro certo affirmare valemus neque Memnonem a Strabone neque hunc ab illo lectum esse; fortasse igitur Strabonis et Augusti aequalis fuit Memno. Hadriani aetati eum attribuit Christ „hist. lit. gr.“ ² p. 566.

3) Fortasse ipsum Sallustium, cf. Plut. Luc. 9, quamquam in ceteris ab eo discrepat.

impetu prae ceteris commemorando. Quod utrum fonti eorum communi casuine tribuendum sit dubium videtur.

Naufragium Mithridatis Memno 42, 2, maioris momenti fuisse negat[1]), cum et Sallustius et Livius Straboque summo in periculo Mithridatem versatum maximoque detrimento afflictum esse tradant: itaque Strabo hac in re Romanum auctorem (eundem quidem quem Livius) habuit, Memno vero Ponticum. Res ad Themiscyram atque Amisum a Romanis minus prospere gestas occultare studuit Sallustius, cum omnino ibidem acrius pugnatum esse negaret[2]); contra Strabo (ap. App. 78) oppugnationes illas longius enarrat, auctorem nimirum secutus Romanis iniquum.

Altero illo proelio ad Cabiram facto Strabo apud App. 80 Ponticos, contra Plut. Luc. 15, i. e. Sallustius, Romanos vicisse narrat; in singulis rebus depingendis vix dissentiunt, cum uterque proelii discrimen eo adductum esse dicit, quod imperator (sive Lucullus sive Mithridates) ipse proeliantibus sese immiscuerit; dissentiunt vero in summa rei, cum Plutarchus eventum per Lucullum Romanis felicem, Appianus[3]) per Mithridatem Ponticis prosperum redditum esse contendant. — Pugna Triganocertana exercitus Armenii numerus a Memnone c. 57, 1 aeque atque a Phlegonte[4]) multo minoris aestimatur quam apud App. 85, Plut. 26, Eutrop. VI, 9. Videmus igitur Romanos auctores auxisse numerum, ut gloriam quoque Romanis augerent: quos etiam Strabo secutus est. Similiter apud Phlegontem multo minor occisorum hostium numerus est quam apud reliquos; fortasse igitur ille eundem Ponticum scriptorem,

---

1) *σφοδρῷ χειμῶνι περιπεσὼν τινὰς μὲν τῶν τριηρῶν ἀποβάλλει, αὐτὸς δὲ μετὰ τῶν πλειόνων κτλ.*

2) Cf. Plut. c. 15: *μαλακῶς τῇ πολιορκίᾳ χρώμενος* et Sall. fr. IV 42: 'Amisumque adsideri sine proeliis audiebat.'

3) In Memnonis verbis 43, 3: *εἶτα ἱππομαχίαι συνέστησαν δύο ὧν τὴν μὲν ἐνίκων οἱ Ῥωμαῖοι, τὴν δευτέραν δ' οἱ Ποντικοὶ* quid lateat, Photii sane culpa obscurum est.

4) Fr. 12 (F. H. G. III p. 606): *τῷ δὲ τετάρτῳ ἔτει* (= 69/68) *Τιγράνης καὶ Μιθριδάτης ἀθροίσαντες πεζοὺς μὲν τέσσαρας μυριάδας, ἱππέας δὲ τρεῖς, καὶ τὸν Ἰταλικὸν αὐτοὺς τάξαντες τρόπον ἐπολέμησαν Λευκόλλῳ. καὶ νικᾷ Λεύκολλος καὶ πεντάκις χίλιοι μὲν τῶν μετὰ Τιγράνους ἔπεσον, πλείους δὲ τούτων ᾐχμαλωτίσθησαν χωρὶς τοῦ ἄλλου σύγκλυδος ὄχλου.*

quem Memno, fontem habuit. — Deinde apud Memnonem Triganocerta ipsa non Graecorum colonorum seditione sed volentibus imperatoribus deditur; Ponticus igitur ille turpissimam cladem suorum tegere voluit, neque vero eum sequebatur Strabo. In pugna inter Mithridatem atque Hadrianum commissa et apud Dionem c. 11 et apud Appianum c. 88 magni sunt momenti servi calonesque. Qui secundum illum perfecerunt cladem Romanorum ea re, quod a dominis defecerunt et ad Mithridatem se applicarunt, at secundum Appianum servorum subsidio factum est, ut Romani non plane dissiparentur; Sallustius igitur cladem proditioni tantum tribuit servorum, Ponticus, quo Strabo usus est, obicit Romanis, quod sola servorum, infimorum hominum opera servati sint.

Tum eidem similive auctori Strabonis Graeco[1]) tribuamus res, quae in castris Mithridatis gestae sunt et quarum plerasque iam collegit Otto.[2]) Accurata Strabonis[3]) de Sinope urbe enarratio fortasse ad Heraclidem[4]) Ponticum redit. Praeterea eundem scriptorem, quo Livius quoque usus est, a Strabone adhibitum esse supra ostendi. Etiam Sallustius saepius usurpatus esse videtur, velut App. 72: *ἔφη πρὸς τοὺς ἀμφ' αὐτὸν ἀμαχὶ λήψεσθαι τοὺς πολεμίους αὐτίκα*, cf. Plut. 9 ac Sall. fr. III 16. Porro res postremo Cabirae gestas et Plutarchus et Appianus ita narrant, ut Mithridates affuerit in castris et tumultu fugaque exortis cum ceteris e castris confugerit; at Memno refert c. 43—44 in castris duces tantum fuisse, ipsum regem in oppido Cabira moratum esse, unde nuntio demum de fugato exercitu allato in Armeniam excessisset. Itaque cum illi non discernant inter castra et oppidum Cabiram, Memno contra semper accuratissime distinguat, hunc verum tradere, Strabonem et Plutarchum errare existimo. Cuius erroris communis utrique fons Sallustius certe erat, qui rhetorum modo, ut res magis contrahere complectique posset, scenam tragoediae illius paullum mutavit. — Tum Appianus 83 contradicit sibi ipse c. 63,

---

1) Ceterum Graecus ille auctor non fuit Metrodorus Scepsius *μισορώμαιος*, quoniam is iam anno 70/69 mortuus est.

2) p. 307.

3) Fr. 84 (Ott.) et apud App. 83 atque Plut. Luc. 23.

4) Cf. Arnold p. 88 et schol. ad Apoll. Rhod. II 956.

cum antea vectigalia a Sulla imposita iam soluta, postea nondum expedita dicit. Ergo diversis ex auctoribus haec sumpsit Strabo; cum autem App. 83 congruat cum Plut. 20, posteriorem fontem Sallustium esse puto. — Mox Appiani c. 89 de vulnerato per centurionem Mithridate, cum eadem res similiter enarrata sit apud Dionem c. 15, 1, e Sallustio fluxisse videtur. — Praeterea Strabo (ap. App. 112) ad describenda Mithridatis mores naturamque nonnulla e Sallustii libro secundo mutuatus est; cf. *ἑκκαιδέκατος ὢν ἐκ τοῦ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπου Περσῶν βασιλέως κ. τ. λ.* cum Ampel. c. 30, 5: 'ita Darius regnum obtinuit, a quo Artabazes originem ducit, quem conditorem regni Mithridatis fuisse confirmat Sallustius Crispus'; *τὸ σῶμα δ' ἦν μέγας μὲν, ὡς ὑποδεικνύουσιν ὅσα ὅπλα κ. τ. λ.* cum fr. II 47: 'Mithridates corpore ingenti, perinde armatus'; *καὶ τὴν μητέρα ἔκτεινε καὶ τὸν ἀδελφόν κ. τ. λ.* cum fr. ap. schol. Gron. p. 439 (Or.): 'iste auctore Sallustio et fratrem et sororem occidit, ad postremum ⟨matri⟩ comparans exitium' et fr. II 45: 'Sed Mithridates extrema pueritia regnum ingressus matre sua veneno interfecta'; fortasse autem totus huius capitis finis inde a verbis *φονικὸς δὲ καὶ ὠμὸς κτλ.* e Sallustio excerptus est.

§ 6. Frontinus sex rei militaris exempla ex belli Mithridatici historia sumpsit, e quibus II 1, 14 et II 2, 4 (de pugna Tigranocertana) e Livio[1]) hausta sunt, cum sicut Oros. VI 3, 6 Mithridatem pugnae affuisse tradant et cum eodem de tiara a Tigrane abiecta congruant. — De exemplis II 5, 30 et III 13, 6 supra iam dixi. — Tum Ps. Front. IV 5, 21 (de captivis Cyzicenis) discrepat ab App. 73, cum captivi fortiter fortunam tulisse enarrentur, Appianus vero eos flebiliter deprecantes faciat. Romanum igitur suspicamur fontem, et Livium quidem, cum Sallustius hoc in libro nusquam appareat. Restat Front. II 7, 8, quo res alibi non tradita continetur, quam in obsidione Cyzici factam esse verisimillimum est, quoniam eo tempore saepius ordines deserere conati sunt milites Romani.[2])

1) Attamen Bludau utrumque exemplum Sallustio vindicare non dubitat.

2) Cf. Sall. fr. III 36; Memn. 40; App. 72.

Florus I 40, 15—20 de pugna ad Aesepum vel Granicum facta Livii et Sallustii narrationes misere contexuit; praeterea verba 'cum ex mora obsidii regem fames et ex fame pestilentia urgeret' e Sallustio petita sunt, cf. epist. Mithr. § 14: 'in obsidio moranti frumentum defuit.' E Floro autem Orosii 'eadem mora, qua obsidebat' orta esse videntur.

Quibus multo graviora sunt scholia quaedam ad Ciceronis orationes. Ac primum Ps. Asconius ad Verr. II 1, 82 (p. 183 Orell.) de foedere inter Sertorium ac Mithridatem facto ad Sallustium redit, quem genuinus quidem Asconius praeter Livium et Fenestellam primarium habuit fontem, cf.: 'transfugae de Valeriano exercitu apud Mithridatem agentes' cum Sall. fr. II 49: 'Ibi Fimbriana e seditione qui regi per obsequentiam orationis et maxume odium Sullae graves carique erant'; ipsum autem nomen exercitus 'Valeriani' e Sallustiano sermone depromptum est. — Deinde scholiastae Gronoviani commentarius ad Ciceronis de imperio Cn. Pompei orationem multa etiam de bello Luculli commemorat. Qui cum duobus locis Sallustium auctorem laudet et omnia quae affert optime ad Sallustium quadrent, universam quae de hoc bello in scholiis illis est memoriam Sallustio tribuere non dubito.[1]) Velut ad Cic. l. l. § 4 (p. 437) de Luculli in Pontum invasione convenit cum Plut. c. 14. — Ibid. (§ 5) de morte Nicomedis prorsus a Liviana memoria recedere, ad Sallustium autem redire supra disputatum est. — Ibid. § 9 (p. 438 Orell.) de legatione epistulaque Mithridatis ad Sertorium de foedere faciendo missa cf. Plut. Sert. 23: *γράμματα Σερτωρίῳ καὶ λόγους κομίζοντας.* Optime autem dictum illud Sertorii cum Sallustii genere narrandi convenit. — Ibid. § 20 (p. 439) agit de obsidione Cyzici; ibid. § 22 (p. 439 et p. 440) de Mithridatis iuventute ipse laudat Sallustium. — Ibid. § 23 (p. 440) Mithridatem per Tigranem benigno hospitio exceptum contradicit Appiano c. 82 praecipueque Memn. 46 cf.: *συνουσίας τυχεῖν ἀξιῶν ταύτης μὲν οὐ τυγχάνει.* — Ib. § 25, ubi de clade legati Romani

1) Scilicet non ipse legit Sallustium scholiasta, sed huius memoriam repperit in commentario illo antiquiore, e quo inepta breviaque scholia sua excerpsit.

agitur, ad Marcum Pomponium[1]) ad persequendum Mithridatem emissum pertinere existimo. Ib. § 28 et § 37 (p. 441 et p. 442) de corruptis per Lucullum Quintio aliisque magistratibus fontem Sallustium laudat.

Ampelius c. 30 regni Mithridatici initia explicíturus longius de Persis agit, quod aut e Trogo Pompeio[2]) aut ex historia aliqua trita excerpsisse videtur. Postremo quae dicit de Darii, Artabazis, Mithridatis genere debet Sallustio, quippe quem laudet; ipsum vero Sallustium legisse vix putandus est, sed ex historia aliqua grammaticove huius memoriam in suum librum transtulit. E Sallustio igitur eadem excerpsit Florus I 40, 1.[3]) — Ammianus Marcellinus XXIII 6, 56 cum dicit: 'cameli a Mithridate exinde (i. e. Bactria) perducti et primitus in obsidione Cyzicena visi Romanis', falsam Sallustii[4]) opinionem exhibet, in Sallustio igitur vel Plutarcho hoc legit.

Auctor de viris ill. c. 74 in Luculli vita enarranda, qua breviter huius belli res enumerat, Cornelium Nepotem plane secutus esse videtur, quem quidem de Luculli vita scripsisse scimus.[5]) Id. c. 76 verba: 'Mithridates rex Ponti oriundus a septem Persis' e Floro sumpsit; paullo postea in verbis: 'Deinde eum Cabiris resistentem Lucullus fudit' miramur, cur Cabirense potissimum proelium commemoraverit.

Plinius II 235 rem narrat aliunde ignotam de Samosata a Romanis expugnata, quam aut e Livio aut e Corneliana Luculli vita hausit.[6]) Deinde VI 10 pugnae ad Zielam factae mentionem[7]) facit, quam nescio an ex Nepotis chronicis[8]) cognoverit Plinius.

Diodorus Siculus fr. lib. XXXVII 22[b] rem quandam quae in Cyzici obsidione Mithridati accidit enarrat; sed de fonte

---

1) Cf. Memn. c. 45, 1.

2) Cf. Wölfflin, „de L. Ampelii libro memoriali."

3) Cf. Heyn l. l. p. 51.

4) Cf. Plut. Luc. 11: Σαλουστίου δὲ θαυμάζω τότε πρῶτον ὦφθαι Ῥωμαίοις καμήλους λέγοντος.

5) Cf. Plut. Luc. 43.

6) Cf. indicem ap. Brunn p. 4.

7) 'Civitas Ziela intus, nobilis clade Triarii.'

8) Cf. Brunn p. 19.

nihil affirmare audeam, nisi eodem ex auctore fortasse hoc sumptum esse, ex quo habuit Strabo fr. 80. — Praeterea fr. lib. XXXVIII 22, 1 contemplationes continet, quae bene ad eandem obsidionem Cyzicenam quadrare videntur.

Phlegontis fragmentum 12, quo res olympiade 177 gestae enumerantur, summi est momenti; sed quosnam habeat auctores nescimus. Id unum, quod iam supra contendimus, veri simile esse videtur, de pugna Tigranocertana etiam Pontici Graecive alicuius scriptoris memoriam apud Phlegontem latere.

Caput VI

De minoribus rebus domi militiaeque gestis

§ 1. De bello piratico Servilii

De bello contra praedones P. Servilio duce Isaurico qui postea cognominatus est gesto tam egregie egit H. Jordan[1]), ut paucissima corrigenda relinqueret. Anno 78 expeditionis initium Servilius fecit Sulla etiam tum vivo.[2]) Sed iam quaeritur, quot per annos bellum gesserit. Namque imperium exercitus Servilium per quinquennium obtinuisse testatur Cicero Verr. III 211; contra Eutropii verbis: 'intra triennium bello finem dedit' nixi omnes adhuc viri docti durasse Servilii expeditionem usque ad anni 76 exitum existimarunt. Ciceronis vero verba ne sibi opponerentur Drumann[3]) argutiose ita interpretatus est, quasi Cicero quinquennio illo praeter tres belli annos 78—76 etiam consulatus annum 79 triumphique annum 75 comprehendisset. Sed hae nugae sunt! An imperium proconsulare habuit Servilius, cum Romae fuit consul? Sed bellum confectum esse anno 75 vel e loco quo apud Livium et Sallustium[4]) exitus

1) Cuius iam defuncti dissertatio edita est in indice lectionum Regimont. aestat. 1887 habit.

2) Cf. Suet. Caes. 3.

3) IV 396, Schlimmer l. l. p. 80; etiam Jordan eodem in errore versatus esse videtur.

4) Liv. lib. 93; Sall. hist. II, fr. Aurel. col. VII—X.

eius narratus erat, deinde ea e re elucet, quod is qui Servilio succedebat L. Octavius anno demum 74 Ciliciam provinciam adeptus est; itaque si aestatem anni 74 reditui Servilii ac triumpho Romae habito tribuamus, en habemus quinquennium illud Ciceronis. Neque vero Ciceroni contradicere puto Eutropium, quippe qui nil nisi terrestre bellum adversus Isauros gestum significare mihi videatur.

Primum igitur Servilius classem praedonum loco nobis quidem ignoto non incruenta victoria fugavit.[1]) Deinde oppida cepit piratarum in litore Lyciae ac Pamphyliae sita; e quibus primum Olympum expugnavit, ubi Zenicetes dux postquam frustra castellum montemque defendit sese conbussit[2]); exin Corycum, Phaselim, Attaleiam[3]) ceterasque Pamphyliae urbes subiecit. Corycum autem in Lycia situm tunc expugnatum esse et e tota rerum condicione et e verbis Strabonis: *Τούτου δ' ἦν καὶ ὁ Κώρυκος καὶ ἡ Φάσηλις καὶ πολλὰ τῶν Παμφύλων χωρία· πάντα δ' εἷλεν ὁ Ἰσαυρικός* elucere puto, neque debuit Drumann[4]) hoc oppidum confundere cum celeberrima Ciliciae illa urbe specu famoso nota. — Insequenti deinceps triennio (77—75) terrestre gessit Servilius contra Cilices et Isauros bellum. Ac primum Ciliciam[5]) pacasse videtur, ubi etiam ad oppidum Corycum eum venisse e Sallustio[6]) sequitur; deinde per Taurum in Isauros profectus[7]) Oroanda,

---

1) Cf. Flor. I 41, 4.

2) Strabo fr. 96[a].

3) Cf. Flor. l. l.; Eutr. VI 3; Oros. V 23, 22; Ps.-Ascon. p. 173; schol. Gron. p. 404; Cic. de leg. agr. I 5; ibid. II 50.

4) IV 397; item Jordan. Sed rectum iam Mommsen suspicatus est. Eutropius vero cum dicit: 'Is Ciliciam subegit, Lyciae urbes clarissimas oppugnavit et cepit: in his Phaselida, Olympum, Corycum Ciliciae', sibi ipse contradicit; quare cum Grunero vocem 'Ciliciae' glossema ineptum removeo.

5) Cf. Velleium II 39: 'Ciliciam perdomuit Isauricus'; Eutr.: 'Is Ciliciam subegit.'

6) Cf. Sall. fr. I 80 (quod quidem iniuria primo libro attribuitur): 'Iter vertit ad Corycum urbem inclutam specu atque nemore, in quo crocum gignitur.'

7) Cf. Oros. l. l.: 'Tauri quoque montis latera in Ciliciam vergentia perscrutatus Isauros bello fractos in dicionem redegit.'

Isauram veterem novamque[1]) oppida expugnavit. De Isaura vetere expugnata et Isaura nova dedita Sallustii narratur nuper invento fragmento libri secundi Aurelianensi col. VII—X, illa de re etiam Frontinus III 7, 3 refert, quem e Sallustio hoc hausisse existimo; cf. enim 'ad deditionem siti compulit' cum Sall. col. VIII: 'Egestate aquae coacta deditio est.'

Iisdem temporibus C. Iulius Caesar privatus contra praedones pugnavit.[2]) Namque cum autumno 77 Roma excederet Rhodumque veheretur a piratis captivus factus est, sed mox pecunia liberatus aliquot naves eorum cepit ipsosque morte punivit.

§ 2. De bellis in Macedonia Thraciaque gestis.

Tres in Macedoniam provinciam his annis a Romanis susceptae sunt expeditiones, prima Appio Claudio duce contra Thraces tuendae provinciae causa, dein C. Scribonio Curione imperatore contra Dardanos; tertia a M. Lucullo contra Thraces Moesosque. Isdem temporibus etiam Dalmatia per C. Cosconium occupata est. — Ac primum Appius Claudius eodem quo Servilius anno a Sulla dictatore in Macedoniam post consulatum missus esse videtur, ut Dolabellae succederet; sed quominus eo proficisceretur cum morbo[3]) tum morte Sullae seditionibusque Lepido auctore ortis eum prohibitum esse puto. Ineunte anno 77[4]) interrex urbem contra Lepidum defendit, sed mox in Macedoniam profectus contra Rhodopaeas gentes in provinciam saepius invadentes pugnavit.[5]) Simul classis Romana litora Thraciae aggressa[6]) est. Proximo anno 76 Claudius rebus minus feli-

1) Cf. Cic. de leg. agr. II 50; Strabo fr. 96b.

2) Suet. Caes. 4; Vell. II 42; falso Plutarchus Caes. 1—2 hanc rem Caesari e Bithynia Romam navigaturo accidisse refert; ceteris autem de rebus Plutarchus cum Velleio ita congruit ut ex eodem scriptore, nempe Livio, utrumque hausisse putaverim.

3) Cf. Sall. fr. I 78: 'Atque Servilius aegrotum Tarenti collegam prior transgressus' (scil. reliquit).

4) Iniuria igitur Neumann II p. 41 Appium Claudium 78—76 triennium in provincia fuisse commemorat.

5) Eutrop. VI 2; S. Ruf. Fest. 9; Oros. V 23, 19; Amm. Marc. XXVII 4, 10.

6) Cf. Fest. c. 9: 'Europae maritimas urbes antea Romana classis

citer gestis morbo correptus mortuus est. — Deinde qui ei succedebat C. Scribonius Curio quaerendum est, quosnam per annos in Macedonia bellaverit. Consul autem cum fuerit anno 76, viri docti annos 75—73 in Macedonia proconsulem eum fuisse iudicaverunt, falso quidem sicut mihi videtur. Namque per triennium Curionem bellum gessisse tradit Eutropius: 'triumphumque meruit et intra triennium finem bello dedit'; cum vero idem postea dicat M. Lucullum bellum Thracicum gerendum suscepisse eodem anno quo fugitivorum inciperet tumultus i. e. anno 73, illo Curionis triennio annos significasse putandus est 76, 75, 74. Sed sibi ipse oppugnare videtur Eutropius, cum antea scripserit: 'missus ei successor C. Scribonius Curio post consulatum', i. e. anno 75. Cum altera Eutropii relatione optime convenit, quod Ps. Frontinus IV 1, 43[1]) seditionem initio expeditionis consule Curione, non proconsule factam esse dicit; Curio igitur secundum Ps.-Frontinum Eutropiumque iam consul i. e. anno 76 bellum inierat. Et omnino fieri potuisse nego, quin Appii Claudii loco, cum anno 76 moreretur, statim eodem etiam anno 76 successor mitteretur. Verba autem periochae 92 'res a Curione proconsule in Thracia gestas adversus Dardanos' (scil. continet) nobis opponi nequeunt, quia his nihil efficitur, nisi libro 92 res anno 75 a Curione gestas contineri. — Curio igitur anni 76 aestate in Macedoniam profectus primum seditionem militum inhibuit. Tum postquam contra Thracum quasdam gentes[2]) minus bene pugnavit, cum ad septentrionem sese convertere mallet, Dardanos adortus subegit et Moesiam superiorem Romano addidit imperio[3]) usque ad Danuvium primus Romanorum progressus.

Postremo M. Lucullus consul anno 73 in Macedoniam provinciam profectus esse mihi videtur; quamquam autem Dru-

---

obtinuit' et Amm. Marc. l. l.: 'Oppida enim in Bosporo sita et Propontide classes obtinuere Romanae.'

1) Minime vero verba Frontini errori tribuenda erunt, id quod voluit Gundermann.

2) Cf. Obseq. c. 59: 'Adversum Maedos varie dimicatum.'

3) Cf. S. Ruf. Fest. 7; Flor. I 39, 6; Eutr. et Oros. l. l., per. 92 et 95; Amm. Marc. XXIX 5, 22.

mann[1]) anno demum 72 Lucullum bellum Thracicum gerendum suscepisse contendit, ex Eutropii loco, de quo iam egimus, hoc falsum esse satis elucere arbitror. Praeterea si anno 73 Lucullus Romae fuisset, hunc certe senatus et isto et insequenti anno adversus fugitivos misisset. — Lucullus igitur ipsam denuo Thraciam aggressus Bessis ad Haemum montem victis Adrianopolin, Philippopolin, Cabylen oppida[2]) cepit. Deinde Moesiam inferiorem subiecit urbesque Apolloniam, Mesembriam, Odessum, Calatin, Istrum, Dionysopolin, Tomos, Bizonem, Parthenopolin expugnavit.[3]) Apollonia autem Apollinis magnam illam statuam Romam eum transvexisse Appianus, Strabo, Plinius referunt. Plinii index Metrodorum Scepsium exhibet, quem quidem Plinius paullo antea § 34 similis rei testem laudat; statuae illius mentionem breviter facit Plinius IV 92, cuius libri in indice iterum apparet Metrodorus. Quare Metrodorum et Strabonis et Plinii hac de re fontem esse reor. — Denique quae Frontinus III 10, 7 de Luculli clade aliqua narrat, qua ad Heracleam per Scordiscos equites affectus est, huc pertinere recte intellexit Bludau.

De bello Dalmatico nemo memoriae quicquam tradidit nisi Eutr. VI 4 et Oros. V 22, 23. C. Cosconius praetor quo anno pro consule in Dalmatiam missus sit nescimus, certe post annum 79 et ante 75; veri simillimum autem est, expeditionem eius una cum Appii factam esse, ut sicut ille partem provinciae ad orientem, hic ad occidentem sitam ab incursionibus barbararum gentium tueretur. Cosconius autem Dalmatiam biennio subegit Salona urbe capta; praeterea seditionem in exercitu eius fuisse e Cicerone pro Cluent. § 97 scimus.

§ 3. De bellis piratico et Cretensi

Contra piratas, qui a Mithridate classe adiuvabantur, anno 74 M. Antonius amplissimo imperio missus est[4]), qui primum prae-

1) IV 177; quin Mommsen eum secutus est.

2) Eutr. VI 10; Fest. c. 9;

3) Eutr. et Fest. l. l.; App. Ill. c. 30; Strabon. fr. 77; Plin. n. h. XXXIV 39.

4) Ps.-Ascon. p. 128 et p. 206; Vell. II 31. Naves socii populi Romani praebuisse ei videntur, velut Byzantii, cf. Tac. ann. XII 62.

dones mari Ligustico et Iberico expellere studuit[1]), tum in Sicilia alibique contra eos pugnavit. Anno post 73, quo classis Mithridaticae reliquiae a Triario ad Tenedum insulam deletae sunt[2]), Antonius Cretam aggressus est, quia Cretenses cum Mithridate et praedonibus societate coniuncti sua sponte se subicere Romanis nolebant. Sed mari vehementer victus[3]) ubi ad insulam appulit, pacem cum Cretensibus fecit et triennio frustra in insula trito mortuus est anno 71[4]); ludibrii causa antea Cretici cognomen acceperat. — De scriptoribus hoc unum addam, scholiorum Ps.-Asconianorum quae dicuntur complures illos locos, quibus de hoc bello agitur, e Sallustio hausta mihi videri; etenim nomine laudatur Sallustius p. 176; dein conferendum erit p. 121: 'M. Antonius curator tuendae totius orae maritimae qua Romanum erat imperium' cum fr. III 55: 'Qui orae maritimae, qua Romanum esset imperium, curator a⟨dve⟩rsus[5]) piratas.' Accedit quod inimicissimam Antonio, Cottae, Cethego optimatibus opinionem exprimunt.

Paullo post contra praedones Siciliam vastantes L. Metellus[6]) qui Verri succedebat missus est anno 70, qui prospere res gessisse videtur.

Annis deinceps 68—66 Q. Caecilius Metellus proconsul Cretam denuo aggressus in provinciae formam redegit. Sed hoc de bello Sallustius in historiis non egisse videtur; nullum enim extat fragmentum aut quarti aut quinti libri quod ad id referri possit; atque cum etiam de minoribus rebus, velut de Servilii expeditione, Appii, Curionis, quin Cosconii bellis, quae breviter Sallustius tractavit, complura servata essent a grammaticis scriptoribusve fragmenta, miro sane casu accidisset, si ex huius gravissimi belli enarratione, quam Sallustius amplissimam praebiturum fuisse existimo, tamen nullum enuntiatum, ne

---

1) Cf. Sall. fr. Aurel. col. 17—18.

2) Cf. Memn. c. 48.

3) Cf. App. nesiot. fr. 6; Flor. I 42; Dio fr. 111, 1; Diodor. XL fr. 1.

4) Cf. per. 97; Ps. Ascon. 121 et 206; schol. Bob. p. 234.

5) 'Contrarius piratis' cod. — Ceterum scholiastae ad Iuvenalem verba ita restituenda videntur: 'Antonius trium Antoniorum corrupt⟨issim⟩us ille; Sallustius' etc.

6) Cf. Oros. VI 3, 5; per. 98; Ps.-Ascon. p. 207.

minima quidem vox aetatem tulisset. At omnino quintus historiarum liber a Sallustio minus perfectus esse mihi videtur. Etenim quamquam primi secundique libri plus centena, tertii quartique nonagena fere tenemus fragmenta, quinti minimus extat fragmentorum numerus, parva quoque rerum hoc libro narratarum copia, quam quidem Cassius Dio triginta fere capitibus[1]) comprehendit. Neque est, cur negemus voluisse Sallustium res historiis usque ad Catilinariam coniurationem narrando deducere. In animo autem habuit fortasse huius belli narrationem ad annum 66, quo anno bellum confectum est[2]), complecti; morte autem magno operi finem imponere prohibitus est. Sed quocumque modo haec se habent, Sallustium de Q. Metelli bello Cretensi nihil enarrasse constare puto.

Talibus parvulis Servilii Metellorum, Triarii in Pamphyliam, Siciliam, Cretam mareve Aegaeum expeditionibus cum vis praedonum affligi non posset, ad illud rursus recurrerunt Romani, ut uni viro sicut antea Antonio, tunc Pompeio totius maris omnisque orae maritimae imperium transferrent. Quod imperium Cn. Pompeius lege Gabinia nactus tribus fere mensibus praedonibus mare liberavit. Quo de praeclarissimo viri acerrimi bello agendum nobis non erit, sed statim ad scriptores transeamus. Atque primum Dionem Cassium XXXVI 20—37 Sallustium excerpsisse, id quod per se veri simillimum est, etiam confirmatur toto narrationis studio Pompeio Gabinioque iniquo. Accedit quod de Trebellii intercedendi conatu c. 30 accurate cum Asconio p. 71[3]) et de Catuli contra legem Gabiniam oratione cum Sall. fr. V 16 verbis[4]) fere congruit. Longiores orationes Pompeii c. 25—26, Gabinii c. 27—29, Catuli c. 31—36 ipse e suo finxit, namque Sallustius obliqua eos

1) Dio Cass. XXXVI 10—41 quae e Sallustio excerpta esse partim docuimus partim infra disputabimus.

2) Similiter res a Servilio annis 77—75 gestas anni 75 exeuntis historiae adnexuit.

3) Cf. Wilmans l. l.; Lichtenfeldt in „Bresl. philol. Abhandl. II“ (1888).

4) Cf. Xiphil. p. 5: *Κάτλου δέ τινος τῶν ἀρίστων ἀνδρῶν εἰρηκότος πρὸς τὸν δῆμον, ἐὰν ἐπὶ ταῦτα ἐκπεμφθεὶς σφαλῇ κτλ.* cum fr. V 16: ‘Nam si in Pompeio quid humani evenisset.’

oratione multo brevius loquentes fecit. Attamen Gabinianae argumentum quidem e Sallustio[1]) mutuatus est. Appianum etiam c. 92—96 e Strabone hausisse secundum ea quae Otto disseruit constat. Etenim de praedonum initiis App. 92—93 cum Strab. fr. 95 neque minus c. 96 de piratis capitivis postea in Ciliciae oppida deductis cum Strab. fr. 96 ita consentit ut uterque *ἱστορικὰ ὑπομνήματα* excerpsisse putandus sit. Porro inde quod Appianus c. 95 de nominibus legatorum, qui sub Pompeio bellum piraticum administraverant, plerumque consentit cum Floro I 41, discrepat de quattuor tantum nominibus, intellegitur et Livium et Strabonem similibus vel iisdem fere usos esse auctoribus.

Plutarchum vitae Pompeianae c. 24—28 Sallustio usum esse solo Peter contenderat, cui adsensus est Otto.[2]) Paullo rectius Vogel Strabonem fontem esse iudicavit. Equidem existimo etiam hac in parte Plutarchum compluribus ex auctoribus (praecipue Livio et Strabone, interdum Sallustio) contexuisse narrationem. Namque c. 24 de initiis piratarum nihil habet cum Dione c. 20—23 i. e. Sallustio commune et nonnumquam congruit cum Appiano c. 92—93. Graecum autem fontem certe ostendi puto iis, quae de occupatis per praedones templis et inductis per eosdem novis religionibus referuntur. Etiam quae habet de Sextilio Bellienoque et Antonii filia captivis, leguntur fere apud Appianum.[3]) — Sed finis capitis inde ab: *ἐκεῖνο δ' ἦν ὑβρικώτατον κτλ.* latinum prodit auctorem suum verbis: *ὑπέδουν τοῖς καλκίοις αὐτόν*, quare haec fabula Livio fortasse attribuenda erit. — Deinde c. 25 non e Strabone fluxisse existimo, quippe quem de contionibus Romae habitis ceterisque tumultibus tam ample disseruisse minus verisimile sit; neque omnino Strabo res urbanas curabat. Unum fortasse enuntiatum e Straboni insertum est: *τοῦτο δὲ οὐ πάνυ πολλὰ χωρία*

1) Cf. c. 29, 2: *μηδὲ ὅτι τινὲς φθονοῦσι φοβηθῇς* cum Sall. fr. V 14: 'Spe⟨ciem et⟩ celebritatem nominis intellego timentem.' Videtur autem haec orationis illius extrema pars etiam directo sermone a Sallustio allata esse.

2) Peter l. l. p. 114; Otto p. 323; Vogel l. l. p. 26.

3) Cf. c. 93: *καὶ γύναια παροδεύοντα τῶν εὐπατριδῶν καὶ δύο στρατηγοὺς αὐτοῖς σημείοις συνηρπάκεσαν.*

τῆς ὑπὸ Ῥωμαίων οἰκουμένης τὸ μέτρον ἐξέφυγεν, ἀλλὰ τὰ μέγιστα τῶν ἐθνῶν καὶ τῶν βασιλέων οἱ δυνατώτατοι περιελαμβάνοντο cf. cum App. 94: *βασιλεῦσι τε καὶ δυνάσταις καὶ ἔθνεσι καὶ πόλεσι πᾶσι ἐπέστελλον ἐς πάντα συλλαμβάνειν τῷ Πομπηίῳ.* Praeterea de periculo, quod per plebem imminebat Pisoni consuli, discrepat Plutarchus a Dione; namque hic consulem contra Gabinium superbe se gerentem facit, Plutarchus vero adversus ipsum Pompeium. Contra cum Livio videtur consentire Plutarchus; etenim cum Dio Gabinium in rogatione sua nondum Pompeii nomen appellasse narret (*ἄντικρυς μὲν γὰρ οὐκ εἶπεν*), Plutarchus tradit: *ἔγραψε δὲ Γαβίνιος — — νόμον οὐ ναυαρχίαν, ἄντικρυς δὲ μοναρχίαν αὐτῷ διδόντα* atque similiter Velleius II 31: 'Cn. Pompeius ad eos opprimendos mitteretur.' Quibus de causis huius capitis priorem partem Livii esse arbitror. Sed Catuli contra legem Gabiniam oratio et Roscii contionandi conatus e Sallustio inserta sunt, cum plane conveniant cum Dione c. 30, Xiphil. p. 5, Sall. fr. V 16. Utrumque autem a Plutarcho inter aliena iniectum esse pravus rerum ordo comprobat. — Proximo capite 26 Livium rursus teneri puto; namque Plutarchus eo die quo lex perferenda erat Pompeium Roma exiisse dicit; Dio contra ipso illo die et Pompeium et alios Romae contiones habuisse refert. Tum viginti quattuor legatos Pompeio datos esse commemorat, sed apud Dionem legimus: *προσέταξαν αὐτῷ ὑποστρατήγους τε πεντεκαίδεκα.* In numeris autem exercitus Pompeio dati partim cum Appiano congruit, partim dissentit; itaque illi non e Strabone petiti sunt, potius e Livio. Atque iam antea vidimus inter Livii et Strabonis fontes similitudinem aliquam intercedere. Porro inde a verbis *οὐ μὲν ἀλλὰ διελὼν τὰ πελάγη* ipsum bellum enarrare Plutarchus incipit adeoque cum Appiano congruit, ut haec Straboni capita vindicanda sint, sicut de tripertito inter legatos mari, de altera expeditione quadraginta diebus absoluta, de praedonibus sua sponte se subicientibus atque dein in Ciliciam Achaiamque deductis omnibusque aliis in rebus. Graecum autem scriptorem cognoscimus e versibus Graecis, qui Athenis in Pompeium conscripti laudantur. Accedit quod c. 27 de Pisonis consulis apparatus bellicos impediendi conatu denuo abhorret magnopere a Dione,

cum ille in Gallia Narbonensi provincia eius, at Plutarchus Romae hoc factum esse referat. Sed a Strabone abiudicandum est capitis 28 initium, ubi pugna acris ad Coracesium promunturium facta oppugnat Appiani verbis *ἐλπίσας παντοίας μάχης καὶ πολιορκίας αὐτῷ δεήσειν ἐπὶ ἄκρας ἀποκρήμνους, οὐδενὸς δ' ἐδέησεν*, congruit cum Floro; quare Livii esse haec particula videtur.

Apud Florum I 41 nulla nisi Livii memoria quoad investigare possumus extare videtur. Quod totam de piratis victoriam quadraginta diebus partam facit, qua in re convenit cum per. 99 et auct. de vir. ill. 74, id aut Livii errori debetur (quem quidem correxit epitome Eutropiusve)[1]) aut ipsius Flori, ex quo illi forsitan hauserint.

Valerii Maximi VIII 15, 9 fons Livius esse videtur, cf.: 'Si in uno Pompeio Magno omnia reponere perseverasset' cum Vell. II 32: 'Neque omnia in uno reponenda.'

Plinius III 101 et XVI 7 res quasdam a M. Varrone gestas refert, quas teste indice[2]) ex ipsius Varronis aut 'de sua vita' aut 'de legatione' libro hausisse puto. — Idem VIII 93 octingentos quadraginta sex naves piratis a Pompeio demptas esse narrat, quod bene ad Livium[3]) Liviique narrandi genus quadrare mihi videtur. Denique Servius ad Georg. IV 122 de piratis in Graeciam et Calabriam deductis Suetonium[4]) laudat auctorem.

§ 4. De rebus urbanis.

De comitiis, contionibus, iudiciis ceterisque de rebus, quae duodecim his annis Romae actae sunt, amplissime egisse Sallustium, ex operis eius consilio studioque elucet. Sed scriptores perraro urbanarum rerum mentionem fecerunt, ita ut singularum rerum fontes indagare ac Sullustianam restituere memoriam nobis non iam eveniat. Quare satis habeamus, eas tantum res de quibus a scriptoribus certiores facti sumus colli-

---

1) Cf. Eutr. V: 'quod intra paucos menses ingenti felicitate et celeritate confecit.'

2) Cf. Brunn p. 5 et p. 27.

3) Cf. indicem apud Brunn p. 12.

4) Cf. Reifferscheid. Suet. rell. p. 469.

gere, omissis quidem plurimis illis rebus, quae per unum Ciceronem nobis notae sunt.

Ac primum de tumultu, qui anno 78 morte Sullae seditioneque Lepidi in urbe commotus est, iam supra disseruimus.

Anno 77 D. Iunio Bruto Mam. Aemilio Lepido Liviano coss., quorum hic factionis studio consulatum[1]) debere videtur, Cn. Dolabella repetundarum a C. Caesare iuvene reus factus a C. Cotta atque A. Hortensio defensus est[2]); quae lis autumno demum evenit. Liberato enim Dolabella Caesar Roma excessit hieme iam ineunte. Praeterea Lepido ex Italia pulso lex eius frumentaria sublata[3]), Lepidanis autem senatus consulto[4]) reditus permissus est. Eodem hoc anno C. Antonius a Caesare accusatus esse praetore peregrino M. Lucullo[5]) mihi videtur quam rem falso viri docti[6]) anno 76 attribuerunt. Etenim cum Dolabella liberato Caesar statim hieme 77/76 Rhodum navigasset, anno insequenti Romae in iudiciis versari non potuit. Itaque Antonii litem antecessisse Dolabellae i. e. anno 77 medio factam esse equidem existimo. Ergo M. Lucullus, qui cum fratre Lucio anno 79 aedilitate functus est, praetor fuit anno 77 eodem, quo Lucius, neque vero, quod putarunt viri docti anno demum 76.

Insequenti anno 76 Cn. Octavio C. Scribonio Curione coss. Cn. Sicinius tribunus plebei primus restituendae tribuniciae potestatis conatum suscepit[7]), qui statim a Curione consule oppressus est. — Eiusdem anni initio (sed hieme non-

---

1) Cf. Sall. fr. I 52: 'Curionem quaesit, uti adulescentior et a populi suffragiis integer aetati concederet Mamerci.'

2) Val. Max. VIII 9, 5; Suet. Caes. 4; Ps.-Asc. p. 103.

3) Etenim quoniam lex Terentia Cassia Lepidanam legem repetiit, interea hanc irritam factam esse veri videtur simile esse.

4) Cf. Sall. fr. III 63: 'Post reditum eorum, quibus senatus belli Lepidani gratiam fecerat.'

5) Plut. Caec. 4; Ascon. p. 84.

6) Drumann IV 177; Schlimmer l. l. p. 33; Neumann II p. 39.

7) Cf. Sall. or. Licin. Macr. 8 et 10; Plut. Crass. 7; Sall. fr. II 35 et 36; Ascon. p. 103; Val. Max. IX 14, 5; Plin. VII 55 (qui e Valerio hausit). Falso autem Sallustius tribuno Lucii praenomen praebet, cf. Cic. Brut. 216.

dum peracta) vehementi terra motu concussa est, in Italia Reates, Cordubae in Hispania.[1])

Deinde anno 75 L. Octavio C. Aurelio Cotta coss. Cyrene, quae iam pridem Apionis regis mortui testamento Romanis data erat, in provinciae formam redacta est.[2]) Paullo post fame in urbe exorta tribunisque agitantibus tumultus plebis exarsit[3]), quo in enarrando Sallustius Cottae consulis longiorem finxit orationem. Sed mox L. Opimio tribuno plebis auctore C. Cotta legem tulit tribuniciam[4]), ut tribunis plebei liceret alios deinceps magistratus capessere. De aliis nonnullis legibus, quas a Cotta latas, sed mox ab ipso abrogatas esse scimus, Sallustius nihil rettulit.[5])

Proximo anno 74 L. Licinio Lucullo M. Aurelio Cotta coss. L. Quintius trib. pl. denuo de restituenda tribunicia potestate egit turbulentis aliquot contionibus, sed Lucullus consul publice in eum vehementer invehens privatimque pecunia data conatu tribunum deterruit.[6])

Porro anno 73 M. Terentius Varro Lucullus C. Cassius Varus coss. legem frumentariam[7]) tulerunt, ex qua Verres praetor frumentum in Sicilia coemptum Romam mitteret et qua Lepidi lex Aemilia iterata est. Eodem anno lex Plautia de reditu Lepidonorum[8]) lata esse videtur, quam ipse quoque

---

1) Cf. Obseq. c. 59 et Sall. fr. II 43 (ap. schol. ad Luc. I 552): 'Set Metello Cordubae hiemante cum duabus legionibus alione casu an, sapientibus ut placet, venti per cava terrae citatu rupti aliquot montes tumulique sederunt.'

2) Cf. Sall. fr. Berol. col. II (Hauler-Jordan), App. b. c. I 111; Plut. mor. p. 255 E; Eutr. VI 11; S. Ruf. Fest. c. 13; Amm. Marc. XXII 16, 24.

3) Cf. Sall. fr. Berol. Aurel. col. II—IV.

4) Cf. Sall. or. Lic. Macr. § 8; Ascon. p. 66 et 78; Ps.-Ascon. p. 200.

5) Cf. Cic. pro Cornel. fr. 8 et Ascon. p. 66.

6) Cf. Plut. Luc. 5; Ascon. p. 103; Cic. pro Cluent. 77. 79. 103. 116.

7) Sall. or. Licin. Macr. 19—20; Cic. Verr. III 163 et V 52.

8) Gell. XIII 3; Val. Max. VII 7, 6; Suet. Caes. 5 — Iniuria autem Kritz et Schlimmer l. l. p. 33 Plautiam rogationem anno 77 vindicarunt, quoniam e Suetonio satis constat belli Mithridatici initio i. e. anno 74 in Asia fuisse Caesarem. Recte Lange „Röm. Altertümer" III² p. 185

Caesar ex Asia reversus in contione defendit. Simul Caesar in reciperandae potestatis tribuniciae actione magnopere adiuvit tribunos, quorum tunc acerrimus Licinius Macer extitit libertatis vindex. Hunc autem Sallustius longiore ad plebem oratione contionantem fecit.

Anno deinceps 72 L. Gellio Poplicola Cn. Cornelio Lentulo Clodiano coss. rogata est lex Cornelia de solvenda pecunia[1]), quae pro bonis publicatis etiam tunc debebatur, quam legem falso Mommsen ac Kritz anno 70 a censore Lentulo esse promulgatam contenderunt. Namque cum e Cicerone[2]) eluceat, rem quam voluerat perferre Lentulus, constitutam esse senatus consultis aliquot, non post haec consulta Lentulum legem rogasse existimo, sed antea legem eius perferri non potuisse, tum demum senatum idem consulto suo decrevisse. Quae si ita sunt, quoniam anno 70 res iam 'aliquot consultis' acta erat, legem non a censore anno 70, sed a consule anno 72 promulgatam esse cum Langio Neumannoque[3]) consentio. Praeterea hoc anno consules Hispania subacta legem tulerunt, ut cives Romani essent quos Cn. Pompeius de consilii sententia singillatim civitate donasset.[4])

Anno 71 P. Cornelio Lentulo Sura Cn. Aufidio Oreste coss. denuo motu terrae concussa est Italia atque Asia.[5]) Sed sub finem huius anni Pompeius in Italiam revertens ad populares se applicaturus[6]) visus est; neque vero is neque Crassus

ad annum 73 eam rettulit; Drumann III p. 139 quidem minus apte anno 70 latam esse dicit.

1) Sall. fr. IV 35: 'At Cn. Lentulus patriciae gentis, collega eius, cui cognomentum Clodiano fuit, per incertum stolidior an vanior, legem de pecunia, quam Sulla emptoribus bonorum remiserat, exigenda promulgavit.'

2) Cic. Verr. III 81: 'Unum hoc aliquot senatus consultis reprehensum decretumque est, ut quibus ille (scil. Sulla) de capite dempsisset, ii pecunias in aerarium referrent.'

3) Lange l. l. p. 190; Neumann II 75.

4) Cf. Cic. pro Balb. 19. 39.

5) Cf. Phleg. fr. 12: καὶ σεισμοῦ ἐν Ῥώμῃ γενομένου πολλὰ ταύτης συνέπεσε et Nicol. Damasc. fr. 80 (ap. Athen. VII p. 332 F, F. H. G. p. 416).

6) App. b. c. I 121; Plut. Pomp. 21; Ps.-Ascon. p. 147; Sall. fr. IV 31: 'multisque suspicionibus volentia plebi facturus habebatur.'

exercitus dimisere[1]), dum triumphus decretus actusque esset; Pompeius quidem per M. Lollium Palicanum tribunum plebis magnam prope urbem contionem[2]) habuit, consilia sua expliciturus, tum prid. Kal. Ianuar. anni 70 cum Metello triumphavit[3]), cum Crassus ovationem[4]) quae dicitur nactus esset. Crassum autem in consulatus petitione ab eo rogatus libenter adiuvit.[5]) Attamen postquam consulatum inierunt, denuo etiam inimiciores[6]) sibi facti sunt, quam antea.

Ac primum consules tribuniciam potestatem[7]), id quod iamdudum cupiverant populares, eundem quo ante Sullam fuerat in modum restituerunt; deinde censorum creandorum auctores fuerunt Gellii Lentulique[8]), qui biennio antea consulatu functi erant; tum L. Aurelii Cottae lege iudiciaria[9]) equitibus tribunisque aerariis iudicia a Sulla dempta reddiderunt. Interea notissima Verris illa lis accusatore M. Cicerone agi coepta est. Pompeius autem ludos votivos[10]) dedit quindecim per dies mensi Sextili habitos, ac similiter Crassus, ut plebis gratiam reciperaret splendida Herculi deo fecit sacra.[11]) Exeunte

---

1) Plut. et App. l. l.

2) Ascon. p. 103. 193; Sall. fr. IV 30 et 32: 'Si nihil ante adventum suum inter plebem et patres convenisset, coram se daturum operam — — — — — multitudini ostendens, quam colere plurimum, ut mox cupitis ministram haberet, decreverat.'

3) Plut. Pomp. 22; Vell. II 30; Val. Max. VIII 15, 8; Eutrop. VI 5; Flor. II 10, 9; schol. Bob. p. 307.

4) Plut. Crass. 11; Gell. V 6; Plin. XV 125.

5) Plut. Crass. 12; Pomp. 22; Sall. fr. IV 33: 'Collegam minorem et sui cultorem expectans.'

6) Plut. l. l., Sall. fr. IV 34: 'Crassus obtrectans potius collegae quam boni aut mali publici gnavus exactor.'

7) Plut. Pomp. 22; Ascon. p. 103 et 193; schol. Bob. p. 397; Liv. per. 97; Vell. II 30.

8) Plut. Pomp. 22; Liv. per. 98; Ascon. p. 84 et 150. — Creatos esse censores mensi Aprili vel Maio conclusit Lange l. l. p. 193; certe vero antequam comitia haberentur iam nominati erant.

9) Plut. Pomp. 22; Ascon. p. 16. 67. 78. 103. 127; schol. Bob. p. 229. 235. 339; schol. Gronov. p. 386; Liv. per. 97; Vell. II 32; cf. Lange p. 196.

10) Ascon. p. 142. 150; schol. Gron. p. 395; Cic. Verr. act. I 31.

11) Plut Crass. 12.

demum anno Caesaris aliorumque opera reconciliati sunt Pompeius et Crassus.[1]) Praeterea hoc anno per Crassum legem Liciniam de sodaliciis[2]) latam esse scimus.

Iam ad annum veniamus 69, quo consules erant A. Hortensius Q. Caecilius Metellus. Hoc anno Iovis Capitolini templum refectum et a Q. Catulo dedicatum[3]) est; eodem continetur M. Pupii Pisonis de Hispania annis 71—70 plane subacta triumphus.[4])

Anno 68 Q. Marcio Rege L. Caecilio Metello coss. alter consulum mortuus est, cuius in locum suffectus consul non creabatur.[5]) Postea C. Calpurnius Piso iam anni insequentis consul designatus ambitus reus factus est, sed corruptis accusatoribus poenam effugit.[6])

Anno 67 C. Calpurnius Piso M. Acilius Glabrio consules erant, quorum ille legem Calpurniam tulit de ambitu[7]); turbidae deinde inter Pisonem consulem Corneliumque tribunum plebis intercesserunt contiones rixaeque.[8]) Postrema quae Sallustius narrasse historiis videtur, de iudiciis quibusdam Romae habitis ac de L. Lucullo praetore urbano exstant apud Dionem c. 40 et 41. Namque inde a. c. 42: *ἐσήνεγκε μὲν οὖν καὶ ὁ Ῥώσκιος νόμον* altera atque Sallustii memoria, fortasse Livii[9]), incipere mihi videtur; constat autem Sallustium historiis usque ad annum 67 res deduxisse.

---

1) Plut. Pomp. 23; Crass. 12; App. b. c. I 121; Suet. Caes. 19. Appianus autem, cum totius consulatus res omittat, inepta socordia haec facta esse narrat initio consulatus, cum de dimittendis exercitibus inter eos discordia erat. Neque Appiani negligentia nisus Lange l. l. p. 192 Plutarcho fidem debuit denegare.

2) Schol. Bob. p. 253.

3) Liv. per. 98; Cassiodor. s. a.; Tac. hist. III 72; Phlegon. fr. 12.

4) Ascon. p. 15; cf. etiam Wilsdorf in stud. Lips. I p. 121.

5) Cf. Dio Cass. XXXVI 6, 1.

6) Cf. Dio c. XXXVI 38, 3.

7) Dio l. l.; Ascon. p. 68. 75; schol. Bob. p. 361/62.

8) Dio c. 39—40; Ascon. p. 56—58. Ceterum et Dionem et Asconium, cum saepius artissime congruant hanc de rebus urbanis anni 67 narrationem e Sallustio excerpisse iam animadverterunt Wilmans, Grashoff, Lichtenfeldt.

9) Etenim conferas Asc. p. 79 et Dio c. 42 cum Livii per. 99.

De rei publicae administrandae ratione his annis habita hoc unum moneam, nonnumquam senatum recessisse a lege Sullae, secundum quam consules praetoresque in urbe annum degerent, proconsules ac propraetores provincias anno insequenti administrarent. Etenim M. Aurelius Cotta et L. Lucullus ille ab principio, hic mortuo Octavio ad bellum contra Mithridatem gerendum ipso consulatus anno missi sunt; similiter Curionem anno 76 Appio mortuo consulem in Macedoniam profectum esse, item M. Lucullum anno consulatus 73 Thracicum bellum suscepisse supra edocuimus.

Tabula argumenti

C. SALLUSTI CRISPI

HISTORIARUM RELIQUIAE.

EDIDIT

BERTOLDUS MAURENBRECHER.

FASCICULUS II:

FRAGMENTA

ARGUMENTIS COMMENTARIIS APPARATU CRITICO INSTRUCTA.

ACCEDUNT INDICES.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCXCIII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

PATRIS MANIBUS

SACRUM.

PRAEFATIO.

In Prolegomenis huic editioni ante hoc biennium praemissis qua ratione historiarum editori utendum esset disserui ac de studiis a prioribus editoribus aliisve hominibus doctis in Sallustii historias collatis disputavi. Duo tunc adulescentes edendis historiis operam navarunt, Theodorus Böhnigk Lipsiensis, Paulus Jürges Gottingensis, qui ille quidem flebili subitaque nuper morte operi suo sodalibusque ereptus, hic docta diligentique dissertatione optime nunc meritus est *„De Sallustii historiarum reliquiis capita selecta“* inscripta (*Einbeck 1892*). Attamen equidem ego operis quod subii consilium minime dimittendum esse ratus sum. Sed de variis rebus a Jürgio in libello magna laude digno collectis coniectisque infra in singulorum fragmentorum commentariis egi, nunc quidem de huius editionis consilio atque indole pauca me praefari necesse est.

Duplici respondere muneri is qui historias edit cogitur; namque fragmenta ordine suo edenda atque apparatu commentariisque instruenda et res quae in historiis narrantur, quoad eius fieri potest, restituendae sunt. Attamen modum quendam nobis quidem habendum esse existimo hac in historica, ut ita dicam, restitutione. Itaque ne certa incertis miscerem, disiunxi singulis in capitibus et enarrationem, quam quasi imaginem vel summam historiarum legas velim, et fragmenta; deinde, ne admodum intumesceret fasciculi huius ambitus, in enarratione raro tantum excerpta Sallustiana posteriorum auctorum excripsi, sed locis allatis plerumque significavi; verbo tenus laudavi locos, quibus non modo res ex Sallustio haustae sed etiam forma verbaque repetita ex eodem sunt; simul in hoc

commentario quasi perpetuo accurate definiri volui locos eos, ubi fragmenta quae aetatem tulerunt inserenda esse videntur. —

Omnem vero hanc materiem primum per libros quinque illos, deinde per capita a me facta distribui. Sin quaerimus quonam ordine Sallustius in singulis libris narraverit, Kritz quidem illum res non secundum singulos annos carptim disposuisse putat, sed pro cuiusque belli ratione complurium annorum res gestas ad unum rettulisse caput; etenim indignum fuisse Sallustio ieiunam sequi rerum enumerationem in annalibus usitatam. Contra hunc Hauler iure e rerum fragmento Aurelianensi narratarum dispositione conclusit in comprendendis rebus iustum modum Kritzium transgressum esse. Neque enim solam temporis rationem secutum esse Sallustium vel ea re sequitur, quod eiusdem anni res diversis libris discerptae sunt neque in eodem libro omnes eiusdem belli res in unum collocasse fragmento Aurelianensi discimus. Itaque hac in difficultate eum secutus sum modum, ut bella graviora per annos disponerem, minoribus vero in rebus etiam complurium annorum gesta in unum plerumque caput comprehenderem, res denique urbanas per annos ita distribuerem, ut eiusdem anni omnes uno capite continerentur. Ceterum nonnumquam examinatis iis scriptoribus, qui Sallustii historiis fonte usi sunt, etiam de ordine rerum ab auctore adhibito certiores fieri licet. Sed de singulis libris rebusque in iisdem enarratis infra disputatum est.

Ipsorum fragmentorum numerus post Kritzii Dietschiique editiones vix adeo auctus est; quae nova repperit olim Wölfflin publici iuris fecit in editionis Dietschianae recensione (*Philol. vol. 17 p. 540*) et nuperrime sua quaedam collegit P. Jürges l. l. p. 14 sq., vd. infra *tabulam fragmentorum* p. 238. — Pro fragmentis ea tantum habui quae nomine Sallustii laudato re vera ex historiis sumpta esse videntur, minime vero ea quae non nisi coniectura e sermonis Sallustiani similitudine vel comparatis inter se posterioribus scriptoribus enucleare possis (velut nuper fecit Vogel *act. semin. Erlang. II 432*); ceterum iis de fragmentis priorum editorum quae e nostra editione removenda esse iudicavi egi appendice prima. — Deinde de interpretandis disponendisve fragmentis quantopere disces-

serint adhuc virorum doctorum opiniones vel breviter inspectis Debrossii, Kritzii, Dietschii editionibus cognoscas. Atque pauca sunt fragmenta, quae quam ad rem spectent satis perspicuum est; plura extant, quae quamvis per se incerta sint, tamen collatis locis similibus eorum auctorum, qui e Sallustio sua hauserunt, ac deprensa congruentia facile intelliguntur; huic autem fragmentorum generi multum navavi curae operamque dedi ut similitudines illas reperirem. Tertium deinde est genus eorum fragmentorum quae non nisi coniectura ad certam quandam rem referantur, in quibus equidem ego probabilitatem sequi maiorem conatus sum; neque licet mea quidem opinione eiusmodi fragmenta segregare atque inter incerta relegare neque vereor ne iusto audaciorem me fuisse conclament critici; etenim mihi persuasum est eum qui harum quaestionum viam ac rationem sane lubricam cognoscat concessurum mihi veri similem quandam coniecturam multo potiorem esse quam omnino de interpretatione desperasse. Ceterum ea fragmenta, quae quo ex libro sumpta sint grammaticorum testimoniis non constet, asterisco insignia sunt, iis quorum numerus libri e coniectura mutatus est crucem apposui.

In critico fragmentorum apparatu graviora omnia enumeravi omissis iis quae ad orthographiam tantum spectent, scilicet hac de re seorsum egi in appendice secunda; grammaticorum locos ubi extant fragmenta laudavi, verba non excripsi nisi quae aut ad Sallustii orationem constituendam aut ad interpretationem fragmenti necessaria sunt; praeterea fragmentorum numeri editionum Dietschii a. 1859, maioris Kritzii a. 1853, Gerlachii a. 1856 adiecti sunt, adhoc operis Caroli de Brossii *„Histoire de la république Romaine dans le cours du VIIe siècle par Salluste“* (1777) paginas adnotavi; praeterea Dietschii Kritziique fragmentorum numeri in tabula (*indice I*) cum hac editione comparantur.

Commentarios quam maxime coartare volui, itaque ex iis omnia removi, quae non ad intelligenda fragmenta pertinerent; ex priorum editorum opinionibus et maxime ex Debrossii inventis gravissima quaeque et quae nostra nunc interesse videbantur attuli, falsas eorum coniecturas, modo sensus constare nunc mihi videretur, silentio plerumque praeterii. At omnia

quae ad sermonem Sallustianum cognoscendum vel interpretandum apta sunt eodem modo ex hac quidem editione seiunxi; etenim et ad illum percipiendum praesto nobis sunt Catilina ac Iugurthinum et iis de quaestionibus alia data occassione brevi agendum mihi esse spero. Eandem ob causam etiam imitatorum locos Sallustianis similes non recepi in commentarium, nisi quos ad verba Sallustii constituenda necessarios putabam. —

Restat ut subsidia commemorem quibus in fragmentorum recensione emendationeve usus sum. Simul signa compendiaque afferam quibus secutus editores codices notavi. Ceterum animadvertas ea tantum hic allata esse, quae infra in editione laudantur.

Grammatici:

Quintiliani instit. rhetor., ed. Halm 1868/69, ed. Meister 1886/87.

A Ambrosianus F 153, saec. XI.

B (G) Bambergensis M IV 14, saec. X; illa quidem codicis pars quae saeculo post ab altero scripta est littera G notatur.

Gellii noctes atticae, ed. II. M. Hertz 1883/85.

A Codex rescriptus Palatinus 24, saec. fere V, continet librorum I—IV particulas.

V Vaticanus 3452, saec. XIII.

P Parisinus 5765, saec. XIII.

R Leidensis (Rottendorfianus) 21, saeculi XII. continent libros I—VII.

Deinde libros IX—XX exhibent:

O Vaticanus (Christ.) 597, saec. X.

Q Parisinus 8664, saeculi XIII.

Z Leidensis Voss. 7, saec. XIX.

B Bernensis 404, saec. XII, fragm. e libris IX—XII.

Nonii compendiosa doctrina, ed. L. Müller 1888 (paginae citantur secundum Mercierum).

L Leidensis Voss. lat. 73, saec. IX.

H Harleianus 2719, saec. IX.

G Guelferbitanus Gud. 96, saec. X vel XI.

F Florentinus pl. 48, 1, saec. XI—XII.

Praeterea Gen. Genevensis 84, saec. X, et

B Bernensis 83, saec. X, capitis quarti testes.

Bamb. Bambergensis M V 18, saec. IX—X, capita continet III. V—XX.

Ex Florentini collatione a Müllero in editione nondum adhibiti sex fere locos rogatus a me I. M. Stowasser eximia liberalitate mecum communicavit. Capita quidem I—III memoria genuina cognataque cum Leidensis memoria ille exhibet, reliqua multo posteriora deterioraque sunt.

Festi de verborum significatione, ed. C. O. Müller 1839, ed. Thewrek de Ponor 1890.

Macrobi saturnalia, ed. II. Eyssenhardt 1893.

P Parisinus 6371, saec. XI.

B Bambergensis ML V 5, 9, saec. IX.

Sequitur magna grammaticorum latinorum series ab Henrico Keilio collectorum; quibus in afferendis Keilii volumina et paginas laudavi.

Charisii inst. gramm., ed. Keil (*Gr. lat. I*) 1857.

N Neopolitanus IV A 8, olim Bobiensis, saec. VII—VIII.

Diomedis ars gramm. (*Gramm. lat. I*),

A Parisinus 7494, saec. IX—X.

B Parisinus 7493, saec. IX—X.

M Monacensis, saec. IX.

Prisciani instit. gramm., ed. Hertz, *(Gr. lat. II. III.)* 1855/59.

R Parisinus 7496, saec. IX.

D Bernensis 109, olim Bongarsianus, saec. IX—X.

S Sangallensis 904, saec. IX.

L Leidensis lat. 67, saec. IX

qui plenos libros I—XVIII continent.

K Caroliruhensis 223, saec. IX.

B Bambergensis M IV 12, saec. IX.

H Halberstadtensis (bibl. gymnas.) M 59, saec. X libros habent I—XVI.

A Amiensis, saec. X—XI, fragm. praebet e libris IV—VI.

S Vindobonensis 347 } saec. X } librorum XVII—XVIII.
N Vindobonensis 348
O Parisinus 7499
M Monacensis 280 A, saec. XI

Probi catholica, ed. H. Keil (*Gr. lat. IV*) 1862.
B Vindobonensis 16 (Bobiensis), saec. VII—VIII.
Instit. art. R Vaticani apographum.
B Vindobonensis 17 (Bobiensis), saec. VIII—IX.

Donati ars (*Gr. lat. IV*).

Servii comm. in artem Donati (*Gr. lat. IV*).

Cledonii ars (*Gr. lat. V*).
B Bernensis 380, saec. VI—VII.

Pompei comm. art. Donati (*Gr. lat. V*).

Eutychis ars de verbo (*Gr. lat. V*).
B Vindobonensis 16 (Bobiensis), saec. VII—VIII.
P Parisinus 7498, saec. IX.
T Monacensis 19454 (Tegernseensis), saec. XI.
F Monacensis 6416 (Frisingensis), saec. XI.

Arusiani Messii exempla elocutionum (*Gr. lat. VII*).
N Neopolitanus IV A 11, olim Parrhasii, anno fere 1509 e Bobiensi descriptus.

Marii Plotii Sacerdotis artes (*Gr. lat. VI*).
B Vindobonensis 16 (Bobiensis).

Ars de dubiis nomin. (*Gr. lat. V*).
M Monacensis 14252, saec. IX.
V Vindobonensis 89.
L Laudunensis 463.

Scholia:

Servii comm. in Vergilium, ed. Thilo 1878/87.

Scholia pleniora (Danielis quae vocantur):
C Casselanus poet. fol. 6 (Fuldensis), saec. IX—X.
P Parisinus 1750, saec. X; continent Aeneidos libros I—II.
F { Bernensis 172 / Parisinus 7929 } olim Floriacensis, saec. IX—X.
G Bernensis 167 (Autissiodorensis), saec. X.
T Bernensis 165 (Turonensis), saec. IX; continent Aen. lib. III—XII.

L Leidensis Voss. lat. 80 (Lemovicensis), saec. IX—X, complectitur Bucol. IV—X, Georg. I.

V Vaticanus 3317, saec. X—XI, habet Georg. I—IV; cuius scholia sub Philargyrii nomine antea ferebantur.

Scholia Servii vulgata:

L Lipsiensis (bibl. sen.) I 36[b], saec. X, usurpatus est in recens. Aen. I—XII.

H Hamburgensis 52, saec. XI.

M Monacensis 6394 (olim Frisingensis), saec. XI; uterque continet comm. ad Aen. I—XII, Bucol., Georg.

B Bernensis 363, saec. IX, Aen. I, Bucol., Georg.

N Laurentianus plut. 22, 1, saec. X, adhibitus est Aen. IV. V.

A Caroliruhensis 116, saec. X, usurpatus est Aen. VI—XII, Bucol., Georg.

R Reginensis 1674, saec. X, Aen. VI—XII.

S Sangallenses 861 et 862, saec. X, Aen. VI—XII.

F Monacensis 18059 (olim Tegernseensis), saec. XII, adhibitus nonnisi Aen. II. III.

P Parisinus 7959, saec. X, collatus Bucol., Georg.

R Reginensis 1495, saec. X, Bucol., Georg. I.

Scholia Bernensia ad Vergilii Bucolica atque Georgica, ed. Hagen, *annal. philol. suppl. IV* (1867).

Scholia Veronensia, ed. Keil (*M. Valerii Probi in Vergilii Bucolica et Georgica commentarius, acc. scholiorum Veronensium .... fragmenta*, 1848). — Ex Veronensi (rescripto) 38, saec. IV, rescr. saec. IX; novam palimpsesti collationem praebuit Bücheler, *annal. philol. 93 (1866) p. 65 sq.*

Scholia in Lucanum:

Commenta Bernensia, ed. Usener 1869.

B Bernensis 45, saec. X.

C Bernensis 370, saec. X.

Adnotationes super Lucanum.

Ex hisce Sallustiana quaedam edidit Usener programmate Bernensi *De scholiis Horatianis* 1863 et *mus. Rhen. 19 p. 147;* nunc quidem e nova quam diu praeparatam habuit editione omnia quae ad Sallustium

spectant excerpta summa liberalitate comitateque neque sine magno suo labore mihi tradidit. Quo splendido viri humanissimi beneficio instructus ea quae ex scholiis Lucani hausta sunt multo emendatiora atque accuratiora edidisse me vehementer spero. — Subsidia in recensendis adnotationibus praesto fuerunt Usenero praeter Bernensem C haece:

W Wallersteinensis lat. n. 6, saec. X.

G Bruxellensis 5330 (Gemblacensis), saec. X.

V Leidensis Voss. lat. 63, saec. X. Bernensis ac Wallersteinensis plenas adnotationes, hi scholia in margine scripta et ex adnotationibus hausta exhibent.

Donati ad Terentium commentarius, ed. Lindenbrog 1623; praeterea adhibitae sunt editiones Westerhovii 1726, R. Klotzii 1838. — Quae cum nullius fere hodie pretii essent, intercedente C. Wachsmuthio C. Dziatzko vir humanissimus collationes optimorum duorum codicum mihi dedit, Oxoniensis et Parisini (cf. *annal. philol. suppl. X p. 662*), neque rogatus a me qua est liberalitate in explicandis singulis collationis locis mihi defuit. Sunt libri:

O Bodleianus can. lat. 95.

P Parisinus 7920 (qui nonnisi commentarium ad Andriam scriptum praebet). — Praeterea monente Dziatzkio ne Dresdensem librum omitterem, A. Richterum bibliothecae Dresdensis custodem adii, qui comiter quindecim fere locos graviores contulit lectionesque mecum communicavit. Est liber

D Dresdensis Dc 132, saec. XV.

Adhoc nonnumquam varietates lectionum editionis principis a. 1472 (Romae) ex codice adhuc ignoto oriundae a me allatae sunt.

Scholia Bembini codicis ad Terentium, ed. Umpfenbach, *Herm.* II p. 337 (*Die Scholien des codex Bembinus zum Terentius*).

Scholia Horatiana:

Porphyrionis commentarii in Horatium, ed. W. Meyer 1874.

M Monacensis 181, saec. X.

Acronis quae feruntur scholia ita ut vix iis uti possis edidit Hauthal, cf. Kurschat '*Unedierte Horazscholien des codex Parisinus*', *progr. gymn. Tilsitensis 1884*; ex eadem scholiorum mole, cuius complures recensiones confusae ab Hauthalio sunt, commentator qui dicitur Cruquii compositus est.

Lactantii Placidi ad Statii Thebaidem scholia editurus erat Ph. Kohlmann, cum praematura morte ereptus est; cf. *Lactantii Placidi in Statii Thebaidos lib. III 1—323 commentarii ad fidem codicum recensiti (progr. Emdenii 1887), „Neue Scholien zur Thebais des Statius" (progr. Posen 1873), Philol. vol. 33 p. 128,* Wölfflin, *Philol. 24 p. 156.* — Editionem librorum I—III et VII—XII ipse Kohlmann paene perfecit; cuius mortui schedae in bibliotheca Bonnensi depositae Schaarschmidtii praefecti eiusdem liberalitate mihi Lipsiam missae sunt.

M Monacensis 19482.
P Parisinus 8063.
T Parisinus 10317.
B Bambergensis N IV 11.
F Monacensis 6396 (olim Frisingensis).

Ad Statii libros IV—VI cum Kohlmanniana me deficerent, de lectione quadam codicum M et F Monacensium Carolum Weymanium adii, qui inspectis libris egregia benevolentia ea quae mihi defuerunt mihi excripsit.

Scholia ad Iuvenalem, ed. III. Iahn-Bücheler 1893.
P Montepessulanus 125 (Pithoeanus).
S Sangallensis 870.

Trium locorum ex his codicibus varietatem a Chr. Stephano petivi, qui summa comitate mihi obsecutus est.

Auctores reliqui:

Suetonius de grammaticis et rhetoribus, ed. Reifferscheid 1860.
V Vaticanus 1862, saec. XV.
L Leidensis Periz. C. 21 saec. XV.

N Neapolitanus IV 21, saec. XV.
O Ottobonensis 1455, saec. XV.
G Gudianus 93, saec. XV.
I Vaticanus 1518, saec. XV.

Marii Victorini expositio in rhetorica Ciceronis (*Rhetores latini minores ed. Halm*).
D Darmstadtiensis, saec. VII.
F Monacensis 6400 (Frisingensis), saec. X.
B Bambergensis M IV 4, saec. XI.

Rufiniani de figuris et sentent; de schematis lexeos, ed. Halm *ibidem*.
B Spirensis codicis lectio ex editione principe Basiliensi a. 1521 petita.

Augustinus de civitate Dei, ed. Dombart 1863.
A Monacensis 3831 (Augustanus).
F Monacensis 6267 (Frisingensis).

Isidori origines, ed. Arevalo (repressa in Mignii *patrologia latina vol. 82*).
Secundus originum liber ex editione Halmii (*Rhetor. lat. p. 507*).
A Wolfenbuttelanus, saec. VIII.
F Monacensis 4541 (Frisingensis), saec. IX.

Orationes et epistulae ex Sallustii historiis excerptae optime e V Vaticano 3864, saec. X, unico earum fonte editae sunt ab H. Iordano (*Sall. op. ed. III.* 1887); collationem Vaticani a Iordano confectam et in exemplari suo margini adscriptam inspexi, cum A. Wilmanns summus bibliothecae Berolinensis praefectus eximia cum liberalitate illud ut mihi mitteretur concessit; ex eodem quae de orthographia Vaticani Parisinique codicum adnotavi hausta sunt.

De fragmentis historiarum e codicibus rescriptis petitis vide quae infra singulis locis dicta sunt.

Iam haec scripseram iamque prelo subicere praefationem festinabam, cum mihi ambulanti per amoenas Rheni ripas perque Bonnae patriae urbis vicos iucundos Usener locum a Sallustii historiarum prooemio haud alienum qui me fugerat ostendit Firmici Materni astrologi. Etenim Firmicus ille, ut

evinceret fati et stellarum dira necessitate omnia regi atque praedestinari, complura affert exempla ex rerum gestarum memoria petita; in quis etiam plura promit de Sullanis temporibus, et haec primo iam obtutu partim e Sallustii historiarum libro primo hausta compositaque esse videntur. Iam vero monente me Usenerum, ut ita ederet locum uti purgatum librariorum mendis nisus optimorum codicum collationibus in schedis suis reconditum habebat, summa ille cum benevolentia permisit mihi, ut editioni meae Sallustianae hoc Firmici frustrum e sua recensione adnecterem. Namque ego, cum ea quae Sallustiana esse mihi viderentur enarrationi capitum secundi tertiique primi historiarum libri inserere non iam possem, totam hanc Firmici disputationem edendam esse melius duxi.

Itaque iam sequatur Firmici Materni enarratio bellorum civilium e Sallustio Livianaque epitome contexta editaque ex Useneri recensione; cui pauca commentaris instar addidi.

Hisce usus est ille subsidiis:

A Monacensis 560, saec. XII.
B Monacensis 49, saec. XVI.
M Montepessulanus 180, saec. XI et XII (illa quidem pars, quae ad nos pertinet, XII saeculo scripta est).
P Parisinus 7311, saec. XI.
Q Parisinus 7312, saec. XIII.
β Editio Basiliensis altera (Iulii Firmici Materni iunioris Siculi v. c. ad Mavortium Lollianum astronomicon libri VIII per Nicolaum Prucknerum astrologum nuper ab innumeris mendis vindicati. Basileae 1551, per Ioannem Hervagium).

Iulii Firmici Materni matheseos lib. I, c. 3.

'Ad Romana nunc si placet revertamur exempla. ecce Ed.Bas.p.10 ignavos ille vir et omni infamiae maculatione pollutus — Sullam dico — *qui a primo vestigio pubescentis aetatis in scurrarum gremiis per damna nundinati pudoris adolevit*, totiens prospere duxit exercitum, et ut felix diceretur fecerunt innumerabilia rei publicae naufragia. respice quotiens laceratis patriae visceribus civili sanguine cruentatur. ecce innumerabiles proscriptionum tabulas ponit et cruentarum pe-

cuniarum parricidali collatione ditatur. sed nunc, licet sit omnia facinora eius enumerare difficile, pauca tamen enumerabimus, ut ex istis vim fatalis necessitatis agnoscas. septem milia civium nostrorum in medio sinu urbis Romae Sullana animadversione ceciderunt: mihi crede, nulla vis alia, nullum peccatorum meritum, nulla deorum voluntas, sed fatorum necessitas istam multitudinem Sullanis manibus impegit. quod nunc putas esse iudicium, quem rationis ordinem, ut ille *qui* numquam fuit memor sexus sui, *qui ultra commendationem gratiae puerilis aetatis senex exoletus in aliena aetate flagitia corporis detinebat, vitiis obsessus* Romana gubernaret imperia? *hunc sciebamus in praeturae petitione deiectum, cui gravissimus Censorinus veris ac firmis accusationibus spoliatae provinciae crimen obiecit: qui legatus bello Cimbrico degeneris* animi timore *prostratus* imperatorem Marium et Romanum reliquit exercitum. is cum his tantis pollueretur infamiis, regalis postea maiestatis auctoritate decoratus exercitum nostrum in dispendia nostra convertit. — Permitte mihi longiore oratione Sullanorum scelerum replicare discrimina; omnia enim haec ad disputationis meae meritum conferentur, si plurimis infortuniorum generibus integre ac verissime fuerit fatorum necessitas explicata. iussione Sullana Sulpicius tribunus plebis parricidalis praecepti nefanda animadversione percussus est. quo flagitio tyrannica et scelerata eius cupiditas imbuta omnia statim sine aliqua dubitatione genera crudelitatis exercuit, ut et effrenatas animi sui cupiditates per dies singulos civilis sanguinis profusione satiaret. praetorio viro, minori scilicet Mario, qui iudicio omnium bene meritus de re publica videbatur, Sullana iussione elisa sunt prius crura, deinde deiecta de statu corporis brachia humeris tenus dissoluta ceciderunt, tertio amputata lingua vocem reliquit in faucibus, ad postremum omni corporis parte mutilata oculi, qui fuerunt spectatores et superstites, egeruntur et in tam angusto corpore a nefario patriae carnifice tot sunt inventa supplicia et vix anima tantis volneribus erogata est, cum hinc inde damnis fluentibus minutatim spiritus carperetur. sed forsitan circa solos viros talis est feritatis atrocitate grassatus. ecce in proscriptionum tabulis etiam

mulierum ac matronarum nomina adscripsit, ut per omne humanum genus cruentam gladii exerceret potestatem. non habet modum *nec cruenta cupiditas* [nec] *infinita civium strage satiatur. Romanus ille populus subactis omnibus gentibus, posteaquqm peragrato orbe atque possesso extremum etiam Oceani* Ed.Bas.p.11 *litus inventum, servire compulsus est nefario Sullanae potestatis imperio debilitatis omnium animis metu* et miseriis minore trepidatione possessis. inter leges Porcias legesque Sempronias cum omnium civium gemitu etiam tertiam proscriptionis tabulam posuit nec hoc contentus malo, ne quod aetatis tempus vacuum a sceleribus reservaret, Lucretium iam privatus occidit, et deposita regia potestate animi tamen in illo pernitiosa crudelitas perseverat. visne aliquid tibi, quia in Sullanis temporibus immoramur, de *lacu Servilio referam? in quo multorum senatorum capita* ad ostentationem immanissimi facinoris *sectis cervicibus pependerunt.* rei publicae volnera inter ipsa deorum pulvinaria constitutus, inter sacras caerimonias positus semper Sulla securus ac superbus aspexit. quid potest crudelius fieri? liberis et uxoribus miseras orbitates titulo publicatae calamitatis ingessit. nihil pietati, nihil fidei, nihil fortitudini, nihil providentiae licuit contra Sullam. ubi nunc sunt qui peccata nostra humana ac divina credunt posse lege puniri? ecce Sulla nefariis caedibus pascitur, ecce tyrannico grassatur imperio nec cupiditates eius potestas aliqua divinitus impugnat. quid sentis? quid iudicas? refuta quod dicimus, ostende nobis ordinem rerum: ubi sunt leges, ubi iudicia? humano et divino sumus semper destituti iudicio, quia omnia haec quae diximus Sulla commisit impune. ergo facinora eius cum tantis caedibus pascerentur, nulla ultricium deorum flagella castigant * * * imperia, nec est qui dolorem suum verbis ac lacrimis prodat, defunctis per illum etiam supremus ignis eripitur. et hoc non potuit videre iustitia? dicitis peccata hominum per dies singulos diis ultricibus nuntiari? omnia haec sicut vides impune gesta sunt, et [fecit] de his omnibus fortuna quod voluit et quicquid singulis fata decreverant, Sullanae feritatis animadversione completa sunt.

ut et hoc scias vera nos ratione edixisse, ipsum post haec mala prosper sequebatur eventus. perpetuae dictaturae

cumulatur insignibus et proprio arbitrio deponit imperia. laceratae rei publicae artus *et cruentae pecuniae iussu eius ad ignobiliorum hominum divitias conferuntur.* post haec mala quieta securitate fruitur et abundantia scelerum saginatus decreto amplissimi senatus et populi Romani nomine prosperae et perpetuae felicitatis ornatur. ubi nunc sunt qui negant actus nostros stellarum fortuitis cursibus gubernari? ille [crudelis] perfidissimus, quem scimus per omnia crudelitatis genera grassatum, securus omnia dignitatis ornamenta consequitur: *Marius vero post triumphum Iugurthae ceterarumque gentium quas subegit* postea quam urbem Romam et externis et domesticis periculis liberavit, post triumphales purpuras, post pictas aureasque palmatas *ferreis stringitur vinculis catenarum: ecce exul in paludibus Minturnensibus latitat, ecce carceris squaloribus premitur: vides ut ad crepidinem dirutae Karthaginis fugitivus accedat.* quis deus aut exulem Marium aut felicem fecerat Sullam? Paulus imperator militi Mario promittebat imperia, legatus Sulla Romanum deserebat exercitum: et tamen postea iudicio fortunae ille exul factus est, ille felix. nimis longa oratione vim necessitatemque fati, stellarum etiam potestates * * * Sullanae dominationis facta crudelia ad istum sermonem deflevimus.

Var. lect. 2 uir *om. M* | omĩum famię *A* infamię *in ras. Q* infamia maculationeque *β* ‖ 3 syllam *BMPβ* sillam *AQ constanter* | qui] q (e supra) *P* ‖ 4 uenundati *β* ‖ 5 et ut] et ut totiens *B β* | fecerunt] fecerunt Romanae *β* ‖ 6 lateratis *P*¹ ‖ 8 inn*umerabiles *M* | proscriptionum *ex* proscriptiones *corr. P* | inponit *A* imponit *Q* | pęniarũ *P* ‖ 9 parricidali *BMPβ* parricidiali *AQ* | collocatione B ‖ 11 necessitatis * *cum ras. P* necessitas *Q*¹ ‖ 12 media *B* | sinu *BPβ* foro *AMQ* ‖ 13 michi *PQ* | nullum *ex* nulla *corr. P* ‖ 18 senex exoletus *Bβ* senes exoletos *AMPQ* ‖ 20 Hunc] nunc *Bβ* | imp̃tura · p̃r · petitione *M* inpretura prepetitione (-cione *Q*) *APQ* in praetura a praeturae petitione *Bβ* in praetura populi Romani petitione *Usener* ‖ 21 cui] cui uir *Bβ* | censorius *B* | *huc usque codicem Q contulit Usener* ‖ 22 bello cimbrico (Cy- *β*) *Bβ* bellus (o supra) inillyrico *P* bello inillirico *(deinde in M rasura unius vocabuli) AM* ‖ 24 his tantis *BMP* tantis his *A* tantis *β* ‖ 25 autoritate *Bβ* ‖ 26 conuertit *corr. β* conuenit *ABMP* ‖ 27 Omnia *cum vestigiis rasurae supra* mn *M* ‖ 28 conferuntur *Aβ* | integrę *AM*¹ ‖ 29 uerissimę *A* ‖ 30 sulpitius *BMβ* | tr. pl. B ‖ 31 paricidalis *B* parricidialis *A* | animaduersio *P* | perculsus *A* ‖ 32 tyrannico *A* | et] ac *B* | sceleretata *A* ‖ 34 ut et *MP* et ut *A* ut

Bβ ‖ 35 sanguinis *vitiose iteraverat* P^1 ‖ 37 elysa *P* elissa *A* ‖ 38 humerum *β* ‖ 41 fuerant *coni. Usener bene* ‖ 42 a *β*: ac *ABMP* ‖ 44 dampnis *AP* membris *β* ‖ 45 *fortasse* tali sit *scribendum esse coni. Usener* ‖ 46 crassatus *ABP constanter* | ętiam *ut infra l. 52 et 55 P* et iam *A* ‖ 47 nomen *codd., corr. Usener* | omnẽ *P* ‖ 48 exereret *Bβ* exhereret *P* | non] necdum *β* ‖ 49 modum] modum quoniam *Bβ* | cupiditate *Bβ* | nec *veteri interpolationi debetur* | strages *AM* ‖ 50 gentibus post peragratum orbem atque possessum *Bβ* ‖ 52 inventum *om. β* | cõpulsum *P* | sillantę *A* ‖ 53 imperio] imperio · at ille *β* | et *om. B* | miseriis minori *AMP* miseri minoris *B*: miserrima horroris *β* ‖ 54 portias *AB* abauctore porcias *P* ‖ 56 contemptus *A* | necquod *P* | aetatis suae tempus *M* ‖ 57 a] ab *M* | sécleribus *P* | reseruare *A* | lucreciam P^1 ‖ 59 Uisnę *P* | quia *compendio scriptum evanuit in P* ‖ 60 syllanicis *P* sillianicis *A* | inmoratur A immoramur *ceteri* | de] te *A* ‖ 62 publice *P* ‖ 63 sacras] sacras etiam *β* ‖ 64 cęrimonias *P* ‖ 66 publicatae *om. A* ‖ 70 cupiditatis *AMP Usener* cupiditates *Bβ* | potestatem *A* ‖ 71 diuinitas *AP* diuin*itas *M* diuinitatis *Bβ corr. Usener* | refutas *Bβ* ‖ 72 ubi sunt iudicia *A* ‖ 73 semper *om. Bβ* | destituta *A* ‖ 75 ultricium *MP* ultricia *A* ultricum *Bβ* ‖ 76 dearum *β* | castigant imperia · nec *libri* castigant, nec *β*. *Sententiam deperditam putat Usener de Romanis Sullae dicto audientibus fuisse* ‖ 77 etiam *ante* per *A* | suppm' *MP* ‖ 78 dicitis *AMP* dicis *Bβ* ‖ 79 diis] mulctari diis *β* | nuntiare P^1 nunciari *AB om β* ‖ 80 fecit *glossema libris cum β commune* ‖ 83 ut et *BM* Et ut *β* ut *AP* | nos uera *β* | edixisse BMP^2 & exisse *A* dixisse $P^1β$ ‖ 84 sequebatur *AB* persequebatur *MP* sectatur *β* ‖ 85 imperia laceratae rei publicae. Artus *ABM(P?)*, *recte distinxit β* ‖ 89 Romani nomine] romani *MP* nomine *ABβ* ‖ 91 fortitudinis *A* | crudelis *ex proximis male inculcatum (Usener)* ‖ 92 perfidissimus *AMP* perfidus *Bβ* ‖ 93 ornamenta] genera *B* ‖ 94 tryumphũ *P* | quas subegit gentium *A* ‖ 95 postea] post *P* ‖ 96 tryumphales *P* ‖ 98 Minturnensibus] mittitur. nec ibi *ABMP* Minturnarum *β* | squaleribus *A* | p̃mitur *MP* | 99 fugitiuus *om. A* ‖ 100 fecerat *MPβ* fecerunt *B* fece*it *A* ‖ 101 Scyllam *β* ‖ 103 iuditio *A* ‖ 104 potestatem *Bβ*. *Intercidit verbum disserendi et coniunctio (Usener).* ‖ 105 Syllanaeque *β hiatu neglegenter obtecto* | dominationes *P* | ad istum sermonem *AMP:* isto sermone *Bβ*.

Commentarius.

Quae supra in contextu disiunctis litteris imprimi volui, ea verbo fere tenus e Sallustio hausta esse sermonis similitudine ostendi putabam; in iis quae cursivis dedi litteris, rem ex historiis haustam a Firmico esse existimabam. —

Lin. 3—4. Qui — — adolevit] 'In scurrarum gremiis' egisse Sullam narrat e Sallustio Plutarchus Sull. c. 36; a prima pueritia 'per damna nundinati pudoris' eum adolevisse idem tradidisse videtur, cf. Hist. I 58; eadem commemorat brevi

post Firmicus lin 16: 'qui numquam fuit memor sexus sui'; deinde cum ille pergat: 'qui ultra commendationem gratiae puerilis aetatis senex exoletus in aliena aetate flagitia corporis detinebat, vitiis obsessus', conferas Hist. I 60 et 61.

Lin. 6—7. Laceratis patriae visceribus] cf. Hist. I 77, 6: 'largitionibus rem publicam lacerari' et infra lin. 85 sq. — Etiam vox 'civilis sanguis' Sallustiana est, cf. Hist. I 55, 14, enarr. p. 4; Catil. 14.

Lin. 11 sq. Septem milia civium etc.] e Livio, cf. Oros. V 20, 2.

Lin. 20—24]. Quae de praeturae petitione (a. 95), de Censorini accusatione (a. 91), de bello Cimbrico narrat, pertinent ad lib. I cap. III historiarum (p. 21). — De voce 'animi timore' cf. Catil. 58, 2; Iug. 20, 1; 57. 6; 'Marium et Romanum exercitum reliquit' cf. cum Hist. I 38 'Carbo Italiam atque exercitum deseruit; etiam 'Romanum exercitum' e Sallustio fluxit; cf. Hist. I 55, 19 et II 93; ceterum deserendi verbum a Firmico hac in sententia usurpatum est infra lin. 102.

Lin. 30 sq.: Sulpicius etc.] cf. Oros. V 19, 6; Plut. Sull. 10.

Lin. 33—35.] 'Sine dubitatione' (cf. Hist. III 5; Iug. 62, 9), 'crudelitatem exercere' (similia Cat. 8, 5; 51, 16; Hist. II 47, 4), 'genera crudelitatis' (simile Cat. 51, 18; Hist. II 70), 'civilis sanguinis' (v. s.) sermoni Sallustiano respondent, sententiam compara cum Hist. I 55, 5: 'non tot exercituum clade neque consulum .... satiatus'.

Lin. 36 sqq.] M. Marii mortem secundum Livium narrare videtur, sed. cf. 'elisa sunt prius crura' cum Sall. Hist. I 44 'cui fracta prius crura'; etiam 'damnis fluentibus' Sallustiana est vox, cf. Hist. V 25.

Lin. 45: Atrocitate grassatus] Et grassandi verbum (cf. Iug. 64, 5) et atrocitatis (cf. Cat. 22, 3; Iug. 27, 1; 102, 7) a Sallustio haud alienum. — In proscriptionum tabulis mulieres Sullam rettulisse e Livio ortum esse videtur, cf. Valer. Max. IX 2, 1: 'Adversus mulieres quoque gladios destrinxit, quasi parum caedibus virorum satiatus'.

Lin. 48: Humanum genus] saepius apud Sallustium, velut Iug. 1, 1; 2, 3; Hist. I 24; 55, 6.

Lin. 49 sq.: Nec — — satiatur] cf. Hist. I 55, 5.

Lin. 50 sqq.] Sententiam illam 'Romanus ille populus —

— servire compulsus est Sullanae potestatis imperio' Sallustianae similem finxit Firmicus, cf. Hist. I 55, 11: 'Populus Romanus paulo ante gentium moderator, exutus imperio gloria iure, agitandi inops despectusque ne servilia quidem alimenta reliqua habet; — — — leges iudicia aerarium provinciae reges penes unum'; id quoque quod imperii Romani finis Oceanus appellatur Sallustio proprium est, cf. Hist. IV 69, 17. 'ad occidentem pergentibus finem Oceanus fecit', et I 11: 'Res Romana plurimum imperio valuit omni Gallia cis Rhenum atque inter mare nostrum et Oceanum perdomita'. Deinde 'debilitatos esse omnium animos metu Lepidus apud Sallustium exponit I 55, 1: 'peior atque intestabilior metu vestro, quo captis libertatis curam miseria eximat'.

Lin. 57. Tempus vacuum a sceleribus] 'Vacuus a' saepius apud Sallustium, cf. Catil. 14, 4; 51, 1; Hist. III 3.

Ibid.] Lucretium a Sulla privato occisum esse falso Firmicus rettulit, cf. Ascon. p. 92 Or. (p. 81 K.) 'Lucretium Ofellam consulatum contra voluntatem Sullae — — petentem (a. 81) occiderat iussu Sullae tunc dictatoris' (sc. Bellienus).

Lin. 60 sq.] De lacu Servilio cf. Senec. dial. I 3: 'Videant supra Servilianum lacum — — senatorum capita et passim vagantis per urbem percussorum greges' etc. — 'immanis' saepius legitur.

Lin. 85 sq.] Rem similem Sallustius accuratius exposuisse videtur, cf. Hist. I 49 et 55, 17. 21.

Lin. 92. Per omnia etc.] cf. supra lin. 33 et 46.

Lin. 98 sq.] Ad Marii errores lib. I cap. III fusius narratos pertinet, cf. lin. 10.

Lin. 102. Legatus Sulla etc.] vide supra lin. 22 sq.

Lin. 105. 'Dominationis Sullanae' vox e Sallustio hausta esse videtur, cf. Hist. I 31; 57; Catil. 5, 6; 28, 4; Exup. p. 3, 14 *(ed. Burs.)*; 'facta crudelia' cf. cum Hist. II 92: 'fortia facta', sim. Iug. 85, 4; Cat. 59, 6.

En legisti caput illud e Firmico sumptum idemque pulcherrimum Useneri munusculum; iam Sallustius ipse loquatur. Atque scias quantulacumque praestiti hac in editione me con-

ficere non potuisse nisi adiutus essem complurium virorum doctorum humanorumque opera. Summas igitur gratias refero imprimis viro illustrissimo H. Usenero, qui qua notus est erga omnes liberalitate e schedis suis Lucaneis quae ad Sallustium spectant mihi excripsit et nunc caput astrologi futurae editioni a se iam praeparatum ingenua munificentia edendum mihi tradidit; deinde Carolo Dziatzkio, qui collationibus suis ad Donati commentarios Terentianos utendi copiam mihi fecit saepiusque consilio suo adiuvit. Praeterea grates ago maximas humanissimis viris A. Wilmannsio, A. Richtero, Chr. Stephano, I. M. Stowassero, Carolo Weymano, quibus quantum debeam supra commemoravi, Eduardo Wölfflino, qui nonnulla quae ad historias pertinent e copiis suis mihi tradidit. Sed omnium maximam perpetuamque habeo referoque gratiam Curtio Wachsmuthio praeceptori carissimo; cuius instinctu cum olim tractandi Sallustii opus aggressus essem, saepissime consilio operaque me adiuvit. Et huic et Usenero quantum cum alias tum hoc in libello debeam pia grataque semper memoria tenebo.

SALLUSTI HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIBER I.

ARGUMENTUM.

Contineri primo historiarum libro rerum annis 78 et 77 gestarum narrationem, praecessisse eidem breviorem bellorum civilium expositionem et ipsius auctoris prooemium inter omnes constat. *Primo* igitur fragmentorum capite *prooemium* complector, cuius duae fuisse partes videntur, altera qua auctor de operis argumento consilioque disserit, altera qua de imperii Romani statu atque de civilis discordiae origine progressuque exponit. *Secundo capite* bellum sociale bellumque civile a Sulla Mariisque gestum enarratur. *Tertio* dein *capite* tumultus a Lepido a. 78 commoti consecutam esse memoriam liquet. — Atque bellorum iisdem temporibus gestorum gravissimum Sertorianum erat; cum vero apud Appianum atque Exuperantium, Sallustii excerptores, proximum post seditionem Lepidi locum Sertorianum bellum teneat (etiam Livius eundem sequitur ordinem), *quarto quintoque capite* ea collegi fragmenta quae ad Sertorium spectant, ita quidem ut altero de Sertorii vita rebusque ab eo usque ad annum 80 gestis, altero de ipso bello Hispaniensi agatur. Successisse apud Livium Servilii expeditionem, dein bellum Macedonicum ab Appio Claudio gestum e periocha libri nonagesimi sequitur; quare utramque rem et alia quaedam his annis gesta *sexto capite* comprehendi. Servilianum quidem bellum coepit Sulla etiam tum vivente, id est antequam Lepidus seditionem accendit; quare Servilii profectionem ante Sullam

mortuum iam capite tertio narratam esse existimaverim. Agmen claudunt ea primi libri fragmenta, quae cum interpretatione careant, quo ordine disponenda sint obscurum est.

CAPUT I.

Prooemium, fr. 1—18.

Enarratio.*)

Scriptoris exordium.

1 Initium sumpsit Sallustius a verbis fragmenti 1. Dein complures appellantur scriptores, qui res Romanas bellaque civilia memoriae tradiderunt, in quis etiam Sisennam fuisse
2 (fr. 2) veri est simile. Ex his Fannium imprimis et Catonem
3 sibi imitandos se proposuisse auctor affirmat (fr. 3); etenim duas hasce res scriptorem strenuissime sequi oportere, ut et quam verissime et quam brevissime res enarret. Sane utraque laude neminem esse dignum; Catonis quidem brevitatem, Fannii
4 veritatem esse laudandam (fr. 4), tamen a vero saepius Catonem
5 deerrasse (fr. 5) et Fannium iusto amplius verba fecisse. Itaque in enarrandi arte Catonem, in veritatis studio Fannium sese
6 secuturum neque ulla re a vero dimotum se iri (fr. 6).

Dein breviter de *rei publicae Romanae statu* Sallustius eo
7 egit consilio, ut et originem dissensionis civilis exponeret (fr. 7) et doceret, qua ratione discordiae paullatim auctae sint (fr. 8—13). Etenim inde ab urbe condita opes imperii Romani magis magisque increvisse, mox totum fere orbem omnesque gentes Romanis
8, 9, 10 esse subiectas (fr. 8—10). Qua tempestate cum male gereret res, optimis fuisse moribus civitatem maximaque concordia; sed

*) Sententias primo capite expositas, cum a ceteris rerum scriptoribus plane destituti simus, e solis fragmentis elicere cogimur. Atque Sallustius scriptorum qui antea fuerunt mentionem fecisse, imprimis autem Fannium ac Catonem nominasse videtur; cum vero loco Victorini ad fr. 4 allato efficiatur de 'veritate rerum' atque de 'brevitate formae' in scribendo auctori ante omnia appetendis Sallustium egisse, cumque illo loco ex utraque laude alteram Fannio, Catoni alteram tribuerit, eandem hanc rem summam fuisse exordii caputque putaverim. Hanc igitur sententiam expressurus eo quo supra usus sum conexu fragmenta disposui. Quae secuntur de statu rei publicae Romanae fragmenta satis lucis ex Augustini locis infra laudatis accipiunt.

quo magis ea vacua esset a curis periculisque, eo vehemen-
tiorem ortam esse discordiam (fr. 11); et maxime quidem eandem 11
exarsisse deleta Carthagine (fr. 12, 13). Iam cum pace diuturna 12, 13
Italia uteretur (fr. 14, 15) ac totius orbis divitiae in urbem 14, 15
confluerent, mores civium pessimos factos (fr. 16). Quibus e 16
causis ad postremum vel bella civilia esse exorta; Ti. Gracchi
enim mors (Vellei. II 3, 3) '*initium* in urbe Roma *civilis san-
guinis* gladiorumque impunitatis fuit (fr. 17), inde *ius vi obrutum* 17
potentiorque habitus prior (fr. 18) discordiaeque civium antea 18
condicionibus sanari solitae ferro diiudicatae bellaque non causis
inita sed prout eorum merces fuit'.

Fragmenta.

1. Res populi Romani M. Lepido Q. Catulo consulibus ac deinde militiae et domi gestas composui.

App. (I 1 D, K, G, I p. 247 Br.) — Rufinus de num. orat. (VI p. 575). — Priscianus lib. XV (III p. 73). — Id. ibid. (III p. 64) *inde ab* 'ac deinde' etc. — *Accedit testimonium* Donati ad Verg. Aen. I 1: 'Hoc loco plerique arbitrantur errasse Vergilium ut primo rem, deinde personam poneret; qui si Sallustium considerarent liberum ratione metrorum sic historiam coepisse, ut primo rem, deinde populi Romani personam poneret' etc. ‖ militiae et domi] domi et militiae *Priscianus posteriore loco.*

2. Recens scrip⟨tum⟩.

App. (I 4 D, K, I 5 G, I p. 253 Br.) — Charis. p. 216: 'Recens. Asper commentario Sallusti historiarum I nunc adverbium, nunc nomen id esse dicit.' ‖ scriptum] scrip *N, corr. Keil,* scripsi *Fabricius, vulgo ante Kritzium,* scripsit *coni. Kritz. Ex Asperi verbis sequitur recte emendatum esse locum a Keilio; etenim* 'recens scripsi' *vel* 'scripsit' *ne ab Aspero quidem pro nomine haberi potuit.*

Comm. Scriptoris exordio haec verba attribuenda ac de Sisenna intelligenda esse speciose Kritz coniecit. Licinius quoque Macer recenter ante Sallustii aetatem res scripsit, sed hunc dictum esse negaverim, cum Sisennam a Sallustio plurimi aestimatum esse constet. Etenim ex omnibus, qui Sullanas res dixerunt, unum Sisennam Iug. 95, 2 dignum habet quem laudet; itaque uti illo loco brevissima tantum facta de Sulla digressione Sisennam nominat, ut doceat tamen etiam sibi de Sulla denuo agendum esse, eo magis in historiarum prooemio Sallustio Sisennae opus appellandum atque recensendum fuit.

3*. Nos in tanta doctissimorum hominum copia.

App. (Inc. 1 D, I 5 K, I 4 G, I p. 253 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. II 89. — Serv. ad Aen. IV 213. ‖ hominum] *F lib. IV, om. rell. et C lib. II.*

Comm. Quoniam Sallustium constat in historiarum prooemio complures laudasse alios rerum scriptores, sicut Fannium, Catonem, fortasse Sisennam, etiam verba supra posita e prooemio sumpta esse iure editoribus visum est. Ac falso quidem Dietsch locum Catil. 8, 5 attulit, ut demonstraret de rerum scriptoribus Romanis Sallustium his verbis uti non potuisse, scilicet toto distat caelo utroque loco res ipsa consiliumque auctoris.

4. Romani generis disertissimus paucis absolvit.

Cf. Victorin. ad Cic. rhet. p. 570(Or.) (rhet. lat. p. 263): 'Namque historia et brevis esse debet in expositione et aperta et probabilis, ut Sallustius sibi omnia in Catilina tribuit ...... *cum aliis* historiographis *singula tradidisset* in libro primo historiarum, *Catoni brevitatem* (quae supra posui secuntur), *Fannio vero veritatem.*'

App. (I 2 D, K, I 3 G, I p. 249 Br.) — *Praeter locum Victorini adde testimonia:* Serv. ad Aen. I 96: 'Romani generis disertissimus.' — Schol. ad Horat. sat. I 10, 9: 'Sic et Cato a Sallustio laudatur, quod multa paucis absoluerit.' — Ampel. 19, 8: '(Cato) . . . est omnium rerum peritissimus et, ut Sallustio Crispo videtur, Romani generis disertissimus.' ‖ summa *ante* paucis *inserit Mähly.*

5*. In quis longissimo aevo plura de bonis falsa in deterius composuit.

App. (Inc. 78 D, 44 K, III 2 G, II p. 400 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Bucol. VIII 27. ‖ plura] multa *coni. Dietsch.* — falsa] falso *coni. Kritz.*

Comm. De scriptore aliquo hoc contentum esse, quod primus Linker coniecit, paene certum videtur. Atque optime Catonem significatum esse enucleavit Kritz; quod confirmatur cum *longinquo aevo* tum tota fragmenti sententia, quoniam abrogasse Sallustium Catoni veritatem fragmento 4 fit veri simile. Infelicissime autem Varronem in animo habuisse Sallustium Dietsch affirmavit.

6. Neque me diversa pars in civilibus armis movit a vero.

App. (I 5 D, 6 K, G, I p. 249 Br.) — Arus. p. 494.

7. Nobis primae dissensiones vitio humani ingenii evenere, quod inquies atque indomitum semper inter certamina libertatis aut gloriae aut dominationis agit.

App. (I 7 D, 8 K, G, I p. 255 Br.) — Priscian. V (II p. 158). — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. IV 245: 'inter certamina' e. q. s. ‖ nobis]

nuper *AD*, nobis *rell. codd.* — primae] *om. GL.* — evenere] evenire *RK*, retinere *A.* — inter certamina] *T*, inter certamine *F schol. Verg.*, in certamine *codd. Prisciani.*

8. Nam a principio urbis ad bellum Persi Macedonicum.

App. (I 6 D, 7 K, 9 G, I p. 256 Br.) — Priscian. XVII (III p. 188). — Serv. ad Aen. I 30. — *Deinde verba* 'ad bellum' e. q. s. *habent*: Prisc. XIV (III p. 30), Serv. ad Aen. VIII 383, Probus cathol. p. 24, id. ib. p. 28, Sacerdos (VI p. 479); *verba* 'bellum' etc. Charis. p. 68. || nam] *solus exhibet Priscianus lib. XVII.* — a principio] *Servius*, a primordio *Priscianus, illud Sallustiani sermonis esse videtur.*

Comm. Pertinere fragmentum ad prooemium consentitur, sed quam ad rem verba spectarent dubitavere editores. Ac cum ex duobus quae succedunt fragmentis et maxime e fragmenti 11 initio sequi videatur de magnitudine populi Romani verba fecisse Sallustium, id vero ei ipsi temporis spatio his verbis dicto proprium sit, ut continuo fere increverint Romae urbis opes potentiaque atque a pomerio ad omnes quae mare medium accolunt gentes imperii Romani fines prolati sint, putaverim id ipsum sententiamve similem hoc fragmento dictam esse, quae ad auctam Romanorum magnitudinem vel ad imperii progressum spectet.

9*. Maximis ducibus, fortibus strenuisque ministris.

App. (Inc. 102 D, 71 K, I 2 G, I p. 248 et II p. 455 Br.) — Diomedes p. 447.

Comm. His verbis populi Romani magnitudinis causas afferri bene iam Debrossius intellexit.

10. Adnot. ad Luc. III 164: 'Quod Cato hic rogatione Clodii missus est Cyprum, ut cerneret hereditatem regis Ptolemaei, qui defunctus vita populum Romanum heredem fecerat. meminit huius Sallustius in principio libri primi historiae.'

App. (*Deest in edd.*). — *Scholion deficit in C, inde a* meminit *om. V.* || Ptolemaei] Ptolomaei *WVG.*

Comm. Eorum quae scholiasta refert nihil nisi Ptolemaei Apionis mortem testamentumque in Sallustii historiis illum legisse patet; namque de P. Clodii rogatione ac de Cypro per Catonem subacta (quae res anno 56 gestae sunt) Sallustius agere omnino nequiit. Sed Cypri insulae regisque Apionis mentio eo sane loco facta est, ubi Sallustius de imperio Romano omnes per gentes terrasque propagato egit.

11. Res Romana plurimum imperio valuit Servio Sulpicio et Marco Marcello consulibus omni Gallia cis

Rhenum atque inter mare nostrum et Oceanum, nisi qua paludibus invia fuit, perdomita. Optimis autem moribus et maxima concordia egit inter secundum atque postremum bellum Carthaginiense *causaque .... non amor iustitiae, sed stante Carthagine metus pacis infidae fuit.* At discordia et avaritia atque ambitio et cetera secundis rebus oriri sueta mala post Carthaginis excidium maxime aucta sunt. Nam iniuriae validiorum et ob eas discessio plebis a patribus aliaeque dissensiones domi fuere iam inde a principio neque amplius quam regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est, aequo et modesto iure agitatum. Dein servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere, agro pellere et ceteris expertibus soli in imperio agere. Quibus saevitiis et maxime fenore oppressa plebes, cum assiduis bellis tributum et militiam simul toleraret, armata montem sacrum atque Aventinum insedit tumque tribunos plebis et alia iura sibi paravit. Discordiarum et certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Punicum.

App. (I 8 et 9 D, 9 et 10 K, 10 et 11 G, I p. 258, 260, 266 Br.) — Victorin. ad Cic. rhet. p. 50 (*rhet. min. p. 158*): 'Res Romana ...... bellum Carthaginiense.' — Augustinus de civ. Dei II 18: 'Nam cum optimis moribus ..... commemorasset egisse causamque huius boni ..... infidae dixisset, continuo subiecit idem Sallustius et ait: At discordiae' e. q. s. — *Singula idem attulit:* de civ. Dei III 21: 'Porro inter sec. et postr. bellum Carth. quando Sallustius optimis ..... dixit egisse Romanos' etc.; ibid. III 16: 'tempus illud, quo usque dicit Sallustius aequo ..... agitatum, dum metus ..... positum est'; ibid. III 17: 'Dein servili ..... bellum Punicum'; ibid. V 12: 'ubi dicit iniurias validiorum ..... finem fuisse bello Pun. sec., *quia rursus gravis metus coepit urgere atque ab illis perturbationibus alia maiore cura cohibere animos inquietos et ad concordiam revocare civilem*'. — *Adde testimonia:* Nonii II p. 92: 'cis Rhenum ..... perdomita.' — Amm. Marcell. XV 12: 'Nam omnes Galliae, nisi qua ...... fuere, ⟨ut⟩ Sallustio docetur auctore' etc. — Serv. ad Aen. VI 540: 'inter secundum ..... Carthaginiense.' — Schol. Vatic. (Philargyr.) ad Georg. IV 238: 'iniuria validiorum.' — Donat. ad Terent. Andr. I 1, 9: 'Dein ..... exercere.' — Arus. p. 480: 'Sal. hist. I: armata ..... insedit.' — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. VIII 479: 'montem ..... insedit.' — Diomed. p. 444: 'montem ..... insedit.' ‖ nisi qua] *Nonius, Ammianus, F Victorini,* quia *D,* quae a *B Victorini.* — egit] egit res publica *ex B Victorini Kritz,* res publica *secundum D et F iure omisit Halm,* populus Romanus *vulgo ex Augustino.* — postremum bellum Carthaginiense] postremum *Augustinus, Victorinus, F Servii;* ultimum *rell. Servii.* — causa-

que ..... infidae fuit] *om. vulgo, quae cum obliqua oratione afferat e Sallustio Augustinus II 18, sane in eo legisse videtur.* — servili] servuli *O P Donati.* — plebem exercere] patres p. e. *abbrev. P,* patres c. *O Donati.* — Quibus saevitiis] quibus agitata saevitiis *Kritz.* — fenore] fenoris onere *vulgo contra libros.* — et militiam simul] simul et militiam *vulgo.* — iura sibi] *A F August. III 17, A II 18,* sibi iura *F II 18, vulgo.* — quia rursus e. q. s.] *quae obliqua oratione praebet Augustinus V 12, Sallustii verba continere negaverim; utrum sententiam eiusdem exprimant an potius ipsius Augustini exhibeant contemplationes nescimus, in contextu autem omittere ea cum ceteris editoribus melius duxi.*

12. Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit, plurimae turbae, seditiones et ad postremum bella civilia orta sunt, dum pauci potentes, quorum in gratiam plerique concesserant, sub honesto patrum aut plebis nomine dominationes affectabant, bonique et mali cives appellati non ob merita in rem publicam omnibus pariter corruptis, sed uti quisque locupletissimus et iniuria validior, quia praesentia defendebat, pro bono ducebatur.

App. (I 10 D, 11 K, 12 G, I p. 262 Br.) — Gellius IX 12, 15: 'Postquam .... vacuum fuit.' — Augustin. de civ. Dei III 17: 'plurimae .... ducebatur.' — Arus. p. 462 'quorum .... concesserant.' ‖ in gratiam] gratia *N Arusiani.* — praesentia] placentia *coni. Dietsch.*

13. Omnium partium decus in mercedem corruptum erat.

App. (I 13 D, K, I 32 G.) — Arus. p. 484.

Comm. Antecedente fragmento cum doceretur factiones, quarum discordiae fr. 11 expositae sunt, non iam ut antea pro patrum plebeive potestate certasse, sed singulos dominationis cupidos sub nomine tantum patrum aut plebis suam quemque rem augere voluisse, hoc fragmentum, quo eiusdem corruptionis omnes partes in universum arguuntur, fragmento 12 subiungendum esse videtur.

14*. Apertae portae, repleta arva cultoribus.

App. (Inc. 26 D, III 74 K, I 131 G, II p. 156 Br.) — Serv. ad Aen. II 27. ‖ portae] *om. C.*

Comm. Quae verba ad Italiae inferioris Campaniaeve oppidum aliquod spectare a fugitivis subito oppressum direptumque Debrossio auctore Kritz defendit, iisdem omnino non unius oppidi, sed totius regionis alicuius condicionem describi existimo. Accedit quod iis de quibus Kritz cogitavit temporibus pacis speciem praebuisse Italiae oppida minime dici potuit. Quare (cum Italiam dictam esse veri simillimum sit) ad eam aetatem spectasse Sallustium puto, qua et opibus divitiisque et longiore pace felicissima

Italia fuit atque qua *quietam a bellis* civitatem fuisse a Sallustio infra scriptum esse conicio: scilicet ea aetas, quae deletae Carthagini subiectaeque Graeciae succedebat. Sallustius autem et hoc et insequenti fragmento exposuisse videtur pacatam tum florentemque civitatem luxuriam et avaritiam invasisse.

15. Quietam a bellis civitatem.

App. (I 112 D, 106 K, 51 G, I p. 390 et II p. 231 Br.) — Arus. p. 504.

Comm. De eo tempore, quo Lepidus tumultuari coepit, haec dicta esse, quod editores excepto Kritzio affirmarunt, minime concedo; namque tum ubique fere bella arserunt saevissima. Quare in prooemium fragmentum revocandum esse patet.

16*. Ex quo tempore maiorum mores non paulatim ut antea, sed torrentis modo praecipitati; adeo iuventus luxu atque avaritia corrupta, ut merito dicatur genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiaris neque alios pati.

App. (I 12 D, K, G, I p. 263 Br.) — Augustin. de civ. Dei II 18. — *Singula habet praeterea* ibid. II 19 *et* II 22.

Comm. Sallustium legit Velleius II 1, 1: ‘quippe *remoto Carthaginis metu* sublataque imperii aemula *non gradu sed praecipiti cursu* a virtute descitum, ad vitia transcursum.’

17*. August. de civ. Dei II 21: ‘Eo quippe tempore disputatur, quo iam unus Gracchorum occisus fuit, a quo scribit seditiones graves coepisse Sallustius.’

App. (I 11 D, 14 K, 13 G, I p. 267 Br.)

Comm. Velleius, qui loco in enarratione apposito mortem Gracchi *initium civilis sanguinis* appellat, non solum in re Sallustium secutus esse sed etiam verba ‘civilis sanguinis initium’ ab eo mutuasse videtur, quippe quae Sallustiani sermonis sint.

18. Et relatus inconditae olim vitae mos, ut omne ius in viribus esset.

App. (I 33 D, 38 K, 33 G.) — Adnot. ad Lucan. I 175 (*deest scholion in G*). — Fronto p. 160 (Naber.): ‘omne ius in validioribus esse.’ — Ut Salustius in primo historiae *CW*, primo *om. V, vulgo.* ‖ in viribus esset] in validioribus esse *Fronto.*

Comm. Fragmentum quod Gerlachio auctore de Sullae dominatione dictum esse accipitur, huc referendum esse Velleii docemur consensu loco eo, quo duo haec fragmenta supra illustravi.

CAPUT II.

De bello sociali, fr. 19—23. De bello civili, fr. 24—53.

Enarratio.*)

Res condicionesque sociorum atque leges de civitate eorum
inde a Gracchis usque ad Saturninum latae, fortasse etiam
anteriores enumeratae esse videntur (fr. 19); dein causae ex- 19
positae sunt, quibus animi eorum magis magisque a senatu
abalienabantur, in quis ante omnia lex fuit Licinia Mucia (fr. 20). 20
Etiam M. Livii Drusi consilia, res gestas, mortem commemorata
esse consentaneum est. Postremo sociorum Latiique defectio
(fr. 21, 22), ipsum bellum tres per annos gestum, civitas Italiae 21, 22
gentibus paulatim concessa enarranda erant. Misera Italiae
condicio hoc bello effecta ostenditur fr. 23. 23

'Eodem tempore (Exup. p. 2 ed. Bursian) Mithridates cum magnis copiis universam Asiam urbesque sociorum expugnando atque vastando coepit affligere; ad quem coercendum L. Sulla est cum exercitu destinatus, cuius in Africano bello probata erat corporis atque animi magnitudo.

Schol. Gronov. ad Cic. Catil. III 24 (p. 410 Or.): '*Sulpicius tulit legem ut tolleretur* Mithridatica *provincia Sullae et daretur Mario.*'

.... Itaque *instinctu eius* (scil. Marii) *Sulpicius* trib. pleb. *legem tulit ut auferretur Sullae provincia ac Mario daretur.*

Hoc Sullae ubi nuntiatum est .... cum parte exercitus iniuriae dolore commotus ad extingendam Marianam venit factionem. Statim ut Romam venit, resistentem sibi Sulpicium et seditiosis contionibus rem publicam disturbantem cum multis *quos sibi socios asciverat* trucidavit atque Marium ipsum, machinatorem tantae contumeliae, *in exilium* impetu *detrusit* armorum.' Dein Marii errores a Sallustio videntur narrati. Marius igitur navi Roma profectus ac tempestatibus ad Campaniae oram

*) Quidnam de sociorum bello narraverit Sallustius parum certum est; scilicet aliorum scriptorum nemo haec e Sallustio hausit. Etiam de Mario Sullaque pauci sunt Plutarchi, Dionis, aliorum loci, quos e Sallustio excerptos esse iudicandum est. Unum Exuperantii opusculum, quod quasi epitomen Sallustii historiarum iure putant, omne fere ad restituendam eius memoriam adhiberi potest, dummodo ea, quae inepte ac perperam ipse Exuperantius confudit, omittamus.

appulsus ibi (Exup. l. l.) 'naufragus atque egenus erravit'
24 (fr. 24); dein comprehensus a Minturnensibus in carcerem coniectus brevi tamen liberatus est et persequentibus Sullae equitibus prope casam quandam 'latuit (schol. Gronov. l. l.) in
25 Minturnensibus paludibus, inde reperta illi navis est (fr. 25) et fugit ad Africam.'

Exuper.: 'Dum haec aguntur, *Cinna et Octavius facti sunt consules,* quorum Cinna de partibus Marianis fuit.

Hic legem tulit, ut novi cives, qui aliqua ratione Romanam acceperant civitatem, cum veteribus nulla discretione suffragium ferrent. .... Ob hoc itaque Octavius collega commotus, ut seditionibus privaretur, collegam suum Cinnam *adnitentibus veteribus civibus* in exilium misit *munitus copiis Sullae.* Quae cum agerentur, maximus ex utrisque partibus civium numerus interemptus est.

Expulsus igitur Cinna cum vagaretur, ad Africam, ubi Ma-
27 rius inops erat, forte pervenit; atque ibi communicato consilio sollicitatis animis perditorum et de *ergastulis erutis servis exercitum confecerunt* et armata validissima manu iuventutis *ad urbem venerunt* atque Octavium *Sullae satellitem* superatum necaverunt.'

Schol. Gronov.: '*fecit Sulla duos consules, Cinnam et Octavium,* iure iurando astrixit eos, ut nullus contra acta Sullana
26 faceret (fr. 26), discessit.

Coepit Cinna de libertinorum suffragiis agere, Octavium cum senatu contra ipsum habuit.

Expulit ⟨eum⟩ Octavius, *Cinna expulsus* corrupit milites, *pretio collegit exercitum* (fr. 27), misit ad Marium in Africa, *composuit legiones solutis ergastulis et venit.*'

Contra Marium et Cinnam Metellus in Samnio bellans
28 auxilio vocatus (fr. 28) tamen non subvenit (cf. Dion. fr. 100, 7). 'Tunc varia (Exup. p. 3) crudelitas pervagata est, ut nobilitas

omnis ad fugitivorum trucidaretur arbitrium' (fr. 29—31 atque 29,30,31
Dion. fr. 100, 8—9).

Anno dein 86 Marius septimum consul mortuus est, Valerio autem Flacco imperium contra Mithridatem gerendum cum exercitu mandatum est.

At victo Mithridate Sulla, priusquam ille bellum redintegraret,
populares profligaturus (fr. 32) in Italiam cum exercitu trans- 32
gressus est (fr. 33); ac statim Cn. Pompeius Quintusque Me- 33
tellus Sullae partes capessiverunt. Ipse Sulla Norbani consulis
exercitum Canusii fudit, Scipionis alterius consulis legiones ut
ad sese deficerent, persuasit (fr. 34, cf. Plut. Sull. c. 28). Proximo 34
anno 82 Marius adulescens consul acerrima ad Sacriportum
pugna victus (fr. 35, 36) Praeneste fugit, ubi a Lucretio Ofella 35, 36
mox circumsessus est (fr. 37). Etiam ceteri Sullae duces bene 37
res gesserunt, ita ut Carbo consul in Africam fugeret (fr. 38). 38
Dein ingens Samnitium exercitus ad Praenestis obsidionem
solvendam profectus subito Romam ipsam aggressus est (fr. 39, 40), 39, 40
urbisque ante portas pugna omnium vehementissima accensa
est (fr. 41, 42). Sed Sulla crudeliter saeviit cum in captos 41, 42
Samnites popularesque (fr. 43) tum in M. Marium Gratidianum 43
(fr. 44), quem L. Catilina legatus occidisse fertur. 44

Comm. Bern. ad Luc. II 173: 'Sunt qui dicant Catilinam iussu Sullae hunc Marium Gratidianum *uxoris suae fratrem* (fr. 45) ad tumulum Catuli occidisse'; Ascon. ad Cic. de tog. cand. p. 84 Or.: 'M. etiam Marii Gratidiani .... *caput abscissum per urbem sua manu Catilina tulerat.*'

Plut. Sull. c. 32: (*Λεύκιος Κατιλίνας*) *Μάρκον τινὰ Μάριον τῶν ἐκ τῆς ἐναντίας στάσεως ἀποκτείνας τὴν μὲν* 45
κεφαλὴν ἐν ἀγορᾷ καθεζομένῳ τῷ Σύλλᾳ προσήνεγκε, τῷ δὲ περιρραντηρίῳ τοῦ Ἀπόλλωνος ἐγγὺς ὄντι προσελθὼν ἀπενίψατο τὰς χεῖρας.

Brevi post et Praeneste captum est (fr. 46) et Marius interiit. 46
Tum vero ingentem fecit Sulla stragem magno civium numero
proscripto (fr. 47, 48) bonisque eorum publicatis (fr. 49), quibus 47,48,49
veteranos suos donavit (fr. 50); itaque 'rem publicam (Exup. 50
p. 3) vindicatam *non reddidit legibus sed ipse possedit*' (fr. 51). 51

Interea Cn. Pompeius adversus Carbonem in Siciliam profectus hunc in Melita insula cepit atque occidit; qui (Val. Max.

IX 13, 2) 'iussu Pompeii in Sicilia ad supplicium ductus petiit
52 a militibus demisse et flebiliter, ut *sibi alvum levare* (fr. 52)
priusquam expiraret liceret . . . eo usque moram trahens, donec caput eius sordido in loco sedentis abscinderetur'. Ac postea Pompeius contra Domitium Africam provinciam tenentem et
53 adversus Numidas bellavit (fr. 53). Sulla autem Romae triumpho
habito dictator factus Felicisque nomine inditus 'multas leges (Exup. l. l.) et iura praescripsit, multis civitatibus immunitates vectigalium dedit, multos Romana civitate donavit'; attamen haud multo post dictatura consulatuque sese abdicavit.

Fragmenta.

19*. Tantum antiquitatis curaeque maioribus pro Italica gente fuit.

App. (I 14 D, 15 K, 16 G, I p. 275 Br.) — Serv. ad Georg. II 209. — Fronto p. 162 (N.).

Comm. Antecessisse his verbis illorum consiliorum expositionem, quibus res ac iura sociorum augere studuerant aut tribuni aut equites, e voce *tantum* sequitur.

20*. Citra Padum omnibus lex Licinia ⟨in⟩grata fuit.

App. (I 15 D, III 81 K, inc. 67 D, II p. 159 Br.) — Cledon. p. 76. ‖ Licinia] Lucania *B, corr. Casselius.* — ingrata] *conieci,* fratra *B,* fraudi *Casselius,* frustra *Wagner ac Mähly,* taetra *Dietsch.*

Comm. De lege Licinia Mucia anno 95 lata, ad quam fragmentum spectare prooemioque tribuendum esse vidit Kritz, lege Asconii locum ad Cic. Cornel. (p. 67 Or.): '(L. Licinius Crassus et Q. Mucius Scaevola) . . . legem . . . de regendis in sua civitate sociis in consulatu tulerunt. Nam cum summa cupiditate civitatis Romanae Italici populi tenerentur et ob id magna pars eorum pro civibus Romanis se gererent, necessaria lex visa est, ut in suae quisque civitatis ius redigeretur. Verum *ea lege ita alienati animi sunt principum Italicorum populorum,* ut ea vel maxima causa belli Italici, quod post triennium exortum est, fuerit.'

21*. Atque omnis Italia animis discessit.

App. (Inc. 2 D, I 16 K, I 24 G.) — Adnot. ad Lucan. III 632. — Ibid. VI 347 (*deest in C ad lib. VI, in V utroque loco*). ‖ omnis] omnes *W lib. VI.* — animis] armis atque animis *coni. Vogel collato Heges. II 1, 75.* — discessit] discedit *G,* discendit *C,* discindit *W lib. III,* discessit *WG lib. VI.*

22*. Post defectionem sociorum et Latii.

App. (I 17 D, K, 69 G, II p. 138 Br.) — Donat. ad Terent. Adelph. III 4, 12. ‖ defectionem] defensionem *OD*. — et Latii] sociorum et relatum *D, ed. pr.;* relatu sotiorum *O*.

23*. Quippe vasta Italia rapinis, fuga, caedibus.

App. (I 36 D, 19 K, 75 G, I p. 435 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. VIII 8.

Comm. De sociorum bello hoc fragmento agi, non de Sullae proscriptionibus, quod putarunt Gerlach atque Dietsch, veri simile nobis cum Kritzio videtur collato Augustino de civ. Dei III 26: 'Deinde socialia bella exarserunt, quibus *Italia vehementer afflicta et ad vastitatem* miserabilem *desertionemque* perducta est.'

24. Postremo ipsos colonos per miserias et incerta humani generis orare.

App. (I 19 D, 21 K, 55 G, I p. 497 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. X 45.

Comm. Ad Marium Roma expulsum verba referenda esse iam coniecit Kritz; atque accuratius definiri posse rem puto. Etenim Marius cum tempestate coactus esset navi escendere ac prope Circeios Terracinamque in litore vagaretur, ab agricolis quibusdam, in quos incidit, auxilium petiit; attamen hi Marium ubi cognovere abscedere quam celerrime iusserunt, Sullae equites qui prope erant timentes (Plut. Mar. c. 36). Hanc igitur rem fragmento illustrari existimo.

25†. Incidit forte per noctem in lenunculum piscantis.

App. (II 66 D, 75 K, 86 G, II p. 127 Br.) — Nonius XIII p. 534. — Hist. lib. II primo *codd.;* 'primo' *ad Sallustii verba vulgo refertur, vocem plane supervacaneam L. Müller omnino sustulit, melius Jürges „de Sallustii historiarum reliquiis" p. 7 variam iudicat eam esse lectionem illius* 'libro secundo', *intra versus antea superscriptam moxque in ipsum contextum ingressam. Equidem ego propter rem infra comm. explicitam ipsum numerum* 'primo' *verum, alterum illud* 'lib. II' *corruptum falsumque esse reor.* | incidit] indicit *codd., corr. Mercier,* in diem cibum fortuitum *coni. Dietsch.* — lenunculum] lenunculo *codd., vulgo in edd., corr. Quicherat, quod collato Amm. XVI 10, 3 iure comprobavit Jürges,* in lenunculo piscantis (*acc.*) *L. Müller.* — piscantis] piscandis *codd.*

Comm. Vagantis alicuius atque expulsi mentionem hoc fragmento fieri apparet. Qui cum casu ad lenunculum piscatoris venisse narretur (scilicet quo in fuga mox usurum eum esse subaudiendum est), quis est quin statim de Marii erroribus cogitet? Etenim Minturnis cum excessisset equitesque Sullae sese persequentes animadvertisset, primum in casa aliqua noctem degit, dein *ἐς σκάφος ἁλιέως πρεσβύτου παρορμοῦν βιασάμενος τὸν πρε-*

σβύτην ἐσήλατο χειμῶνος ὄντος, καὶ τὸ πεῖσμα κόψας καὶ τὸ ἱστίον πετάσας ἐπέτρεψε τῇ τύχῃ φέρειν (App. b. c. I 62). En quadrat et fuga et nox et lenunculus piscatoris, itaque in librum primum transferre haec verba non dubitavi.

26. Nihil esse de re publica neque libertate populi Romani pactum.

App. (I 20 D, 22 K, 30 G.) — Arus. p. 498. ‖ libertate] libertati *N,* de libertate *coni. Dietsch.*

Comm. Verba Cinnae esse, qui cum a Sulla iure iurando adstrictus esset, ne quid adversus acta eius susciperet, profecto in Asiam Sulla purgare hac sententia se studeret, optime Kritz repperit.

27*. Exercitum argento fecit.

App. (Inc. 67 D, 33 K, I 45 G, I p. 398 Br.) — Seneca epist. mor. 114, 17.

Comm. Ad Cinnam, neque vero ad Pompeium, quem Dietsch dictum esse, neque ad Lepidum, quem Debrossius censuit, fragmentum referendi locus scholii Gronoviani supra laudatus auctor mihi fuit.

28*. Bellum quibus posset condicionibus desineret.

App. (Inc. 4 D, I 25 K, I 18 G, I p. 287 et II p. 19 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Bucol. V 19.

Comm. Hic recte a Debrossio fragmentum collocatum esse Dionis docemur consensu fr. 100, 7: *οἱ Ῥωμαῖοι στασιάσαντες πρὸς ἀλλήλους τὸν Μέτελλον μετεπέμψαντο κελεύσαντες αὐτῷ πρὸς τοὺς Σαυνίτας ὅπως ποτ' ἂν δύνηται συμβῆναι.*

29. Libertatis insueti.

App. (I 115 D, 114 K, 89 G.) — Arus. p. 486: 'Insolens huius rei, Sal. histo. I' e. q. s. — *Excidisse vocis 'insolens' exemplum Sallustianum novumque Arusiani lemma coniecit Bondam; sed minus congruere lemma cum exemplo suo saepius in Arusiano invenitur.* ‖ libertatis] libertati *N.*

Comm. Verba bene quadrare existimo ad servorum naturam, qui ad libertatem a Cinna evocati caedibus rapinisque urbem impleverunt.

30*. Speciem captae urbis efficere.

App. (Inc. 38 D, 4 K, 52 G, II p. 466 et 578 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. VIII 557. ‖ efficere] *in T evanuit,* efficere discedentes *vulgo contra codd.*

Comm. Cinnae et Marii milites servosque Romam diripientes dictos esse demonstratur et Dionis fr. 100, 9: *μάλιστα δὲ τούς τι*

ἔχοντας ἐπιθυμίᾳ χρημάτων ἔφθειρον καὶ τούς τε παῖδας καὶ τὰς γυναῖκας σφῶν ὕβριζον, ὥσπερ τινὰ ἀλλοτρίαν πόλιν ἠνδραποδισμένοι et Livii per. 80: 'Cinna et Marius in urbem recepti sunt, qui *velut captam eam caedibus et rapinis vastarunt.*'

31*. Ut Sullae dominatio quam ultum ierat desideraretur.

App. (*Deest in edd.*) — Adnot. ad Luc. II 139 (*omisit V*). ‖ dominatio quam ultum ierat] *WG*, dammatiquā multui erat *C*.

Comm. Locum in animo fortasse habuit Plutarchus Pomp. 5: ἐπῄει δὲ Σύλλας τοῖς πλείστοις ποθεινός. Ceterum quin de Mario vel Cinna sermo sit nemo erit qui dubitet.

32. Quis rebus Sulla suspectis maximeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi.

App. (I 18 D, 20 K, 19 G, I p. 435 Br.) — Arus. p. 487. — Donat. ad. Ter. Phorm. II 4, 24: 'maximeque' e. q. s.

Comm. Sallustii verbis male intellectis editores Linkero auctore ad annum 88 fragmentum rettulerunt. At quoniam Mithridates *in tempore bellaturus* appellatur, id est qui data occasione brevi bellabit, nondum bellum eum incepisse ostenditur: quod minime ad annum 88 Sullaeque contra illum expeditionem quadrare nemo est quin concedat; tunc enim Mithridates oppressa subito Asia provincia bellum iam exorsus erat, priusquam senatus Sullave ferociam eius metuere possent. Itaque Sallustium ad id spectare tempus existimo, quo Mithridatem etsi victum redintegraturum esse tempore oportuno bellum Sulla expectabat ideoque ad profligandos Marianos maturandum sibi esse putabat.

33. Maturaverunt exercitum Dyrrachium cogere.

App. (I 85 D, K, 65 G, I p. 634 Br.) — Arus. p. 459. ‖ Dyrrachium] brachium N.

Comm. Fragmentum, quod de itinere ex Epiro in Italiam facto aperte agitur (neque enim quisquam ex Italia in Macedoniam profecturus, id quod Dietsch suspicari videtur, Dyrrachium milites cogere potest), de Sulla esse accipiendum cum Kritzio consentio.

34*. Inde ortus sermo percuntantibus utrimque, satin salve, quam grati ducibus suis, quantis familiaribus copiis agerent.

App. (I 23 D, 27 K, V 9 G, I p. 602 Br.) — Donat. ad Terent. Eun. V 5, 8. ‖ utrimque] utrunque *O*. — satin] saltim *O*. — agerent] age-

rentur *O, corr. Douza,* augerentur *coni. Westerhovius,* quantis miliaribus copiae agerentur *Mommsen.*

Comm. De Scipionis exercitu Sullanis tradito agi liquet.

35*. Adnot. ad Lucan. II 134: '(apud Sacriportum) Sulla de Asia regressus pugnavit cum Mario adulescente, qui victus Praeneste fugit. Hic est Marius, qui invita matre Iulia adeptus est consulatum, de quo Sallustius meminit.'

App. (I 24 D, 29 K.) ‖ de quo Sallustius meminit] *om. V.*

36*. Et Marius victus duplicaverat bellum.

App. (I 26 D, 31 K, 23 G, I p. 312 Br.) — Serv. ad Bucol. II 67.

Comm. Auctam esse Marii clade belli molem recte Sallustius dixit, quia tunc Sullae et Praeneste cum Mario obsidendum et Samnites simul depulsandi et ceterae popularium catervae impugnandae erant.

37. Apud Praeneste locatus.

App. (I 25 D, 30 K, 22 G, I p. 306 Br.) — Prisc. lib. XV (III p. 67).

Comm. Subaudiendum est Lucretii Ofellae nomen, quem ad Marium oppugnandum ante Praeneste Sulla reliquit.

38*. Carbo turpi formidine Italiam atque exercitum deseruit.

App. (I 28 D, 32 K, 26 G, I p. 328 Br.) — Serv. ad Aen. II 400. — Adnot. ad Lucan. II 548 *(om. V).* ‖ Italiam atque exercitum] exercitus *C Servii, Dietsch;* exercitum atque Italiam *C W G adn. Luc.*

39*. Samnitium.

App. (Inc. 120 D, 83 G.) — Fragm. Bob. de nom. et pronom. (V p. 561).

Comm. Samnitium mentio in prooemio a Sallustio saepius facta est; quare optimum esse duxi ibi fragmentum hoc brevissimum apponere, ubi ante omnia Samnites commemorati sunt, scilicet cum ad ipsam urbem infesto exercitu accederent.

40. Vacuam istam urb<em homin>ibus militari aetate.

App. (I 101 D, 104 K, 50 G.) — Arus. p. 514. ‖ vacuam istam]
u u
vacuā istam *N.* — urbem hominibus] urbibus *N, corr. Lindemann,* viris *van der Hoeven,* vacuum istum laboribus *Keil.*

Comm. Hanc Lepidi sententiam esse Romam oppugnaturi Gerlach contendit, ad Castulonis, Hispaniae oppidi, expugnationem pertinere Kritz iudicavit, sed de Roma urbe verba intelligenda

atque a Samnitibus dicta cogitatave esse confirmari mihi videtur loco Appiani b. c. I 92: ἐφέροντο ἐς Ῥώμην ὡς ἔρημον ἀνδρῶν καὶ τροφῶν ἅμα καταληψόμενοι τὸ ἄστυ.

41. Dubitavit acie pars.

App. (I 103 D, 107 K, 117 G, I p. 573 Br.) — Prisc. VII (II p. 366). — Id. ibid. (p. 367). — Serv. ad. Georg. I 208. — Prob. cathol. p. 3. — Fragm. Bob. de nom. et pron. (V p. 555).

42. Ut Sullani fugam in noctem componerent.

App. (I 27 D, 33 K, 121 G.) — Arus. p. 484. ‖ Sullani] Sullam *N, corr. van der Hoeven.* — in noctem] innocentem in noctem *N*, innocentem *ut dittographiam recte delevit Hoeven, cf. Heges. I 30:* 'Iosephus .... fugam in noctem composuerat.'

Comm. Utrumque fragmentum cum rebus in pugna contra Samnites facta gestis bene convenire videtur; etenim in ea primum dubitavit aciei Sullanae cornu sinistrum, dein cum ipso imperatore fugit.

43*. Ne simplici quidem morte moriebantur.

App. (III 25 D, III 29 K, 61 G, I p. 529, II p. 105 alibique Br.) — Serv. ad Georg. III 482.

Comm. Etsi alii alia his de verbis protulerunt, rectissime Wölfflinum putaverim ea ad Sullae res et ad fragmentum insequens rettulisse collato Orosio, qui quidem simili utitur sententia, ut Marii aliorumque mortem inducat, cum scribit: 'nec ipsius mortis erat via simplex aut una condicio.'

44. Ut in M. Mario, cui fracta prius crura brachiaque et oculi effosi, scilicet ut per singulos artus expiraret.

App. (I 30 D, 35 K, 25 G, I p. 323 Br.) — Adnot. ad Lucan. II 173 *(om. V).* — Comm. Bernens. ad l. l.: 'per singulos' e. q. s. — Rufin. *(rhet. min. p. 62).* ‖ ut in M. Mario] *Rufinianus,* ut in Gaio Mario *C W,* in Iugurthino *G adn. Luc., quo consensu efficitur falso Dietschium haec verba a Sallustio abiudicasse.* — fracta] *om. W adn. Luc.* — brachiaque] *C W,* bracchia *G, vulgo;* et amputata bracchia *coni. Halm,* eruta *add. Wölfflin, quae certe non legerunt Iustinus ac Florus.* — *Inde a* brachiaque *usque ad* singulos *om. codd. Rufiniani.* — per singulos artus] *C W adn. Luc., comm. Bern., Seneca,* artus *Rufinianus,* per singula membra *G, Florus, Iustinus.*

Comm. Locum celeberrimum excerpserunt Iustinus XXI 4, 7: 'effossis oculis et manibus cruribusque fractis, velut a singulis membris poenae exigerentur', Seneca de ira III 18: 'M. Mario .... L. Sulla praefringi crura, erui oculos, amputari linguam manus iussit et quasi totiens occideret quotiens vulnerabat, paulatim et per singulos artus laceravit', Florus II 9, 26: 'Marium

.... oculis effossis, manibus cruribusque effractis servatum aliquamdiu, ut per singula membra moreretur'; similia habent Oros. V 21, 6 et Valerius Maximus IX 2, 1.

45. Et liberis eius avunculus erat.

App. (I 94 D, 96 K, 72 G, II p. 481 Br.) — Donat. ad Terent. Hecyr. II 2, 16. — Id. ad Phorm. V 6, 32. ‖ et] *om. Donatus ad Phorm., vulgo.* — avunculus] amiculus *O ad Hecyr.*, auulculus *O ad Phorm.*

Comm. Ex hominibus primo libro nominatis neminem, quocum Sallustii fragmentum apte conveniat scio, nisi de Catilinae ac M. Marii affinitate dictum accipiamus: quam quidem Sallustium commemorasse e comm. Lucani loco in enarratione p. 11 laudato sequitur. Iam intelligitur, cur ea narraverit: sane taeterrimum Catilinae factum etiam urgebatur eo, quod ille fratrem uxoris suae ipse occidit. Ceterum a Catilina Marium necatum esse praeter locos supra laudatos Ciceronemque etiam Seneca (scilicet e Sallustio) memoriae tradidit.

46. Magnis operibus perfectis obsidium cepit per L. Catilinam legatum.

App. (I 84 D, K, 61 G, II p. 189 Br.) — Festus p. 193 M (p. 220 Th.): 'Obsidium tamquam praesidium, subsidium recte dicitur. .... Et Sallustius historiarum I' e. q. s. ‖ operibus] operiltus *apogr. F.* — cepit] coepit *ap. F, Gerlach, Dietsch; corr. Corte.*

Comm. Fragmento difficili rem in oppugnatione oppidi alicuius gestam referri apparet, de bello civili agi veri simillimum est, quippe quo Catilina Sullae legatus fuerit. Quare coniecerim — et coniecturis opus esse nemo non concedet — oppidum, quod obsideri ostenditur, esse Praeneste; etenim alterius loci expugnationem fusius in prooemio enarratam esse credi vix potest. Deinde cum notum sit Marii caput interfecti intra Praenestinorum moenia coniectum esse, quemnam illud Praeneste attulisse putas, nisi eundem qui Marium occidit caputque per urbis vias ostentavit, scilicet Catilinam? Et eum qui oppidum illud circumsedit per Catilinam subsidia accepisse hoc fragmento discimus. Quare sic concludamus, Catilinam cum subsidiis Lucretio Ofellae opem tulisse ac simul Marii caput apportasse, quo maiorem Praenestinis iniceret terrorem. — Ceterum recedere ab illa vocis *obsidium* interpretatione, quam Festus praebet, nulla cogimur necessitate: sane Verrius, nisi hoc ex enuntiato, tamen tota e narratione quae eius verbi vis esset scire potuit.

47. Cum arae et alia diis sacrata supplicum sanguine foedarentur.

App. (I 22 D, 26 K, 15 G, I p. 289 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. II 502.

Comm. Fragmentum, quo per se et ad Cinnae et ad Sullae saevitiam describendam Sallustius uti potuit, non ad Cinnam, quod vulgo putatur, sed ad Sullanas proscriptiones pertinere sequitur e Plutarcho Sull. c. 31: *καὶ φονευομένων οὔτε ναὸς ἦν καθαρὸς θεοῦ οὔτε ἑστία ξένιος οὔτε οἶκος πατρῷος κτλ.* et Dione fr. 105, 18: *καὶ οὐδὲν ἦν αὐτοῖς χωρίον οὐχ ὅσιον οὐχ ἱερὸν οὔτ' ἀσφαλὲς οὔτ' ἄσυλον.*

48*. Lydus III 8: *⟨οἱ δὲ⟩ νομενκλάτωρες, ὥς φησιν ὁ Αἰμίλιος ἐν τῷ ὑ⟨πομνή⟩ματι τῶν Σαλλουστίου ἱστοριῶν, ὀνομασταὶ καὶ ἀνα⟨φω⟩νηταὶ τῶν τογάτων εἰσίν.*

App. (*Deest in edd.*)

Comm. Sallustius ubi nomenclatorum fecerit mentionem deliberantibus Valerius Maximus occurrit, haece narrans IX 2, 1: 'nec contentus in eos saevire qui armis a se dissenserant, etiam quieti animi cives propter pecuniae magnitudinem *per nomenclatorem* conquisitos proscriptorum numero adiecit.' Eadem igitur in re etiam Sallustius nomenclatorem commemorare potuit, quod confirmari videtur ea re, quod vel eodem capite Sallustio usus est Valerius.

49. Igitur venditis proscriptorum bonis aut dilargitis.

App. (I 31 D, 36 K, 34 G, I p. 350 Br.) — Prisc. lib. VIII (II p. 392). — Gellius XV 13, 8: 'dilargitis proscriptorum bonis.' ‖ dilargitis] delargitis *G L K Prisciani.*

50. Nihil ob tantam mercedem sibi abnuituros.

App. (I 32 D, 37 K, 73 G, I p. 496 Br.) — Arus. p. 450.

Comm. Sullae sententiam esse, qui agris inter veteranos distributis sperabat fideles suis partibus eos mansuros, collato Appiano docuit Kritz, cf. b. c. I 100: *τῷ δὲ δήμῳ τοὺς δούλους . . . . ἐλευθερώσας ἐγκατέλεξε, καὶ πολίτας ἀπέφηνε Ῥωμαίων, ... ὅπως ἑτοίμοις ἐκ τῶν δημοτῶν πρὸς τὰ παραγγελλόμενα μυρίοις χρῷτο. τὸ δ' αὐτὸ καὶ περὶ τὴν Ἰταλίαν ἐπινοῶν τέλεσι τοῖς ὑπὲρ αὐτοῦ στρατευσαμένοις τρισὶ καὶ εἴκοσιν ἐπένειμεν . . . . πολλὴν ἐν ταῖς πόλεσι γῆν.*

51. Quo patefactum est rem publicam praedae, non libertati repetitam.

App. (I 35D, 39K, 31G.) — Arus. p. 506. ‖ repetitam] repetitum *N.*

52*. Simulans sibi alvom purgari.

App. (I 38D, 42 K, 27G, I p. 273 et 329Br.) — Serv. ad Aen. II 20. — *Ex eodem hausisse videntur* Isidor. orig. XI 1, 133, gloss. Vatic. (*ed. A. Maius auct. class. VIII p. 34*), gloss. Vergil. (*ed. Lion Serv. II. p. 374*).

53. Id bellum excitabat metus Pompei victoris Hiempsalem in regnum restituentis.

App. (I 39 D, 44 K, 29 G, I p. 332 Br.) — Gellius IX 12, 14. — Nonius II p. 140 *usque ad* 'victoris'. ‖ id] ad *L Nonii.* — Pompei] *sic codd. Gellii praeter B Q.*

Comm. Bellum quod Pompeius contra Hiarbam Numidasque Domitio devicto gessit dictum est.

CAPUT III.

Tumultus Lepidi, fr. 54—83.

Intersunt de Servilii expeditionis initiis fr. 56 et 57.

Enarratio.

Anno 78 consules facti sunt Q. Lutatius Catulus M. Aemilius Lepidus, quorum ille Sullam sequebatur, hic popularium tenebat partes. Quibus consulatum ingressis adeo denuo exarserunt nobilium populariumque inimicitiae, ut de levioribus quoque rebus acerrime in contionibus comitiisque contenderetur
54 (fr. 54); quin ipse consul M. Lepidus magnam in Sullae domi-
55 nationem habuit orationem (fr. 55). Quae dum aguntur,
56 primo vere (fr. 56) P. Servilius pro consule a Sulla contra praedones Cilicesque missus est, cuius expeditionis etiam C. Iulius Caesar iuvenis particeps fieri maluit, quam domi
57 florentes intueri Sullae res (fr. 57). Sed Sulla, qui ruri adhuc vixerat ibique cum mimis eiusve modi hominibus agere solebat (Plut. Sull. c. 36), subito morbo correptus est:

Plut. c. 37: *πρὸ μιᾶς δὲ ἡμέρας πυθόμενος τὸν ἄρχοντα Γράνιον, ὡς ὀφείλων δημόσιον χρέος οὐκ ἀποδίδωσιν, ἀλλ' ἀναμένει τὴν αὐτοῦ τελευτήν, μετεπέμψατο τὸν ἄνθρωπον εἰς τὸ δωμάτιον. καὶ περιστήσας τοὺς ὑπηρέτας ἐκέλευσε πνίγειν, τῇ δὲ κραυγῇ καὶ τῷ σπα-*

Val. Max. IX 3, 8: 'Puteolis enim ardens indignatione, quod *Granius, princeps eius coloniae, pecuniam* a decurionibus ad refectionem Capitolii promissam *cunctantius daret,*

animi concitatione nimia atque immoderato vocis impetu convulso

ῥαγμῷ τὸ ἀπόστημα ῥήξας πλῆθος αἵματος ἐξέβαλεν. ἐκ δὲ τούτου τῆς δυνάμεως ἐπιλιπούσης διαγαγὼν τὴν νύκτα μοχθηρῶς ἀπέθανε.

pectore spiritum cruore mixtum evomuit.'

Summo splendore funus eius habitum est accurrentibus
undique veteranis, dein corpus in campo Martio combustum
est. Qua data occasione de Sullae moribus, ingenio, natura
disseritur ita, ut ante omnia mores eius turpissimi describan-
tur (fr. 58—61). Sed dissensiones mortuo Sulla in maius 58, 59
auctae sunt (Gran. Licin. p. 42 B ed. Bonn.): 'verum ⟨simul⟩ 60, 61
coegere tr. pl. co⟨nsu⟩les uti tribuniciam ⟨po⟩testatem resti-
tue⟨rent⟩, negavit prior Lepid⟨us⟩, et in contione m⟨ag⟩na
pars adsenta⟨ta⟩st ⟨dicen⟩ti non esse utile re⟨sti⟩tui tribu-
niciam p⟨otest⟩atem; ⟨et le⟩gem frumentari⟨am⟩ nullo resi-
stente l⟨ocu⟩tus est, ut annon⟨ae⟩ quinque modi popu⟨lo da-⟩
rentur.' Qua commotus re Sallustius de legibus quae antea
latae sunt frumentariis egit (fr. 62). 62

Dein Lepidus 'et alia mul⟨ta pol⟩licebatur, exules r⟨edu⟩cere, *res gestas a Sul⟨la vertere⟩, in quorum agro⟨s mili⟩tes deduxerat re⟨sti⟩tuere*'.

App. b. c. I 107: ἔλεγεν ὅτι τὴν γῆν αὐτοῖς, ἣν ὁ Σύλλας ἀφῄρητο, ἀποδώσει.

Exup. p. 3: 'huius *acta* cum conatur Lepidus .... *subvertere* .... congregatis iis, *in quorum possessiones novos colonos de suis militibus Sulla* victor *immisit* .... pollicendo, si vicissent, *se bona patria restituturum.'*

Exup.: 'Plebi quoque multis muneribus publice privatim-
que largitis (fr. 63) carus videbatur ac publicae libertatis 63
assertor.' Quem adversus cum Catulus Sullanas defenderet res,
εὐθὺς οἱ ὕπατοι λόγοις βλασφήμοις ἐς ἀλλήλους διεφέροντο
(fr. 64). Sed brevi post (Gran. Lic. p. 44 A): 'Faesulani in- 64
⟨ru⟩perunt in castella ⟨vetera⟩norum Sullanorum ⟨pl⟩uribus
occisis agros⟨que suos⟩ reddiderunt et ⟨se se⟩natu defendebant.
⟨Se⟩d *vulgus agreste .... eo coactum .... est* (fr. 65) et *consules* 65
dato ⟨exercitu i⟩n Etruriam ⟨prof⟩ecti sunt' (fr. 66); prae- 66
sente vero Lepido statim defecit Etruria (fr. 67), ipse etiam 67
consul cum seditiosorum ducem se gereret, 'in Etruriae litore
commisso proelio coeperat Lepidus esse superior per armatam

multitudinem quae odio rerum Sullanarum se Lepidi partibus applicarat' iamque (Florus II 11) '*arma inde et exercitum urbi admovebat*', attamen mox (Gran. Lic. l. l.) 'omisit incerta et ⟨legat⟩is senatus concessit *excrationibus maximis, nulla ultro arma movere umquam*'.

App. l. l.: *ἄμφω μὲν οὖν ἡ βουλὴ δείσασα ὅρκωσε μὴ πολέμῳ διακριθῆναι.*

Dein in provinciam uterque proficiscebatur. Brevi vero
68 post Lepidus abiecto pacis consilio (fr. 68) coniurationem seditionemque parare perrexit; *ἐπὶ τὰ ἀρχαιρέσια οὐ κατήει ὡς πολεμήσων τοῖς Συλλείοις τοῦ ἐπιόντος ἔτους ὑπὲρ τὸν ὅρκον ἀδεῶς· ἐδόκουν γὰρ ἐς τὸ τῆς ἀρχῆς ἔτος ὡρκῶσθαι. οὐ λαν-*
69, 70 *θάνων δ' ἐφ' οἷς ἐβούλευεν* (fr. 69, 70), *ἐκαλεῖτο ὑπὸ τῆς*
71, 72 *βουλῆς, καὶ οὐδὲ αὐτὸς ἀγνοῶν ἐφ οἷς ἐκαλεῖτο* (fr. 71, 72), *ᾔει μετὰ τοῦ στρατοῦ παντὸς ὡς ἐς τὴν πόλιν ἐσελευσόμενος σὺν αὐτῷ*; simul a senatu postulavit, ut proscriptis civitas confirmaretur bonaque redderentur, ut tribunicia potestas resti-
73 tueretur (fr. 73) sibique ipsi alterum petiit consulatum. Et erant Romae, 'qui turbas et caedem civium odisse' se affirmantes (Sall. fr. 77, 18) 'ad postremum usque legatos, pacem, concordiam et alia huiuscemodi decreverunt' (ib. 5). Contra acerrimi optimatium duces, Appius Claudius, L. Philippus, Q. Catulus, alii, hostem patriae Lepidum declarandum armisque
74 depellendum esse censuerunt (fr. 74); et Philippus, qui eorum
75 princeps tum extitit (fr. 75), vehementi in Lepidum oratione
76, 77 invectus (fr. 76, 77) senatui animadvertendum esse in Lepidum
78 persuasit. Lepidus magno cum exercitu urbem adortus (fr. 78) prope campum Martium Ianiculumque repulsus est. Quae dum aguntur, Cn. Pompeius Scipionem Lepidi filium cum Alba oppido cepit atque occidit, dein Brutum*) Mutinae obsedit
79 (fr. 79); qui cum a militibus desertus esset (Plut. Pomp. 16), captus atque interfectus est. Quo nuntio Romam allato Lepidus
80 omissa urbe in Etruriam quam celerrime recessit (fr. 80), 'sed Pompeius (Exup. p. 3) de Gallia rediens .... fugientes eius
81 copias ac *se implicantes festinatione* formidinis (fr. 81) ita pro-
82 stravit' — ad Cosam scilicet (fr. 82) — 'ut maiore numero

*) Falso nuperrime I. Frankium annal. philol. 1892 p. 62 inverso ordine primum Bruti, dein Scipionis cladem rettulisse ex Orosii (V 22, 17) atque Plutarchi (Pomp. c. 16) narratione sequitur.

privatus *in Sardiniam confugeret* (fr. 83), ut impedito com- 83 meatu populum Romanum fatigaret inopia ac suas vires armis copiisque et omni instrumento reficeret'.

Fragmenta.

54. De praefecto urbis quasi possessione rei publicae magna utrimque vi contendebatur.

App. (I 40 D, 90 K, 37 G.) — Arus. p. 499. ‖ possessione] possessio *N, corr. Dietsch,* possessore *coni. Lindemann.*

Comm. Praefectus urbis feriarum Latinarum tempore creari solebat; contentio igitur consulum, quam narrat Sallustius, initio statim anni facta est.

55. Oratio Lepidi consulis ad populum Romanum.

Clementia et probitas vestra, Quirites, quibus per ceteras 1 gentis maximi et clari estis, plurimum timoris mihi faciunt adversum tyrannidem L. Sullae, ne quae ipsi nefanda aestimatis, ea parum credendo de aliis circumveniamini — praesertim cum illi spes omnis in scelere atque perfidia sit neque se aliter tutum putet, quam si peior atque intestabilior metu vestro fuerit, quo captis libertatis curam miseria eximat — aut si provideritis, in tutandis periculis magis quam ulciscendo teneamini. Satellites quidem eius, homines maximi nominis optimis 2 maiorum exemplis, nequeo satis mirari, qui dominationis in vos servitium suum mercedem dant et utrumque per iniuriam malunt, quam optimo iure liberi agere, praeclara Brutorum atque 3 Aemiliorum et Lutatiorum proles, geniti ad ea, quae maiores virtute peperere, subvertenda. Nam quid a Pyrrho Hannibale 4 Philippoque et Antiocho defensum est aliud quam libertas et

Testimonia: 4. Donat. ad. Ter. Phorm. II 1, 13 *(deest in O):* Sallustius 'Nam quid a Pyrrho, Hannibale, aequore et terra.'

App. (I 41 D, 45 K, p. 97 G, I p. 340 Br., Jordan ed. 3. p. 111.) — 1. gentis] gentes *V.* — aestimatis] *V,* existumatis *coni. Dietsch.* — perfidia sit] sita sit *coni. Wölfflin.* — tutandis] *V,* vitandis *coni. Asulanus, vulgo post Kritzium, sed illud allatis exemplis iure defendit Weinhold (act. soc. Lips. I p. 218).*

2. optimis] optumis *V.*

4. nam quid a] quidem *D Donati.* — Philippoque et Antiocho] *V,* aequor *D,* aequore et terra *vulgo in Donato, quod quidem Kritz coniecit ortum esse e duobus exemplis, quorum alterius posterior, alterius prior*

5 suae cuique sedes, neu cui nisi legibus pareremus? Quae
cuncta scaevos iste Romulus quasi ab externis rapta tenet,
non tot exercituum clade neque consulum et aliorum principum,
quos fortuna belli consumpserat, satiatus, sed tum crudelior,
cum plerosque secundae res in miserationem ex ira vertunt.
6 Quin solus omnium post memoriam humani ⟨generis⟩ supplicia
in post futuros composuit, quis prius iniuria quam vita certa
esset, pravissimeque per sceleris immanitatem adhuc tutus fuit,
dum vos metu gravioris servitii a repetenda libertate terremini.
7 Agendum atque obviam eundum est, Quirites, ne spolia
vestra penes illum sint, non prolatandum neque votis paranda
auxilia. Nisi forte speratis taedium iam aut pudorem tyranni-
dis Sullae esse et eum per scelus occupata periculosius dimis-
8 surum. At ille eo processit, ut nihil gloriosum nisi tutum et
9 omnia retinendae dominationis honesta aestimet. Itaque illa
quies et otium cum libertate, quae multi probi potius quam
10 laborem cum honoribus capessebant, nulla sunt; hac tempe-
state serviendum aut imperitandum, habendus metus est aut
11 faciendus, Quirites. Nam quid ultra? Quaeve humana supe-
rant aut divina impolluta sunt? Populus Romanus, paulo
ante gentium moderator, exutus imperio, gloria, iure, agitandi
inops despectusque ne servilia quidem alimenta reliqua habet.
12 Sociorum et Latii magna vis civitate pro multis et egregiis
factis a vobis data per unum prohibentur et plebis innoxiae

Testimon.: 5. Serv. ad Bucol. III 13: Sic Sallustius 'saevus iste Romulus'.

7. Donat. ad Ter. Andr. I 5, 19: Sallustius 'agendum atque obviam eundum est.'

11. Arus. p. 480: Sal. hist. I 'agitandi inops.'

---

pars excidisset, ex eodem Sallustii loco corruptum esse mavult Klotz; ego equidem, cum verba a Pyrrho Hannibale aequore et terra *optimam exhibere sententiam mihi videantur, ad nostrum locum plenum Donati testimonium refero. Sed utrum Donato an illi qui orationum collectionem edidit grammatico melior praesto fuerit memoria, sane nescimus.*

5. scaevos] scaevus *V,* saevus *codd. Servii.*

6. generis] *suppl. Orelli,* hominum *coni. Aldus.* — pravissimeque] parvissimeque *in V extare adnotaverat Jordan in exemplari suo.*

7. penes illum] illos *V, corr. Corte* — periculosius] periculo suo *coni. Schöne.*

8. nisi tutum] metum *coni. Weidner,* tutum *collato Veget. II 115, 5 iure defendit Jürges l. l. p. 6.* — aestimet] *V,* existumet *coni. Corte.*

11. imperio gloria] imperii gloria *coni. Mommsen.*

patrias sedes occupavere pauci satellites mercedem scelerum;
leges, iudicia, aerarium, provinciae, reges penes unum, denique 13
necis civium et vitae licentia. Simul humanas hostias vidistis 14
et sepulcra infecta sanguine civili. Estne viris reliqui aliud 15
quam solvere iniuriam aut mori per virtutem? quoniam quidem
unum omnibus finem natura vel ferro saeptis statuit neque
quisquam extremam necessitatem nihil ausus nisi muliebri in-
genio expectat.

Verum ego seditiosus, uti Sulla ait, qui praemia turbarum 16
queror, et bellum cupiens, qui iura pacis repeto. Scilicet quia 17
non aliter salvi satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius
Picens et scriba Cornelius aliena bene parata prodegerint, nisi
approbaritis omnes proscriptionem innoxiorum ob divitias, cru-
ciatus virorum illustrium, vastam urbem fuga et caedibus, bona
civium miserorum quasi Cimbricam praedam venum aut dono
datam. At obiectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum: 18
quod quidem scelerum illius vel maximum est, non me neque
quemquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus. Atque
illa, quae tum formidine mercatus sum pretio, soluto iure do-
minis tamen restituo, neque pati consilium est ullam ex civibus
praedam esse. Satis illa fuerint, quae rabie contracta tolera- 19
vimus, manus conserentis inter se Romanos exercitus et arma
ab externis in nosmet versa, sceleris et contumeliarum finis

---

17. parata] V, parta *ex Orellii coniectura Kritz, Dietsch, Jacobs.*

18. atque] atqui *coni. Jordan antea. — In verbis* mercatus sum pretio soluto iure dominis tamen restituo *explicandis magnopere dissenserunt editores. Ac quaeritur* pretio soluto *an* soluto iure *coniungendum sit, dein ad praecedens insequensne verbum haec sint referenda. Itaque Gerlach, Kritz, Jacobs inter* pretio *ac* soluto iure *interpunxerunt, illi quidem ad formidinis rationem exponendam utrumque dictum esse, hic eadem cum verbo* restituo *coniungenda arbitrati; contra* pretio soluto *composuit Corte. Praeterea coniecerunt:* pretio soluto, iure tamen *Linker,* pretio sol. iure dominus *Dietsch,* pr. sol. ⟨salvo⟩ iure *Ungermann,* pretio *vocem seclusit Jordan. — Ac primum contenderim* soluto iure *artissime coniungendum esse, quoniam* iure *nude appositum, sive ad* mercatus sum *sive ad* restituo *vel* dominis *rettuleris, aut molestum aut falsum erit, idque bene iam exposuit Kritz. Deinde vocem* soluto iure *non ad praegressa pertinere, verum ad insequentia referri iubeo; etenim falsus ineptusque esset Lepidus, si ea quae pecunia data empsisset, sine iure a se empta esse dixisset aut si verbis illis ius civile Sulla regnante imminutum esse significare voluisset. Sed quae* pretio mercatus est *quaeque abhinc iure sua sunt, ea* soluto *sponte hoc possessoris* iure dominis *qui antea habuerant restituturum se esse pollicetur.*

sit; quorum Sullam non poenitet, ut et facta in gloria numeret et, si liceat, avidius fecerit.

20 Neque iam quid existimetis de illo, sed quantum audeatis vereor, ne alius alium principem expectantes ante capiamini, non opibus eius, quae futiles et corruptae sunt, sed vestra socordia, qua raptum ire licet et quam audeat, tam videri Feli-
21 cem. Nam praeter satellites commaculatos quis eadem volt aut quis non omnia mutata praeter victorem? Scilicet milites quorum sanguine Tarrulae Scirtoque, pessimis servorum, divitiae
22 partae sunt? An quibus praelatus in magistratibus capiendis Fufidius, ancilla turpis, bonorum omnium dehonestamentum? Itaque maximam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot volnera et labores nihil praeter tyrannum quaesitum est.
23 Nisi forte tribuniciam potestatem eversum profecti sunt per arma, conditam a maioribus suis, utique iura et iudicia sibimet extorquerent, egregia scilicet mercede, cum relegati in paludes et silvas contumeliam atque invidiam suam, praemia penes
24 paucos intellegerent. Quare igitur tanto agmine atque animis incedit? Quia secundae res mire sunt vitiis obtentui, quibus labefactis quam formidatus est, tam contemnetur: nisi forte specie concordiae et pacis, quae sceleri et parricidio suo nomina

---

Testimon.: 19. Diomedes p. 412: Et Sallustius in primo historiarum libro 'ut et facta .... fecerit.' — Dositheus (VII 415) *eadem.*

23. Arus. p. 505: Sal. hist. I 'relegati in paludes.'

24. Porphyr. ad Horat. epist. I 18, 29: simile illud est Sallusti 'Quia secundae .... obtentui.' — Seneca controv. IX 1, 13 'res secundae .... obtenui.'

---

20. qua raptum ire] quam raptum iri *V, corr. Madvig;* quam captum ire *Corte,* per quam captum ire *antea Dietsch,* quam raptum ire *Orelli.* — quam audeat] quam audeas *V,* audeat *corr. Corte; scilicet unum Sullam subaudiendum esse docet* Felicis *nomen commemoratum;* ei quem haud pudeat tum videri felicem *vel* ei quem audias *coni. Orelli,* quam audeatis tam videri felices *Mähly.*

21. victorem] victoriam *V, corr. Kritz; defendere illud studuerunt Schöne ac Weinhold.* — pessimis] pessumis *V.*

22. volnera] *sic V.*

23. relegati] relegat *N Arusiani.* — intellegerent] *V,* intellegerint *post Orellium vulgo, neque vero haec verbi forma, quam ex analogia (ut grammatici aiunt) finxerunt Macer ac Lucretius, Sallustio Sallustiique aetati vindicanda est neque e verbo* fiduciam parit *sed ex* eversum *atque* extorquerent *pendet enuntiatum, quo qua egregia mercede milites illa fecerint exponitur.*

24. secundae res] *V Sall., Porphyrio,* res secundae *Seneca.* — labe-

indidit. Neque aliter rem publicam et belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebes, praeda civilis acerbissima, ius iudiciumque omnium rerum penes se, quod populi Romani fuit.
Quae si vobis pax et composita intelleguntur, maxima turba- 25
menta rei publicae atque exitia probate, adnuite legibus impositis, accipite otium cum servitio et tradite exemplum posteris ad rem publicam suimet sanguinis mercede circumveniendam!
Mihi quamquam per hoc summum imperium satis quaesitum 26
erat nomini maiorum, dignitati atque etiam praesidio, tamen non fuit consilium privatas opes facere, potiorque visa est periculosa libertas quieto servitio. Quae si probatis, adeste, Qui- 27
rites, et bene iuvantibus divis M. Aemilium consulem ducem et auctorem sequimini ad recipiendam libertatem!

facti] patefactis *coni. Mähly.* — *post* rempublicam *inserunt* firmam *Dietsch,* salvam *Schöne.* — *post* acerbissima *lacunam statuit Dietsch.*

25. maxima] maxuma *V.* — circumveniendam] circumveniundam *V.*

26. praesidio] praedio *V,* dignitatis atque etiam praesidii *coni. Madvig.*

56*. Sed ubi tempore anni mare classibus patefactum est.

App. (Inc. 45 D, 11 K, IV 40 G, II p. 572 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. I 146.

Comm. De expeditione maritima aliqua haec dicta esse certum est, sed quaenam significata sit pro certo affirmari non potest. Cum vero de ea expeditione agi videatur, quae primo statim vere suscepta sit, quod ad bella piratica Antonio et Pompeio ducibus gesta, quoad quidem nos scimus, minus quadrare veri simile est, ad Servilii bellum verba Sallustii referenda videntur.

57. Nam Sullae dominationem queri non audebat .... qua fuit offensus.

App. (Inc. 82 D, inc. 48—49 K, I 35—36 G, I p. 338, 375, 383 Br.) — Arus. p. 504: 'Sal. hist. I: Nam .... audebat.' — Donat. ad Ter. Phorm. II 3, 24: *Ἀπόδοσις.* 'Quam' enim supra revocavit. .... Et Sallustius 'nam .... audebat' et interpositis quibusdam 'qua .... offensus' (*deest in O*). ‖ queri non] *om. Donatus.* — qua fuit offensus] neque enim f. offensum dominatione Syllae *D,* neque est offensus dominationem Sullae *vulgo in Donato,* qua offensus *restituit iam Keil secundum verba Donati; ac voces* neque enim *et* dominationem Sullae *dittographias esse e priore enuntiati parte in inferiorem illatas patet,* fuit *pro illo* f. *Donati scripsi.*

Comm. Ad Pompeium, quem dictum esse auctore Debrossio accepit Kritz, minime haec quadrant neque magis ad Lepidum,

quem queri de dominatione Sullae ausum esse sane constat. Sed ad Caesarem spectare videtur fragmentum; etenim hunc, quamvis offensus esset in Sullam Sullanosque, tamen obniti Sullae dominationi noluisse eamque ob rem in Ciliciam cum Servilio profectum esse scimus. Cuius rei mentio est facta, ubi de Servilii bellico apparatu ac profectione sermo erat.

58*. Mox tanta flagitia in tali viro pudet dicere.

App. (I 29 D, 34 K, 41 G.) — Schol. Gronov. ad Cic. pro Rosc. (p. 434 Or.): 'Scimus Sullam in pueritia turpissimum fuisse, unde Sallustius dixit' e. q. s.

Comm. Non de Sullae crudelitate in bellis civilibus ostentata — id quod putarunt editores — sed de moribus eius turpibus hoc fragmento disseri e scholiastae verbis elucet. Etiam de puerilibus illius flagitiis Sallustium egisse sequi mihi videtur e Plutarchi verbis ad fr. 61 allatis.

59. Ut in ore gentibus agens.

App. (I 90 D, 92 K, 96 G, I p. 404 Br.) — Arus. p. 488. — Donat. ad Terent. Adelph. I 2, 13. ‖ ut] *om. Donatus.*

Comm. Virum prae ceteris ita excellentem, ut in conspectu exterarum quoque gentium vivere videretur, Pompeium a Sallustio appellatum esse, quod antea proposuerat Kritz, veri minus est simile; accedit, quod copiosius de Pompeio secundo demum libro enarratum est. Sullam vero ita dici potuisse facile quivis mihi concedet. Etenim eum, qui in ore orbis terrarum versatur, omnibus in rebus decorum moresque bonos sequi solitum esse consentaneum est; at in Sulla id ipsum a Sallustio reprehenditur (cf. fr. 61), quod ne tum quidem, cum rem publicam regebat moresque civium restituere in bonum studebat, a voluptatibus ac luxuria abstinuit. Qua re si confirmari videtur Sullae his verbis mentionem fieri, habemus sane rem locumque, quo fragmentum referamus.

60. Insanum aliter sua sententia, atque aliorum mulierum ....

App. (I 37 D, 40 K, 54 G, I p. 406 Br.) — Charis. p. 194. ‖ aliorum] *conieci facillima quidem mutatione,* aliarum *N,* aliorum multorum *coni. Mähly,* adulterarum *Dietsch. Finem fragmenti transpositione titulorum in N facta periisse docuit Keil;* amor, cupido *vel tale quid subaudiendum esse patet.*

Comm. Sullae mores his verbis mutilis describi consentitur; sane cum *adulteris mulieribus* Sullae consuetudinem fuisse scimus, verum graviore acumine maioreque iure dictum esse mihi videtur, si ea quam equidem proposui lectione accepta *aliorum* quoque

virorum feminarum cupidine flagrasse idem accusatur. Is igitur erit sententiarum ordo: Ea quae his verbis antecedebat enuntiati parte rem aliquam narratam esse veri simile est, qua Sullam voluptatibus deditum fuisse accuratius exponebatur, et eandem aliis in viris insanam reprehendendamque ab ipso Sulla dictam esse additur, tum etiam adulteria commissa esse a Sulla refertur.

61*. Plut. comp. Lys. et Sull. c. 3: *Ὁ δὲ οὔτε νέος ὢν περὶ τὰς ἐπιθυμίας ἐμετρίαζε διὰ τὴν πενίαν* (cf. schol. Gronov. ad fr. 58) *οὔτε γηράσας διὰ τὴν ἡλικίαν, ἀλλὰ τοὺς περὶ γάμων καὶ σωφροσύνης εἰσηγεῖτο νόμους τοῖς πολίταις αὐτὸς ἐρῶν καὶ μοιχεύων, ὥς φησι Σαλλούστιος.*

App. (I 135 G, I p. 373 Br.)

62. Idem fecere Octavius et Q. Caepio sine gravi cuiusquam expectatione neque sane ambiti publice.

App. (I 53 D, 89 K, 67 G, I p. 407 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. IV 283. ‖ Gn(aeus) *ante Octavii nomen add. Dietsch.* — expectatione neque] expectationique *F, corr. Daniel.*

Comm. Difficile fragmentum Kritz ad comitia consularia anno 77 habita rettulit, deinde Dietsch cum fragmento 86 composuit. Sed haec nihili esse iam inde sequitur, quod et Octavium anno 77 consulatum petiisse nusquam traditur et *Quintus* quidam Caepio hisce annis omnino, quoad quidem scimus, non fuit; accedit, quod ne ambiendi verbum de magistratuum ambitu hoc loco dictum intelligamus, scholiastae verbis impedimur. At quoniam idem fecisse narrantur et Octavius et Caepio quidam, ad neminem nisi ad M. Octavium Cn. f., qui contra legem Semproniam frumentariam extitit (cf. Cic. Brut. 222, off. II 72), et ad Q. Servilium Caepionem, qui legem Apuleiam tollere conatus est (cf. auct. ad Herenn. I 21), Sallustius spectasse videtur. Itaque ad utramque hanc rem praeeunte quodammodo Debrossio fragmentum refero, tum concludo breviter legum frumentariarum, quae ante erant, rationem exitumque Sallustium commemorasse; scilicet narrandum ei erat imprimis de lege Sempronia a C. Graccho lata, quam ab Octavio illo sublatam esse modo dixi, dein de Saturnini lege Apuleia, in quam Q. Caepio invectus esse dicitur, de Livia lege a M. Druso rogata, quam simul cum ceteris similibusque L. Sulla dictator abrogavit; Lepidi quoque lex brevi post irrita facta, mox vero a Terentio et Cassio consulibus restituta esse videtur: quas res exponendi occasionem Sallustio praebitam esse, ubi legem Aemiliam frumentariam a Lepido rogatam commemoraret, veri simillimum est.

63. Quin lenones et vinarii laniique <et> quorum praeterea volgus in dies usum habet, pretio compositi.

App. (I 43 D, 46 K, 59 G, I p. 398, II p. 158 Br.) — Nonius IV p. 257. — Charisius p. 75. ‖ quin] *Charisius, G Nonii,* qui *L,* cum *H Gen. Nonii.* — lenones, *dein* laniique *om. N Charisii.* — et] *add. L. Müller.* — in dies] in diem *coni. L. Müller.*

Comm. Et hoc et quae secuntur fragmenta tria ad Lepidi tumultum spectare constat.

64*. Tyrannumque et Cinnam maxima voce appellans.

App. (I 42 D, inc. 52 K, I 17 G, I p. 284 et p. 424 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. IV 214. — Id. ibid. I 5: *ad* 'Cinnam'. — Victorin. ad Cic. rhet. *(rhet. min. p 215).* ‖ Cinnam] *Victorinus, T schol. Verg.,* cinuam *C,* cinitam *F.* — maxima voce] *om. Victorinus.* — appellans] *schol. Verg.,* appellantes *Victorinus.*

65*. Magna vis hominum convenerat agris pulsa aut civitate eiecta.

App. (I 46 D, 49 K, 57 G, I p. 393 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. I 270.

66. Uti Lepidus et Catulus decretis exercitibus maturrime proficiscerentur.

App. (I 44 D, 47 K, 52 G, I p. 393 Br.) — Charis. p. 205. — Cf. Placid. gloss. p. 64 (*Deuerl.*): 'denique Sallustius in historiis maturrimum magis quam maturissimum dixit.'

Comm. E loco Liciniani supra laudato consequi mihi videtur hoc fragmento non de Lepidi in Galliam provinciam profectione agi, quod putavit Kritz approbante Petero ac nuperrime I. Frankio (annal. philol. 1892 p. 57); iure contra Mommsen res ita accidisse constituit, ut tumultu in Etruria exorto uterque consul in Etruriam mitteretur.

67. Tunc vero Etrusci cum ceteris eiusdem causae ducem se nactos rati maximo gaudio bellum irritare.

App. (I 16 D, 18 K, 49 G, I p. 399 Br.) — Nonius I p. 31. — Arus. p. 486: *inde a:* 'maximo' e. q. s. ‖ Etrusci] et posci *codd., corr. Mercier.* — ceteris] ceteri *codd., corr. Mercier.* — nactos] nactus *codd., corr. Mercier.*

Comm. Falso Kritz Appiani loco iniuria allato fragmento rem bello Marsico factam narrari coniecerat; quem si sequeremur, neque rem haberemus ad quam vocem *tunc* referremus neque quis dux ille fuisset sciremus, neque *ceteros eiusdem causae* cognossemus: et verba quidem *eiusdem causae*, quae Kritz cum *ducem* coniunxit, ad *ceteris* spectare videntur, quoniam *dux eiusdem*

causae sane tantologia est. At rectissime iam Debrossius pertinere haec ad Lepidi seditionem intellexit.

68. Lepidum paenitentem consili.

App. (I 49 D, 53 K, 53 G, I p. 404 et p. 496 Br.) — Charis. p. 253. — Dositheus p. 408: 'paenitentem Lepidum.' ‖ consili] *sic N*.

Comm. Consilium, cuius paenituit Lepidi, non bellandi vel seditionandi est, immo vero pacis; itaque fragmentum non ad fractae Lepidanae seditionis tempora pertinet, quod voluerunt Kritz ac Dietsch, sed de eo anni 78 spatio agitur, quo Lepidus pacem, quam senatui collegaeque concesserat, denuo turbare paravit.

69. Etruria omnis cum Lepido suspecta in tumultum erat.

App. (I 45 D, 48 K, G.) — Arus. p. 484.

70*. Quae cis paucos dies iuncta in armis foret.

App. (Inc. 23 D, III 70 K, inc. 57 G, II p. 323 Br.) — Cledon. p. 76. ‖ iuncta] cuncta *coni. Kritz.* — foret] sunt *Gerlach,* cuncta ... foret (!) *edidit Dietsch.*

Comm. Verba ex oratione vel cogitatione alicuius dicta esse patet; falsa autem nisus lectione Kritz de fugitivis ad Spartacum undique confluentibus dicta ea esse sumpserat, verum tamen terrae nomen subaudiendum est. Itaque ad Etruriam pertinere conicio; eam enim ad seditionem propensissimam fuisse coniuratamque cum Lepido scimus; etiam illud bene cum Etrucis convenit, quod *iunctos* in armis eos fore dicitur, modo conferas fr. 67. — Talia autem dicta cogitatave esse a senatu Romano opes Lepidi metuente ex antecedente fragmento efficitur.

71. Prudens omnium quae senatus censuerat.

App. (I 91 D, 93 K, 7f G, I p. 400 Br.) — Arus. p. 503.

Comm. Iure collato Appiano ad Lepidum haec rettulit iam Debrossius.

72*. Igitur senati decreto serviendumne sit?

App. (Inc. 93 D, 62 K, I 70 G, I p. 401 Br.) — Donat. ad Terent. Andr. II 2, 28. — Schol. Bemb. ad Eun. II 2, 6 (*ed. Umpfenbach Herm. II p. 348*): *usque ad* 'decreto'. ‖ igitur] *P D B,* ergo *O, vulgo.* — senati] *O B,* senatus *P D.* — decreto] *P O B,* discretio *D.* — serviendumne] *O,* sed videndi ne *P,* sed videndum non *D,* servi ne indicium sit *coni. Dietsch temerarie.*

Comm. Eum qui verba a Donato laudata profert Lepidum esse, decreto senatus illo eundem ad comitia redire exercitumque dimittere iussum esse egregia est Debrossii coniectura; sane hac

cum re decretum non minus quam atrox eius qui loquitur sententia verbumque serviendi congruit.

73. Plebei tribuniciam potestatem.

App. *(In edd. peculiare fragmentum non est.)* — Prisc. VI (II p. 243). — Sallustius in I historiarum *Prisciani codd., praeter quod* in II hist. *G L K.*

Comm. Verba a Prisciano laudata ad Philippi orationem fr. 77, 14 pertinere vulgo putantur, quod falsissimum esse iudico. Etenim *plebei* vox ibi deest in Vaticano, quam genetivum hoc loco esse testatur Priscianus; at in oratione, si omnino legeretur, dativum desideraremus. Verba, quae quomodo supplenda sint obscurum est (fortasse *renovandam esse* vel *rei publicae usui esse*), ad Lepidi mandata rettuli; etenim in primo libro hoc imprimis loco de tribunicia potestate actum est.

74*. Nam talia incepta, ni in consultorem vertissent, rei publicae pestem factura.

App. (Inc. 89 D, 57 K, 54 G, II p. 622 Br.) — Donat. ad Verg. Aen. I 37. — Ibid. IV 316 (*cf. Hoeven, de Donati commentario,* (*1846*) *p. 46*). || incepta] cepta *codd. lib. I.* — ni in consultorem] non consultorum *codd. lib. I,* inconsulto revertissent *codd. lib. IV* (*om* ni), si in *coni. Gerlach.*

Comm. Verba haec optimatis alicuius (Catuli vel Philippi Appiive) fuisse ac spectare ad Lepidum e Philippi verbis consequi mihi videtur, quem paullo infra Sallustius de eadem re ita dicentem facit: 'Maxime vellem, patres conscripti, ... *prava incepta consultoribus noxae esse.*' Linkerum vero, qui coniecit ex ipsa epistula Catuli haec esse Sallustii historiis inserta et a Frontone quoque lecta, satis iam reiecit Kritz.

75*. Qui aetate et consilio ceteros anteibat.

App. (I 47 D, 50 K, 60 G, I p. 378 Br.) — Serv. ad Aen. IX 244: 'Sallustius de Philippo' e. q. s.

76*. In hunc modum disseruit.

App. (II 41 D, 50 K, 103 G, II p. 164 et 527 Br.) — Prisc. XVIII (III p. 305).

Comm. His verbis Sallustium usum esse, ut Cottae orationem induceret, Kreyssigio auctore rati sunt editores; quod Aurelianensi fragmento reperto non comprobatum est. Licinii Macri orationi eadem praemittere vetamur ea re, quod ipso eius initio disserendi verbum statim usurpatur, de Lepidi turbidis contionibus eiusdem verbi minus locum esse patet. Quare ad Philippum pertinere fragmentum existimavi.

77. Oratio Philippi in senatu.

Maxime vellem, patres conscripti, rem publicam quietam 1
esse aut in periculis a promptissimo quoque defendi, denique
prava incepta consultoribus noxae esse; sed contra seditionibus
omnia turbata sunt et ab iis, quos prohibere magis decebat,
postremo quae pessimi et stultissimi decrevere, ea bonis et sa-
pientibus facienda sunt. Nam bellum atque arma, quamquam 2
vobis invisa, tamen quia Lepido placent sumenda sunt, nisi
forte cui pacem praestare et bellum pati consilium est. Pro 3
di boni, qui hanc urbem omissa cura adhuc tegitis: M. Aemi-
lius, omnium flagitiosorum postremus, qui peior an ignavior
sit deliberari non potest, exercitum opprimendae libertatis
habet et se ⟨e⟩ contempto metuendum effecit: vos mussantes
et retractantes verbis et vatum carminibus pacem optatis
magis quam defenditis neque intellegitis mollitia decretorum
vobis dignitatem, illi meṭum detrahi. Atque id iure: quoniam 4
ex rapinis consulatum, ob seditionem provinciam cum exercitu
adeptus est, quid ille ob bene facta cepisset, cuius sceleribus
tanta praemia tribuistis?

At scilicet eos qui ad postremum usque legatos, pacem, 5
concordiam et alia huiuscemodi decreverunt, gratiam ab eo
peperisse! Immo despecti et indigni re publica habiti praedae
loco aestimantur, quippe metu pacem repetentes, quo habitam
amiserant. Equidem a principio cum Etruriam coniurare, pro- 6
scriptos arcessi, largitionibus rem publicam lacerari videbam,
maturandum putabam et Catuli consilia cum paucis secutus
sum; ceterum illi qui gentis Aemiliae bene facta extollebant

Testimon.: 5. Arus. p. 480: Sal. hist. I: 'et indigni re publica.'

App. (I 48 D, 51 K, p. 99 G, I p. 412 Br.; Jordan ed. 3. p. 114.) || 1. defendi] defeadi *V.* — prava] parva *V, corr. Aldus.*

3. omissa cura] amissa curia *coni. Haupt,* obnixa cura *Bergk,* nimis securam *Kraut,* vobis sacram *Schöne,* omissa cura vatum carminis *Lange (vd. infra); iure defenderunt Gerlach et Kritz, cum urbem iusto securiorem vituperari ex ipsis quae secuntur verbis efficeretur.* — se e] secontempto *V,* et ex *coni. Linker.* — carminibus] carminis *V,* verbis pacem optatis magis quam ⟨re⟩ defenditis *Lange, transpositis vocibus* vatum carminis *in superiorem sententiam deletoque* et.

5. ab eo] habeo *V.*

6. arcessi] accersi *V.*

et ignoscendo populi Romani magnitudinem auxisse, nusquam
etiam tum Lepidum progressum aiebant, cum privata arma
opprimendae libertatis cepisset, sibi quisque opes aut patro-
7 cinia quaerendo consilium publicum corruperunt. At tum erat
Lepidus latro cum calonibus et paucis sicariis, quorum nemo
diurna mercede vitam mutaverit; nunc est pro consule cum
imperio non empto sed dato a vobis, cum legatis adhuc iure
parentibus, et ad eum concurrere homines omnium ordinum
corruptissimi, flagrantes inopia et cupidinibus, scelerum con-
scientia exagitati, quibus quies in seditionibus, in pace turbae
sunt. Hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt, Sa-
turnini olim, post Sulpicii, dein Mari Damasippique, nunc
8 Lepidi satellites. Praeterea Etruria atque omnes reliquiae belli
arrectae, Hispaniae armis sollicitae, Mithridates in latere vec-
tigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamur, diem bello
circumspicit; quin praeter idoneum ducem nihil abest ad sub-
vertendum imperium.

9 Quod ego vos oro atque obsecro, patres conscripti, ut anim-
advertatis neu patiamini licentiam scelerum quasi rabiem ad
integros contactu procedere; nam ubi malos praemia secuntur,
10 haud facile quisquam gratuito bonus est. An expectatis dum
exercitu rursus admoto ferro atque flamma urbem invadat?
Quod multo propius est ab eo quo agitat statu, quam ex pace
11 et concordia ad arma civilia. Quae ille adversum divina et
humana omnia cepit, non pro sua aut quorum simulat iniuria,
sed legum ac libertatis subvertendae. Agitur enim ac lace-
ratur animi cupidine et noxarum metu, expers consilii, inquies,
haec atque illa temptans, metuit otium, odit bellum, luxu atque
licentia carendum videt atque interim abutitur vestra socordia.
12 Neque mihi satis consilii est, metum an ignaviam an demen-
tiam eam appellem, qui videmini tanta mala quasi fulmen
optare se quisque ne attingat, sed prohibere ne conari quidem.

---

7. non *post* nemo *add. Carrio.* — empto] dempto *coni. Hartel.* — Mari] *sic V.*

9. neu] ne *V, corr. Carrio.* — rabiem] tabem *coni. Carrio.*

11. agitur] *cf. Opitz ann. philol. 127 p. 220 et Weinhold act. soc. Lips. I p. 220.*

12. tanta] itanta *V, corr. Orelli,* intenta *coni. Aldus,* intuentes *vel postea* intuentes tanta *Dietsch,* minitantia *Schöne.*

Et quaeso considerate quam conversa rerum natura sit: 13
antea malum publicum occulte, auxilia palam instruebantur et
eo boni malos facile anteibant; nunc pax et concordia distur-
bantur palam, defenduntur occulte; quibus illa placent, in
armis sunt, vos in metu. Quid expectatis? Nisi forte pudet
aut piget recte facere. An Lepidi mandata animos movere? 14
Qui placere ait sua cuique reddi et aliena tenet, belli iura
rescindi, cum ipse armis cogat, civitatem confirmari, quibus
ademptam negat, concordiae gratia tribuniciam potestatem
restitui, ex qua omnes discordiae accensae. Pessime omnium 15
atque impudentissime, tibine egestas civium et luctus curae
sunt? Cui nihil est domi, nisi armis partum aut per iniuriam!
Alterum consulatum petis, quasi primum reddideris, bello con-
cordiam quaeris quo parta disturbatur, nostri proditor, istis
infidus, hostis omnium bonorum! Ut te neque hominum neque
deorum pudet, quos per fidem aut periurio violasti! Qui quando 16
talis es, maneas in sententia et retineas arma te hortor, neu
prolatandis seditionibus, inquies ipse, nos in sollicitudine atti-
neas; neque te provinciae neque leges neque dii penates civem
patiuntur: perge qua coeptas, ut quam maturrime merita in-
venias.

Vos autem, patres conscripti, quo usque cunctando rem 17
publicam intutam patiemini et verbis arma temptabitis? Dilec-
tus adversus vos habiti, pecuniae publice et privatim extortae,
praesidia deducta atque imposita, ex libidine leges imperantur,
cum interim vos legatos et decreta paratis! Quanto mehercule
avidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit, cum intelleget
se metu magis quam aequo et bono sustentatum. Nam qui 18
turbas et caedem civium odisse ait et ob id armato Lepido
vos inermos retinet, quae victis toleranda sunt ea, cum facere
possitis, patiamini potius censet; ita illi a vobis pacem, vobis

---

Testimon.: 16. maturrimum, *cf. locum ad fr. 66 laudatum.*

---

14. cogat] agat *coni. Orelli.* — plebei *ante* tribuniciam potestatem *vulgo inde ab Carrione additur, perperam ex altero loco a Prisciano laudato huc illatum, cf. fr. I 73.*

16. provinciae] populi Romani iudicia *coni. Madvig,* magistratum *post* provinciae *add. Dietsch.* — maturrime] maturime *V.*

18. se *post* odisse *add. Dietsch, post* turbas *Madvig.*

19 ab illo bellum suadet. Haec si placent, si tanta torpedo animos obrepsit, ut obliti scelerum Cinnae, cuius in urbem reditu decus ordinis huius interiit, nihilo minus vos atque coniuges et liberos Lepido permissuri sitis, quid opus decretis, quid
20 auxilio Catuli? Quin is et ali boni rem publicam frustra curant. Agite ut libet, parate vobis Cethegi atque alia proditorum patrocinia, qui rapinas et incendia instaurare cupiunt et rursus adversum deos penatis manus armare. Sin libertas et vera magis placent, decernite digna nomine et augete in-
21 genium viris fortibus. Adest novos exercitus, ad hoc coloniae veterum militum, nobilitas omnis, duces optimi: fortuna meliores sequitur; iam illa quae socordia nostra collecta sunt, dilabentur.
22 Quare ita censeo: quoniam ⟨M.⟩ Lepidus exercitum privato consilio paratum cum pessimis et hostibus rei publicae contra huius ordinis auctoritatem ad urbem ducit, uti Appius Claudius interrex cum Q. Catulo pro consule et ceteris, quibus imperium est, urbi praesidio sint operamque dent, ne quid res publica detrimenti capiat.

Testimon.: 19. Nonius III p. 229: Sallustius historiarum lib. I: 'haec si .... obrepsit.' — Charis. p. 86: Sallustius .... 'torpedinem' dixit.

---

19. obrepsit] oppressit *V*, obrepsit *F Nonii*, obprepsit *F man. sec., H*, obressit *L*, oppressit *G*; obrepsit *igitur Nonius habuisse videtur, cuius in libros ex Sallustiana sylloge alterum illatum est*, obrepsit *a Sallustio scriptum esse iure defendit Dietsch collatis ep. de re publ. 8, 7 et Tac. hist. III 63.*
20. ali boni] aliboni *V*. — nomine] nomini *V*.
21. novos] *sic V*. — nostra] vostra *coni. Dietsch.*
22. M(arcus)] *add. Orelli.*

78. Numeroque praestans, privos ipse militiae.

App. (I 100 D, 103 K, 94 G.) — Arus. p. 503.

Comm. Ingenti numero exercitum a Lepido coactum esse cum constet, ipsum vero cum militiae perignarum fuisse rebus ipsis doceatur postea gestis, haud abnuendum mihi videtur de Lepido hoc fragmento agi; quare ibi id apposui, ubi impetus Lepidi in urbem factus ac repulsus commemorandus erat.

79. Apud Mutinam.

App. (I 50 D, 52 K, 77 G, I p. 400 et 419 Br.) — Prisc. XV (III p. 67).

80. Fugam maturabat.

App. (I 107 D, 115 K, 126 G, I p. 444 Br.) — Arus. p. 492.

81. Profectionem festinantes.

App. (I 109 D, 117 K, 125 G.) — Arus. p. 474.

Comm. Fragmenta 80 et 81 ad Lepidi fugam clademque referenda esse ut conicerem, commotus sum Exuperantii loci supra laudati congruentia.

82*. Serv. ad. Aen. X 168: 'Cosas, civitas Tusciae, quae numero dicitur singulari secundum Sallustium.'

App. (I 51 D, 54 K, 56 G, I p. 423 Br.)

83*. Perrexere in Hispaniam an Sardiniam.

App. (II 10 D, 15 K, II 16 G, I p. 498 Br.)

Comm. Nescio qua commoti causa editores secundo in libro posuerint haec verba; cum vero in Sardiniam fugisse narrentur quidam, scilicet Lepidani victi, patet hoc accidisse brevi post cladem ad Cosam Lepido illatam, non post mortem eius, quippe qui in ipsa vel Sardinia mortuus esset.

CAPUT IV.

De Sertorii vita rebusque ab eo gestis, fr. 84—103.

Inest de rebus urbanis fr. 86.

Enarratio.

Profligata Lepidi seditione relinquebatur senatui etiam
belli Sertoriani cura (fr. 84, 85). Sed antequam res hoc bello 84, 85
a Metello gestae enarrarentur, comitia post Lepidi fugam Romae
habita (fr. 86) consulesque anni 77 tum demum factos Mam. 86
Aemilium Lepidum Livianum D. Iunium Brutum memorari
opus erat, dein de abrogatis Lepidi legibus veniaque seditionis
a senatu plerisque Lepidanis decreta expositum esse videtur.
Iam ipsius Sertorii vita, antequam ad bellum ab eodem commotum Sallustius accederet, dicta est.

Ac Q. Sertorius e gente Sabina prima adulescentia eloquentia haud immeritus (Plut. Sert. c. 2) mox ad militiae
studium sese convertit (fr. 87) et bello Cimbrico, dein in Hi- 87
spania, post bello Marsico prae ceteris excelluit (Plut. Sert.

88, 89 c. 4 med., quo referas fr. 88, 89). Mox vero cum Cinna expulsus reverteretur ac contra Sullanos immani crudelitate in urbe saeviret, ipse Sertorius, qui ad Marianos se applicarat,
90 omni noxa abstinuit (fr. 90). Sed triennio post (Exup. p. 4) 'Norbano et Scipione consulibus, cum ex Asia Sulla contra Marium atque factionem veniret infestus, timens senatus, ne malo publico certamina inter duces orirentur, statuit ut curarent consules, ne res publica acciperet detrimentum. Hoc itaque senatus consulto excitati consules contra venientem Sullam atque omnibus exitium minitantem *praesidia sibi* cuiusque generis *parare* coeperunt et duces idoneos, ad quorum industriam pertineret cura bellorum, in quis elegere Sertorium. Parato validissimo exercitu processere et *vetante Sertorio colloquia consules permiserunt* inter suum et Sullae exercitum *et facta proditio est omnisque exercitus*
91 *Sullae traditur*' (fr. 91).

Plut. Sert. c. 6: *τέλος δὲ Σύλλας Σκιπίωνι παραστρατοπεδεύσας καὶ φιλοφρονούμενος ὡς εἰρήνης ἐσομένης διέφθειρε τὸ στράτευμα καὶ ταῦτα προλέγων Σκιπίωνι καὶ διδάσκων Σερτώριος οὐκ ἔπειθε.*

'Tunc Sertorius destitutus atque omni copiarum nudatus auxilio in Etruriam confugit iram metuens Sullae, ne exigeret gravem quasi de superato hoste vindictam. Erat autem Etruria fidissima partibus Mariani, quia ab ipsis Romanam quam antea non habebant acceperant civitatem; timentes igitur Etrusci ne beneficium tantae dignitatis a Marianis acceptum Sulla revocaret, si *adversae partes essent amputatae*, penitus ad Sertorium se atque alios eiusdem factionis duces applicarunt omnia, quae imperarentur, sine recusatione promittentes sese facturos; itaque factum est ut rursus firmissimus quadraginta cohortium comportaretur exercitus; nam et multi milites qui se venienti Sullae tradiderant frustrati omnibus ad priorum ducum castra reverterunt quae ante prodiderant. — Inter haec facti sunt Marius et Carbo consules; tunc Sertorius Romam venit et omnium coepit accusare segnitiem, etiam ex multis promptissimis factis Sullae industriam virtutemque laudare, *cui nisi obviam*
92 *iretur* (fr. 92), *actum iam ac debellatum foret.* Tum consules principesque alii factionis tanto verborum pondere castigati,

sive *ut aemulum ac vehementem neglegentiae correctorem* ab oculis *removerent* sive ut feroci provinciae, cuius infidelitatem timebant, idoneum praeponerent ducem, misere in citeriorem Hispaniam; atque ei mandatum est ut transiens *res* in Gallia transalpina *componeret.*' — (Huc adde Plut. Sert. c. 6 usque ad finem capitis.) — 'Sed ubi in provinciam venit ita strenue sociorum animos iam deficientes atque alia cupientes in favorem partium suarum modeste tuendo atque blandiendo perduxit
(fr. 93), *ut et carus esset* (fr. 94) et tamen ab omnibus metu- 93, 94
eretur.' At perditis popularium rebus C. Annius a Sulla pro praetore in Hispaniam missus Sertorium victum e provincia expulit, brevi e Pityusis quoque insulis eiecit (Plut. Sert.
c. 7 totum; accedunt fr. 95—99). Inde Sertorius Herculis 95, 96, 97, 98, 99
transvectus columnas ad Baetim pervenit; *ἐνταῦϑα* (Plut. Sert. c. 8) *ναῦταί τινες ἐντυγχάνουσιν αὐτῷ νέον ἐκ τῶν Ἀτλαντικῶν νήσων ἀναπεπλευκότες, αἳ δύο μέν εἰσι λεπτῷ παντάπασι πορϑμῷ διαιρούμεναι, μυρίους δ' ἀπέχουσι Λιβύης σταδίους καὶ ὀνομάζονται Μακάρων .... καὶ καρ-*
πὸν αὐτοφυῆ φέρουσιν ἀποχρῶντα πλήϑει (fr. 100), 100
.... ὥστε μέχρι τῶν βαρβάρων διῖχϑαι πίστιν ἰσχυρὰν αὐτόϑι τὸ Ἠλύσιον εἶναι πεδίον καὶ τὴν τῶν εὐδαιμόνων
οἴκησιν, ἣν Ὅμηρος ὕμνησεν (fr. 101). *ταῦϑ' ὁ Σερτώριος* 101
ἀκούσας ἔρωτα ϑαυμαστὸν ἔσχεν οἰκῆσαι τὰς νήσους
(fr. 102, 103) *καὶ ζῆν ἐν ἡσυχίᾳ τυραννίδος ἀπαλλαγεὶς καὶ* 102, 103
πολέμων ἀπαύστων. Tamen in Africam revertit, ubi contra Ascalim, Mauretaniae principem, et Paccianum, Sullae legatum, bene res gessit (Plut. Sert. c. 9 pr. parte).

Fragmenta.

84*. M. Lepido cum omnibus copiis Italia pulso segnior neque minus gravis et multiplex cura patres exercebat.

App. (I 54 D, 56 K, II 1 G, I p. 435 Br.) — Victorinus ad Cic. rhet. I (*p. 205 rhet. min.*). — Sacerdos (VI p. 458): 'Marco ... segnior.' — Serv. ad Aen. I 630: 'segnior ... cura.'

Comm. His verbis a Lepidi rebus ad novum quasi caput, nempe ad res Sertorianas, transitum esse ex ipso fragmento elucet. Et quamquam res urbanas, imprimis comitia consularia habita con-

tinuo subiecta esse, simulac de Lepidi clade fugaque ac restituta re publica narratum esset, existimandum est, tamen praecessisse his rebus duo fragmenta, et hoc et id quod succedit, quibus in universum belli Sertoriani condicio exponitur, ex eodem hoc fragmento concludo.

85*. Ardebat omnis Hispania citerior.

App. (Inc. 7 D, I 68 K, I 108 G, I p. 435 Br.) — Adnot. ad Luc. II 534: 'ardent Hesperii, ut Sallustius' e. q. s. — Victorin. in Cic. rhet. p. 6 Or. *(rhet. min. p. 158) nomine Sallustii non laudato.*

Comm. Verba e solo Victorino adhuc cognita iure Sallustii fragmentis assignata esse, falso autem, num ea Sallustii essent, dubitasse Dietschium adnotationum loco ab Usenero mihi praebito nunc docetur; sane antea idem ostendi potuit collatis imitatoribus Heges. II 11, 1 et Dictye I 16. — Ceterum his verbis non unam quandam rem bello Sertoriano factam enarrari, sed totius belli rationem condicionemque describi apparet; quare in initio capitis huius ea posuisse atque antecedenti fr. 84 adnexuisse recte mihi videor.

86. Curionem quaesit, uti adulescentior et a populi suffragiis integer aetati concederet Mamerci.

App. (I 52 D, 55 K, 62 G, I p. 426 Br.) — Priscian. X (II p. 535). || quaesit] *G Hertz,* quaesivit *rell. codd., vulgo ante Hertzium, illud ipse legit Priscianus* — integer aetati] integritati *G L,* intigrati *K.*

Comm. Quis Curionem illud rogaverit nescimus, scilicet optimatium princeps aliquis velut Philippus Catulusve; impetrasse autem illud ab eo constat, quoniam eo cuius de comitiis sermo est anno 77 Mamercus Lepidus Livianus re vera consul factus est.

87*. Togam paludamento mutavit.

App. (Inc. 65 D, 31 K, I 44 G, I p. 400 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Georg. I 8. — Schol. ad Iuven. VI 400. — Isidor. XIX 24, 9. || togam] coiam *L schol. Verg.,* cogam *S schol. Iuvenal.*

Comm. Ad Q. Sertorium haec apte referri posse intellexit Dietsch.

88*. Magna gloria tribunus militum in Hispania T. Didio imperante, magno usui bello Marsico paratu militum et armorum fuit, multaque tum ductu eius peracta primo per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum incelebrata sunt: quae vivos facie sua ostentabat aliquot adversis cicatricibus et effosso oculo. Neque illis anxius, quin ille dehonestamento

corporis maxime laetabatur, quia reliqua gloriosius retinebat.

App. (I 55 D, 57 K, 80 G, I p. 437 Br.) — Gellius II 27: Sallustius de Sertorio duce in historiis ita scripsit e. q. s. — Donat. ad Terent. Eun. III 2, 29: haec sunt virtutis insignia, ut Sallustius quoque fatetur: 'dehonestamento .... laetabatur.' — haec sunt virtutis insignia *post* fatetur *habent codd. Donati, transposui.* ‖ tribunus militum] *A,* tribus milibus *VPR.* — usui] *A,* usi *VPR,* usu *vulgo, quod antiquiorem dativi formam putabant.* — eius peracta] eiusque rapta *codd., corr. Mähly,* curata *coni. Carrio,* patrata *Dietsch,* ductu eius manuque *Linker.* — incelebrata] celebrata *codd., corr. Gronovius,* minus celebrata *con. Havercamp,* celata *Ciacconius.* — facie sua] faciem suam *codd., corr. Gronovius.* — neque illis anxius *post* laetabatur *codd., transposui Proleg. (fasc. I) p. 27,* elisis *coni. Dietsch.* — quin ille] quid ille *codd.,* quin *corr. Hertz, seclusit verba Linker,* quin illo *coni. Dietsch.* — dehonestamento corporis] dehonestamento tamen esse corpori *Donatus* (corporis *ed. pr.*), *sed genetivum in Sallustio legerunt Castricius iam et Gellius; tamen Donati respondere videtur Gelliano* quin. — laetabatur] laetabitur *O Donati.* — quia reliqua etc.] illi anxius quo reliquo gloriosius renidebat *coni. Lachmann.*

Comm. De ratione quae inter Plutarchum atque hoc Sallustii intercedit fragmentum vide Prolegom. (fasc. I) p. 27—29.

89*. Et ei voce magna vehementer gratulabantur.

App. (I 56 D, 58 K, G, I p. 405, II p. 114 et 627 Br.) — Donat. ad Terent. Andr. V 4, 36. — Id. ibid. V 4, 43. ‖ voce magna etc.] v. m. v. g. *altero loco P,* n. m. n. c. *ibid. O.*

Comm. Ad Sertorium haec spectare Kritz repperit collato Plut.: εἰσελθόντα γὰρ εἰς θέατρον ἐξεδέξαντό τε κρότῳ καὶ κατευφήμησαν.

90*. Inter arma civilia aequi bonique famas petit.

App. (Inc. 76 D, 42 K, I 40 G, I p. 383 Br.) — Seneca epist. mor. 114, 19.

Comm. Cum Sertorio haec optime congruere discimus rebus apud Plutarchum cap. 5 narratis.

91*. Cuius adversa voluntate colloquio militibus permisso corruptio facta paucorum et exercitus Sullae datus est.

App. (I 57 D, 28 K, 20 G, I p. 302 Br.) — Donat. ad Terent. Eun. III 2, 13. ‖ voluntate] voluptate *O.* — corruptio] correptio *O.*

92*. Cui nisi pariter obviam iretur.

App. (I 58 D, inc. 61 K, inc. 23 G, I p. 400 Br.) — Donat. ad Ter. Eun. I 2, 12. ‖ obviam iretur] obvia missetur *O.*

93*. Hispaniam sibi antiquam patriam esse.

App. (I 59 D, K, inc. 14 G, I p. 582 Br.) — Serv. ad Aen. I 380. — Id. ib. III 297. ‖ antiquam] *om. Servius ad lib. III.*

Comm. Omnium virorum, quorum Sallustii historiis mentio fit, nemo talia de se praedicare potuit nisi Sertorius. Quare fragmentum ibi cum Kritzio nobis collocandum est, ubi Sertorium blandiendo Hispanorum animos sibi reconciliasse dictum est.

94*. Modicoque et eleganti imperio percarus fuit.

App. (Inc. 7, 9 D, 45 K, 77 G.) — Adnot. ad Lucan. VII 267 (*deest in C et G*). ‖ modicoque] modico quoque *vulgo ex Webero,* in modico *Kritz,* is *Gerlach,* eis *Dietsch falsa nisi lectione.* — eleganti imperio] elegantum perio *W,* elegantum (*omisso* perio) *V,* diligenti *coni. Dietsch,* clementi *Roth.*

Comm. Sertorium hoc loco intelligendum esse primus Dietsch iure contendit collato Plutarchi c. 6: *ἥμερος μὲν ὢν ἐν ταῖς εἰρηνικαῖς χρείαις, φοβερὸς δὲ τῇ παρασκευῇ κατὰ τῶν πολεμίων φαινόμενος* atque: *ἀνελάμβανε ὁμιλίᾳ τε τοὺς δυνατοὺς καὶ φόρων ἀνέσει τοὺς πολλούς. μάλιστα δὲ τῶν ἐπισταθμιῶν ἀπαλλάξας ἠγαπήθη.* Quod etiam confirmari videtur Exuperantii eadem de re testimonio.

95*. Hieronym. epist. ad Magnum (70), 6: 'sed per te mihi proponi ab alio quaestionem, qui forte propter amorem historiarum Sallustii *Calpurnius cognomento Lanarius* sit.'

App. (*Deest in edd. praeter Cortianam* p. 1012.)

96*. Salinator in agmine occiditur.

App. (*Deest in edd.*) — Comm. Bern. ad Lucan. I 478.

Comm. Utrumque fragmentum ad C. Annii in Hispaniam invasionem spectare sequitur e Plut. c. 7: *Καλπουρνίου δέ τινος ἐπίκλησιν Λαναρίου δολοφονήσαντος τὸν Ἰούλιον κτλ.*

97. Paucos saltum insidentis.

App. (I 108 D, 116 K, 93 G.) — Arus. p. 480.

Comm. Milites in saltu aliquo collocati primo libro appellati esse non videntur, nisi ubi Pyrenaei montis transitus a Salinatore occupati, dein ab Annio superati esse dicebantur; quare hic fragmentum apposui.

98. Earum aliae paululum progressae nimio simul et incerto onere, cum pavor corpora agitaverat, deprimebantur.

App. (I 60 D, K, 87 G, II p. 112 Br.) — Gellius X 26, 10. — Nonius VI

(p. 453) *usque ad* onere. ‖ paululum] paulum *Nonius, Kritz.* — simul et incerto] nimio progressae inter cum sicco *Nonius.*

99*. Cum Sertorius neque erumpere tam levi copia navibus ....

App. (Inc. 35 D, 1 K, I 112 G, I p. 444 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. II 564. ‖ Cum Sertorius] com Sertorios *C.* — erumpere tam] rumperet an *C*, erumperet tam *Putschius,* erumpere *Kritz,* nequiret erumpere *F. Schöll.* — copia navibus] copiam avibus *C, corr. Putsch,* navibus *dativum (scil. se commisit) intellexit F. Schöll, sed* navibus *instrumentalem,* levia copia *absolutum qui dicitur ablativum esse malim.*

Comm. Ad Sertorii pugnam navalem vehementi tempestate cum Annio gestam fragmenta spectant, cf. Plut. c. 7: *ζεφύρῳ δὲ λαμπρῷ τοῦ πελάγους ἀνισταμένου καὶ τὰ πολλὰ τῶν Σερτωρίου πλοίων ὑπὸ κουφότητος πλάγια ταῖς ῥαχίαις περιβάλλοντος — αὐτὸς ὀλίγαις ναυσὶ τῆς μὲν θαλάσσης ὑπὸ τοῦ χειμῶνος εἰργόμενος, τῆς δὲ γῆς ὑπὸ τῶν πολεμίων κτλ.* — Et rem priore loci huius parte narratam illustrari fr. 98 apparet, ad posteriorem eiusdem refero fr. 99; aperte enim ut illi *neque* respondet alterum *neque*, ita vocibus *navibus erumpere* respondere videtur *in terram escendere*, utrumque autem loco Plutarcheo sibi respondet.

†100. Quas duas insulas propinquas inter se et decem ⟨milia⟩ stadium a Gadibus sitas constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere.

App. (I 61 D, K, 82 G, I p. 446 Br.) — Nonius IX p. 495. — Sallustius hist. lib. XI *codd.,* libro primo *vulgo iure assignatur.* ‖ quas] cuius *codd.,* quas *corr. Roth.* — milia] *add. Kritz.* — stadium] *om. G.* — sitas] satis *codd., corr. Carrio.*

Comm. Falso hoc fragmentum cum altero quodam fr. 102 arte coniunxisse Kritzium ipsius Plutarchi excerptoris ordine evincitur. Eandem ob causam Rothii approbare coniecturam non dubitavi, cf. Plut. *αἳ δύο μέν εἰσιν κτλ.*

101*. Serv. ad Aen. V 735: 'Secundum philosophos elysium est insulae fortunatae, *quas* ait Sallustius *inclitas esse Homeri carminibus.*'

App. (I 62 D, K, 83 G, I p. 447 Br.)

102. Traditur fugam in Oceani longinqua agitavisse.

App. (I 61 D, K, 81 G, I p. 446 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Verg. Aen. I 640. — Schol. ad Verg. Georg. II 197 (*ed. Wagner, de Philargyrio II p. 28*): 'ut apud Sallustium in prima.' — *Rem testatur* Schol. ad Horat. epod. XVI 42: 'Oceanus, in quo sunt insulae fortunatae, ad quas Sal. in historia dicit victum voluisse ire Sertorium.'

103*. More humanae cupidinis ignara visendi.

App. (Inc. 94 D, 63 K, III 89 G.) — Gellius IX 12, 22. — Nonius II p. 129: 'Salustius Iugurthino bello.' ‖ more] amore *Nonii codd. — Nonii testimonium nihili esse puto, cum ipse ex Gellii quem attuli loco hauserit. Itaque ea re, quod in Iugurthino bello haec verba legisse se nugatur, minime commoveri nobis licet, ut ad Iug. c. 93 ea referamus.*

Comm. Dictus est qui novarum rerum cupidus in ignaras incertasque regiones solito latius procedit. Quod in Sertorium imprimis cadere summo insularum fortunatarum desiderio commotum constat; quare ad hunc fragmentum pertinere existimo.

CAPUT V.

Belli Sertoriani initia, fr. 104—126.

Enarratio.

Sertorius cum in Mauretania moraretur, a Lusitanis anno 80
in Hispaniam revocatus est, ut dux esset belli contra Romanos
gerendi (Plut. Sert. c. 10); quibus obsecutus in Baeticam
104 clam transvecturus (fr. 104) Cottam ad Mellariam pugna navali
105 devicit atque cum Lusitanis sese coniunxit (fr. 105). Et brevi
post vicinas Lusitaniae gentes sibi ascivit plerisque sponte sua
ad Sertorium deficientibus atque admirantibus ingenium eius,
106 scilicet credulitate fiduciaque Hispanorum (fr. 106) callide usus
est (Plut. c. 11, adde Gell. XV 20, Frontin. I 11, 13). Attamen
initio haud magnae fuerunt Sertorii opes exiguusque
exercitus, quocum imperium Romanum aggressurus erat (Plut.
c. 12); in quo magni ei momenti erant Maurorum auxilia,
107 quae secum in Lusitaniam adduxerat (fr. 107).

Ac primum anno 80 Fufidium ulterioris provinciae pro-
108, 109 praetorem ad Baetim fudit (fr. 108, 109). Anno post 79
Q. Metellus, qui Fufidio succedebat, Hispaniae ulteriori praefuit
110 (fr. 110); neque vero melius res gessit, nam alterius provinciae
propraetorem M. Domitium Calvinum, quem auxilio vocaverat
111 (fr. 111), Hirtuleius Sertorii quaestor devicit et L. Thorium
Balbum Metelli legatum Sertorius occidit. Deinde ipse Metellus*)
cum in Lusitaniam ex ulteriore provincia processisset

*) De harum rerum tempore atque ordine vd. comm. ad fr. 112—115.

ibique diutius cum Sertorio bellasset (fr. 112—115), summam 112, 113, 114, 115
venit in inopiam. Qua data occasione de utriusque ducis natura,
ingenio, arte bellica disseritur (Plut. Sert. c. 12 inde ab *οὐ γὰρ
εἶχεν ὁ Μέτελλος κτλ.* usque ad c. 13 *μάχεσθαι στρατηγὸν
στρατηγῷ καὶ Ῥωμαῖον Ῥωμαίῳ, ἀναδυόμενον δὲ χλευάζειν*, ad
hoc fr. 116—118). Ac Metellus cum in extremum Lusitaniae 116, 17, 1
angulum deflecteret (fr. 119), subito ad Langobriten oppidum, 119
ut celeri impetu opprimeret, profectus ipse quidem ab oppido
repulsus atque Aquinus legatus eius insidiis a Sertorianis cir-
cumventus victusque est (Plut. c. 13 inde ab *ὁρῶν δὲ τοὺς Λαγ-
γοβρίτας κτλ.*, acced. fr. 120 et 121). Quibus Metelli cladibus 120, 121
permotus anno 78 cum L. Manlius Galliae provinciae proconsule
opem ei ferre vellet, Ilerdae ab Hirtuleio superatus est (fr. 122); 122
itaque abhinc Metellus in Baetica se tenuit, provinciam tantum
defensurus (fr. 123). Sed Sertorius omni fere citeriore pro- 123
vincia subacta — etiam Characitanos, feram quandam Celti-
berorum gentem, tum subiecit (Plut. c. 17) — usque ad mare
atque Dianium promonturium progressus est, *ᾧ ἐχρήσατο
Σερτώριος ὁρμητηρίῳ κατὰ θάλατταν* (fr. 124)· *ἐρυμνὸν* 124
*γάρ ἐστι καὶ λῃστρικόν, κάτοπτον δὲ ἐκ πολλοῦ τοῖς προσπλέ-
ουσι, καλεῖται δὲ Διάνιον* (Strabon. hist. fr. 74), et legibus
quoque institutisque gentes Hispanas complexus est*) (Plut.
c. 14). Quibus de causis tanta in eum fide amoreque erant, ut
magnus Hispanorum numerus comitum modo eum circumdaret
omnique e discrimine suo cum periculo eximere studeret, Plut.
c. 14: *ἔθους δ' ὄντος Ἰβηρικοῦ τοὺς περὶ τὸν ἄρχοντα
τεταγμένους συναποθνήσκειν αὐτῷ πεσόντι* (fr. 125) 125
*καὶ τοῦτο τῶν ἐκεῖ βαρβάρων κατάσπεισιν ὀνομαζόντων κτλ.
. . . . λέγεται δὲ πρός τινι πόλει τροπῆς γενομένης καὶ τῶν
πολεμίων ἐπικειμένων τοὺς Ἴβηρας ἀμελήσαντας αὐτῶν τὸν
Σερτώριον σώζειν καὶ τοῖς ὤμοις ἐπαραμένους ἄλλους
πρὸ ἄλλων ἀνακουφίσαι πρὸς τὰ τείχη* (fr. 126), *γενομέ-* 126
*νου δ' ἐν ἀσφαλεῖ τοῦ ἄρχοντος οὕτω τρέπεσθαι πρὸς φυγὴν
ἕκαστον αὐτῶν.*

---

*) Huc incidunt fabellae duae de Sertorio traditae, quas e Sallustio hausisse *Plutarchum c. 16, Frontin. I 10, 1—2, Valer. Max. VII 3, 6* veri simile est.

Fragmenta.

104. Itaque Sertorius levi praesidio relicto in Mauritania nactus obscuram noctem aestu secundo furtim aut celeritate vitare proelium in transgressu conatus est.

App. (I 65 D, 64 K, 85 G, I p. 466 Br.) — Gellius X 26, 2. — Nonius VI (p. 453): 'nactus .... secundo.' ‖ nactus] nanctus *ZB Gellii.* — aut] atque *coni. Corte,* furtivaque *Carrio,* abiit ... conatus (*secluso* est) *coni. Lipsius,* furto aut *L. Müller.*

105. Transgressos omnis recipit mons † Belleia praeceptus a Lusitanis.

App. (I 66 D, 65 K, 86 G, I p. 466 Br.) — Gellius l. l. — Nonius l. l. — Servius ad Aen. I 518: 'transgressos .... Belleia.' ‖ omnis] omnes *CHL Servii, L G Bamb. Nonii.* — recipit] recepit *L H M Servii.* — Belleia] *nomen omiserunt Gellius ac Nonius,* Bell//// *C* (*tribus litteris erasis*), belleia *L,* ballei *H,* taleta *M Servii,* Belleia *igitur Servius habuisse videtur; montem prope Belonem Baeticae oppidum situm, ignotum quidem nobis, a Servio cum Belleia, Tarraconensis provinciae urbe, confusum esse existimo.*

106. Gens raro egressa finis suos.

App. (I 87 D, K, 91 G, I p. 430, II p. 299 Br.) — Arus. p. 469. — Serv. ad Aen. II 713. ‖ gens] *om. Servius.* — *Quod vulgo laudatur testimonium adnotationum ad Lucani V 510 in antiquioribus codicibus deesse videtur; ad librum V nihil Sallustii adnotatum se invenisse scripsit mihi Usener.*

Comm. Quaerentibus quonam consilio haec dicta sint, gens illa, quae rara cum finitimis consuetudine utitur, eam fortasse ob causam ita appellata esse nobis videtur, ut doceretur hac re incultiorem stultioremque ceteris illam fuisse. Quae si ita sunt, de Lusitanis hoc dici bene potuit, ut ostenderetur, quo factum esset, ut Sertorius tam facile eos deciperet. Sed quocumque consilio scripta a Sallustio haec sunt, ex omnibus gentibus primo libro commemoratis rem ipsam ad Lusitanos optime quadrare unusquisque mihi concedet. Is autem fragmento locus assignandus erit, ubi de Lusitanis agere Sallustio data erat occasio.

107. Ac per omnem provinciam magnae atque atro⟨ces famae erant⟩, cum ex suo quisque terrore quinquaginta aut amplius hostium milia, novas immanis ⟨formas e finibus⟩ Oceani ⟨ap⟩puls⟨as⟩, corporibus hominum vesci contenderent.

App. (I 67 D, 66 K, 120 G.) — Schol. Veron. ad Verg. Aen. IV 178 (*Keil p. 93*), *cf. Bücheler annal. philol. t. 93 p. 65 sq.* ‖ ac] *V teste Büchelero,* at *vulgo.* — magnae atque] *sic V teste Keilio,* magnae atrocesque

famae *A. Maius.* — famae erant] ibant *suppl. Keil,* erant *malui.* — cum] qum *V.* — immanis] immanes *V.* — e finibus Oceani appulsas] *conieci,* feras Oceani accitas *Orelli,* formas Oceani accolas *Kritz,* fluctibus Oceani appulsos *Keil,* formas a fluctibus Oceani accitas *Dietsch.*

Comm. De Maurorum auxiliis, quae in exercitu Sertorii fuisse Plutarchus tradidit, his verbis agi recte Kritz constituit.

108. Et mox Fufidius adveniens cum legionibus, postquam tam ⟨al⟩tas ripas, unum haud facilem pugnantibus vadum, cuncta hosti quam suis oportuniora videt.

App. (I 68 D, K, 111 G, I p. 471 Br.) — Nonius III p. 231. — Charis. p. 34 (*cf. add. p. 607*): 'unum .... vadum', *ubi Sallustii exemplum in N excidit, servatum in Cauchii libro.* ‖ mox] vox *L F m. pr.* — Fufidius] stipidius *L F m. pr.* — tam altas ripas] *conieci,* tantas spiras *codd.* (*etiam F*), *quod collato Ennii* 'spiras legionibus nexunt' *defendit L. Müller,* tantas copias *coni. Dietsch, at de ipsis hostibus omnino non sermo est;* tantas asperitates *coni. Iunius,* cautes asperas *Quicherat; in pugna prope flumen facta summi esse momenti praeter vada etiam altitudinem riparum nemo nescit.* — unum] *solus habet C Charisii, om. Nonius, vulgo.*

109*. Ita sperat pugnam illam pro omine bello futuram.

App. (Inc. 61 D, 27 K, IV 59 G, II p. 154 et 499 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. I 456. — Serv. ad Aen. X 311: *inde a* pugnam. e. q. s. ‖ pugnam illam] illam pugnam *vulgo.* — omine] omni *C lib. I, SRHM lib. X,* omine *AL lib. X,* omnibus *F lib. X;* omine *ipse legit Servius,* pro omine omni bello *coni. Dietsch.* — bello] belli *coni. Stephanus.*

Comm. Pugna initio belli cuiusdam gesta significatur, scilicet externi belli, neque enim Lepidani Spartaciive tumultus initio pugnae graviores factae sunt neque utraque seditio belli nomine appellatur. Ex belli Mithridatici rebus ad unam pugnam ad Chalcedonem factam pertinere fragmentum possit; at haec neque Mithridati neque Romanis pro omine esse potuit, quippe qua hi victi sint, ille vero victoriam sine ullo fructu reciperaverit. Reicimur igitur ad bellum Sertorianum; ac Pompeium dictum esse quominus accipiamus, impedimur clade initio statim belli ei ad Lauronem illata; sin de Sertorio hoc fragmento agitur, ad primam eius victoriam de Fufidio reportatam spectare videtur.

110. Et numeri eorum Metellus per litteras gnarus.

App. (I 70 D, K, 122 G, I p. 596 Br.) — Arus. p. 476.

Comm. E litterarum commemoratione colligi potest id ad tempus pertinere fragmentum, quo Metellus nondum in ulteriorem provinciam suam pervenit; itaque de vere anni 79 agitur.

111. Domitium proconsulem ex citeriore Hispania cum omnibus copiis, quas paraverat, arcessivit.

App. (I 69 D, 71 K, 88 G, I p. 509 Br.) — Priscian. X (II p. 534).

Comm. Domitium arcessitum esse a Metello antea putabatur, a Fufidio ad Baetim victo Mommsenum secutus Dietsch contendit. Cum vero Domitius anno 79 certe occisus sit (cf. Prolegom. p. 22) idque primo eius adventu atque in itinere accidisse videatur, sequitur in ulteriorem eum arcessitum esse provinciam anno demum 79, itaque iure editores Metellum subaudiverunt.

112. Illo profectus vicos castellaque incendere et fuga cultorum deserta igni vastare neque late aut securus nimis, metu gentis ad furta belli peridoneae.

App. (I 86 D, K, 97 G, I p. 586 Br.) — Nonius IV p. 310. — Serv. ad Aen. XI 515: 'gens . . . . peridonea.' ‖ late] elate *codd., corr. Gerlach.* — aut securus nimis] aut setustissimus *B,* fetustissimus *Gen. L H G;* securus nimis *corr. L. Müller,* elato aut securo esse animo *coni. Douza,* securus a *Gerlach,* securus ire *Kritz,* aut fretus, simul a metu *Roth,* ne quae intus lateant cautissimus *Mähly,* ire sed cautissimus *Dietsch,* effuse nimis *Madvig; Mülleri emendatio proxime et ad sensum et ad librorum memoriam accedere mihi videtur.* — peridoneae] peridonea *codd. Nonii,* gens . . . peridonea *Servius.*

Comm. Gentem illam Hispanos esse cum e testimonio Frontini acute Wölfflin coniecerit, ducem de quo agitur Metellum esse apparet.

113. Et Diponem validam urbem multos dies restantem pugnando vicit.

App. (I 75 D, 74 K, 109 G, I p. 573 Br.) — Nonius XII p. 526. ‖ vicit] vincit *Kritz.*

Comm. Diponem Lusitaniae urbem inter Augustam Emeritam Eboramque sitam a Sertorio captam tunc esse minime putari potest, etenim omnis Lusitania in potestatem eius sponte se dederat; quare Metellus huius fragmenti subiectum existimandus est.

114*. Lusitaniae gravem civitatem.

App. (Inc. 68 D, 34 K, III 15 G, I p. 472 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. XII 458.

Comm. Quae civitas dicta sit nescimus; Olyssiponem eam fuisse haud absonum videtur.

115*. Iam repente visus lenire Tagus.

App. (Inc. 71 D, 37 K, III 14 G, II p. 342 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. X 103. ‖ iam] iane *F, corr. Daniel.* — lenire] lanire *F, corr. Thilo,* saevire *vulgo.*

Comm. ad 112—115. Quattuor quae hic collocavi fragmenta e belli Sertoriani narratione sumpta esse patet; tria autem posteriora ad expeditiones aliquas spectant in ipsam Lusitaniam susceptas, sicut e Dipones, Lusitaniae, Tagi nominibus discimus. Singulas vero res, quae tum gestae sint, dinoscere fragmentorumque ordinem constituere non iam valemus. Atque id quidem tota huius belli condicione effici videtur, bellasse Metellum in Lusitania initio imperii sui, id est annis 79 vel 78; posteris autem annis in provincia sua se tenuit (cf. Prolegom. p. 23), tum, postquam Pompeius in Hispaniam advenit, in citeriore provincia atque in Celtiberis cum Sertorianis conflixit. Quae si consideraveris, fragmenta haec, quibus de eadem re, scilicet de bello Lusitano, agitur, in unum locum comprehendenda esse mihi concedes. Iam vero fr. 112, quo aggressurus vastaturusque Metellus ostenditur atque invasurus in hostium fines, ad idem pertinere tempus videtur. Postremam rem, quam in Lusitania gessit Metellus, oppugnationem Langobritanam esse e Plutarcho c. 13 sequitur.

116. Sanctus alia et ingenio validus.

App. (I 92 et inc. 113 D, I 94 et inc. 80 K, I 39 G, I p. 270 et 403 Br.) — Charis. p. 194. — Serv. ad Aen. III 594: 'sanctus alia.' ‖ alia] alias *N Charisii et ipse Charisius,* alia *Servius; illa quidem lectio ad Flavium Caprum videtur redire, hanc tuentur imitatores, sicut Heges. V 16, 95:* sanctus cetera *et Velleius II 48:* vir cetera sanctissimus *aliique. — Duo testimonia vulgo duobus pro fragmentis habita primus Gerlach coniunxit.*

Comm. Quoniam ipsa vox *alia* ostendit insecuta esse quaedam, quibus homo ille sanctus vituperatur, bene cadere videtur locus ad Metelli Pii mores adumbrandos, quem cum contra Sertorium bellaret et militaris vitae disciplina et bonum ingenium deficiebat.

117. Solis viis.

App. (I 110 D, 118 K, II p. 132, 198, 482 Br.) — Donat. ad Terent. Phorm. V 7, 86.

Comm. Quoniam Sertorius *πλάνοις δὲ χρώμενος ἀεὶ καὶ κυνηγεσίοις . . . . ἀβάτων τε καὶ βασίμων τόπων ἐμπειρίαν* habuisse hacque scientia in bellando usus esse fertur (Plut. c. 13), etiam haec verba ad Sertorium rettuli, quibus aut vagantem illum desertis his viis describi aut quomodo in insidiis fugave iis usus sit narrari existimo.

118. Neque detrusus aliquotiens terretur.

App. (I 99 D, 101 K, 116 G, II p. 96 Br.) — Priscian. XV (III p. 78).

Comm. Constantiam fortitudinemque illam, quae hoc fragmento exponitur, cum nemine tam bene puto convenire, quam cum Sertorio.

119*. Ille Conisturgim apud legiones venit.

App. (Inc. 70 D, 36 K, 49 G.) — Pompei. comm. p. 273.

Comm. Legiones cum commemoratae sint, *ille* non Sertorius, sed Romanus est imperator; et ad bellum Lusitanum Metelli fragmentum rettuli atque cum fr. 120 et 121 coniunxi, quia Cunorum oppidum prope Langobriten eaque in Lusitaniae parte extrema situm est, ubi bis pugnatum esse veri dissimillimum est. Sed quaenam res Conisturgi actae tum sint, plane nescimus.

120*. Consedit in valle virgulta nemorosaque.

App. (Inc. 42 D, 8 K, 43 G, I p. 514, II p. 553 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. III 516.

Comm. Ad Aquini cladem fragmentum pertinere, quod ceteros fugit editores, iam vidit Debrossius, cf. Plut. c. 13: *προλοχίσας τὴν ὁδὸν ἐπανερχομένῳ τῷ Ἀκυίνῳ τρισχιλίους ἄνδρας ἔκ τινος συσκίου χαράδρας ἐπανίστησιν, αὐτὸς δὲ κατὰ στόμα προσβαλὼν τρέπεται κτλ.*

121. Neque se recipere aut instruere proelio quivere.

App. (I 95 D, 97 K, 103 G, I p. 572 Br.) — Priscian. X (II p. 539).

Comm. De exercitu iter faciente et nondum ad proelium instructo, dein subito oppresso agi elucet. Primo autem libro talem rem memoratam esse nescimus, nisi ad Aquini cladem verba ea referimus.

122. Occupatusque collis editissimus apud Ilerdam et eum multa opera circumdata.

App. (I 72 D, K, 105 G, I p. 511 Br.) — Arus. p. 460. — Priscian. XV (III p. 66/67): ʻapud Ilerdamʼ e. q. s. ‖ apud Ilerdam] *om. N Arusiani.* — et] *om. Priscianus, Gerlach, Kritz, Dietsch.* — opera] multo opere *coni. Dietsch.* — circumdata] circumdat *ex Lindemanno Kritz, Dietsch.*

123*. Probus p. 20: ʻ*Ucurbis*, huius Ucurbis, nomen civitatis lectum in Sallustio.ʼ

App. (Inc. 6 D, I 43 K, I 28 G, I p. 331 Br.)

Comm. Cum post annum 76 Hirtuleio Italicae devicto in ulteriore provincia non iam pugnatum sit, veri videtur simile esse Ucurbis urbis prope Cordubam sitae in Metelli Hirtuleique rebus enarrandis factam esse mentionem. Ceterum nominis formam paulo aliam (*Ucubis*) exhibent codices belli Hispan. c. 7.

124. Illum raptis forum et castra nautica Sertorius mutaverat.

App. (I 77 D, 76 K, III 9 G, I p. 539 Br.) — Pomp. comm. (V p. 163). — Nonius III p. 206: 'illum .... forum.' ‖ raptis] nautis *Nonius*. — mutaverat] commodaverat *coni. Dietsch*.

125*. Serv. ad Georg. IV 218: 'Traxit autem hoc de *Celtiberorum* more, qui, ut in Sallustio legimus, *se regibus devovent et post eos vitam refutant.*'

App. (I 73 D, II 20 K, II 72 G, II p. 181 Br.) ‖ refutant] ut .... refutent *P*.

126. Sertorius portis turbam morantibus et nullo, ut in terrore solet, generis aut imperii discrimine, per calonum corpora ad medium quasi, dein super adstantium manibus in murum attollitur.

App. (I 74 D, 73 K, 115 G, I p. 610 Br.) — Nonius IV p. 282. — Id. XII p. 530. — *Accedit Servii testimonium ad Aen. IX 555:* 'ut etiam Sallustius ostendit, ubi Sertorium umeris sublatum per muros ascendisse commemorat.' ‖ portis] fortis *codd. c. IV*, partis *codd. c. XII, corr. Mercier*. — morantibus] orantibus *codd. c. XII*. — solet] semet *codd. c. XII*. — medium] mediam *codd c. XII*. — quasi] evasit *coni. Mercier*, ad medium evasit murum *transposuit L. Müller*. — dein super adstantium] deinsuper stantium *Nonius c. XII*, supera stantium *coni. L. Müller*.

CAPUT VI.

Res minores annis 78 et 77 gestae, fr. 127—135.

Insunt: Servilii expeditio fr. 127—132, bellum Macedonicum fr. 133—134, alia fr. 135—136.

Enarratio.

P. Servilius*) pro consule a Sulla etiam vivo contra praedones missus quam celerrime Tarento profectus (fr. 127) prae- 127
dones navali victoria non incruenta fugavit atque in Pamphyliam sese recipientes (fr. 128) persecutus est; dein oppida 128
eorum castellaque Olympum (fr. 129, 130), Phaselim, Corycum**) 129, 130
(fr. 131, 132) expugnavit. 131, 132

*) De huius profectione vide fr. 56—57.

**) Eadem Pamphyliae urbs postea Attaleia nominata est, cf. Kiepert, *Alte Geographie* p. 126 et Prolegom. (fasc. I) p. 68.

Appius Claudius, qui ipse quoque etiam a Sulla missus esse videtur, cum primum morbo, dein Lepidi seditione in urbe detineretur*), anno demum 77 in Macedoniam provinciam profectus est ibique contra Maedos ceterasque montium illorum gentes
133,134 in provinciam invadentes circa Lete oppidum (fr. 133 et 134) pugnavit.

Eodem anno 77 Cn. Dolabella repetundarum a C. Caesare accusatus defendentibus C. Cotta atque Q. Hortensio liberatus est.

Iisdem fere annis Q. Metellus Celer bello aliquo versatus est
135 (fr. 135), praeterea res aliqua, quae L. Septimio oratori aut
136 in iudicio aut in contione, accidit refertur (fr. 136).

*) Cf. Prolegom. p. 69.

Fragmenta.

127*. Itaque Servilius aegrotum Tarenti collegam, prior transgressus ....

App. (I 78 D, 77 K, 66 G, I p. 429 et 549 Br.) — Prisc. XV (III p. 64). — *Libri Sallustiani numerum omiserunt Prisciani codices.* ‖ aegrotum collegam] aegroto collega *coni. Douza, sed* reliquit *vel simile quid verbum supplendum erit.*

128*. Fessus in Pamphyliam se receperat.

App. (Inc. 10 D, II 39 K, II 92 G, I p. 654 Br.) — Serv. ad Aen. VIII 232. — Glossar. Vatican. (*ed. A. Maius auct. class. VII p. 651*). ‖ rerum *post* fessus *add. Maius.* — receperat] *Servius, vulgo,* recepit *glossa.*

Comm. Bellum in Pamphylia Pisidiaque gestum quoniam primo iam libro dictum est (cf. Prolegom. p. 68), falso Kritz atque Gerlach secundo in libro fragmentum posuerunt.

129. Ad Olympum atque Phaselida.

App. (I 79 D, K, 124 G, I p. 551 Br.) — Prisc. XV (III p. 66).

130*. Lyciae Pisidiaeque agros despectantem.

App. (II 32 D, 40 K, 93 G, I p. 552 Br.) — Serv. ad Aen. I 420.

Comm. Taurum montem intellexerunt Kritz ac Dietsch; contra rectam iniisse interpretationem iam Debrossium, cum ad Olympum montem verba pertinere coniceret, efficitur e Strabonis fr. 96 (XIV p. 671): *ὁ Ὄλυμπος ... ὄρος τε καὶ φρούριον ὁμώνυμον, ἀφ' οὗ κατοπτεύεται πᾶσα Λυκία καὶ Παμφυλία καὶ Πισιδία καὶ Μιλυάς.*

131. Ad Corycum.

App. (I 57 G ed. maior. (1823), I p. 537 Br.) — Priscian. XV (III p. 66).

Comm. Duo oppida Coryci nomine indita esse obliti editores inde a Kritzio haec verba in iis, quae Nonius e libro secundo laudat (fr. II 81), contineri rati sunt; discernenda vero esse Ciliciae oppidum croco celeberrimum et Pamphyliae, cuius postea Attaleia nomen fuisse fertur, iam Proleg. (fasc. I) p. 68 exposui.

132. Apud Corycum.

App. (*Deest inde a Gerlachio.*) — Prisc. l. ad fr. 131 l.

133. Apud Lete oppidum.

App. (I 81 D, K, 113 G, II p. 185 Br.) — Prisc. l. l.

134. Repulsus a Lete oppido.

App. (I 82 D, K, 114 G, II p. 186 Br.) — Priscian. l. l.

135. Iussu Metelli Celeris cornicines occanuere tubis.

App. (I 71 D, 69 K, 99 G, I p. 595 Br.) — Priscian. X (II p. 529). — Diomed. p. 374. — Glossar. Vatic. (*ed. A Mai. auct. classic. VIII p. 86*). — Serv. ad Georg. II 384: 'cornua occanuerunt.' ‖ Celeris] *om. Priscianus, Diomedes, vulgo.* — tubis] *om. iidem, utrumque solus servavit glossator.* — cornicines] *Priscianus, Diomedes, glossa,* cornua *Servii codd., ad eundem autem locum eum spectare e simili argumento consequi videtur, scilicet ex eodem illi grammatico hausisse putandi sunt.* — occanuere] occanere *codd. Diomedis.*

Comm. Ad bellum Hispaniense a Metello Pio gestum non referendum esse hunc locum verbis e glossis nunc erutis edocti sumus. Atque Q. Metellus Celer anno 81 Lepidum accusavit (schol. Ps. Ascon. in Verr. II 8 p. 206 Or.), Pompeii fuit legatus bello maritimo, praetura functus est anno 63. Qui cum in bello versari callidoque aliquo strategemate uti describatur, veri videtur simile esse eum quaestorem vel pro quaestore anno 78 contra gentem quandam a senatu missum esse; neque vero credi potest hoc factum esse in maiore quodam bello, velut civili, Sertoriano Lepidanove; potius de bello Macedonico, de quo nihil fere scimus, fortasse de rebus in Asia provincia gestis cogitandum est.

136. Sic vero quasi formidine attonitus neque animo neque auribus aut lingua satis competere.

App. (I 88 et inc. 34 D, I 88 K, I 63 G, I p. 358 et 496 Br.) — Nonius IV p. 276. — Donatus ad Terent. Adelph. III 2, 12: Sallustius 'neque' e. q. s. cum de amente Septimio loqueretur. ‖ auribus] *om. O,* auribus aut *om.*

vulgo in Donato. — satis] *om Nonius.* — competere] *Nonius, O Donati,* compotem *vulgo in Donato, cf. Tac. hist. III 73.*

Comm. E verbis *sic vero* elici potest hominem, qui adeo attonitus fuisse dicitur, tamen alias animi linguaeque sane compotem fuisse. Quod cum ad oratorem praecipue quadrare videatur, Kritzium sequi iubeo, qui L. Septimium dictum esse intellexit, eundem, de quo Cicero pro Vareno fr. 10 ait: 'etenim est ad L. Crassi eloquentiam gravis et vehemens et volubilis'; neque vero opus est nobis neque omnino licet, id quod Kritz voluit, Ciceronis illud de Septimio iudicium quasi per *εἰρωνείαν* dictum accipere. Itaque suspicor in lite aliqua (vel forsitan in contione) L. Septimium illum partes egisse, tum vero accidisse rem aliquam, qua magnopere ille subito turbatus est.

Fragmenta sedis sententiaeque incertae 137—153.

Incertis assignari quodammodo possunt, quae modo posui fragmenta 135 et 136; ea quae mox succedunt secundum res, de quibus dicta esse videntur, distribui.

Sunt autem: *de rebus urbanis* fr. 137;

de rebus in proeliis gestis fr. 138—40;

de rebus quae *in obsidionibus* accidisse videntur fr. 141—144;

ad *universam rei bellicae rationem* spectant fr. 145—148;

postremo restant *minora fragmenta atque perobscura* 149—153.

137. Ea paucis, quibus peritia et verum ingenium est, abnuentibus.

App. (I 111 D, 102 K, 79 G, I p. 381 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. XII 694. ‖ est] esset *coni. Kritz,* erat *Dietsch.*

Comm. Verba haec aut ex oratiuncula aliqua sumpta esse aut — quod mihi quidem praestare videtur — ipsius scriptoris sententiam exhibere voce *est* demonstratur, quam tollere coniecturis nihil est quo cogamur.

138. Obviam ire et commori hostibus.

App. (I 89 D, 91 K, 123 G, II p. 428 Br.) — Arus. p. 462.

139. Equi sine rectoribus exterriti aut saucii consternantur....

App. (I 96 D, 98 K, 104 G, I p. 572 Br.) — Prisc. VIII (II p. 436).

140. Locum editiorem, quam victoribus decebat, capit.

App. (I 98 D, 100 K, 110 G, I p. 424 Br.) — Arus. p. 465. — Serv. ad Aen. VIII 127: *usque ad* 'decebat'.

141. Et stationes sub vineas removebat.

App. (I 83 D, K, 95 G.) — Arus. p. 509.

Comm. Is qui stationes removisse fertur, utrum oppidanus sit, eruptione facta obsidentium stationes repellens, id quod voluit Dietsch, an hostis idem sit, qui nescio qua causa suas ipse stationes paululum reducit, incertum esse malim.

142. At inde nulla munitionis aut requie mora processit ad oppidum.

App. (I 97 D, 99 K, 106 G, I p. 513 Br.) — Priscian. VII (II p. 367). ‖ munitionis] monitionis *DGL*.

143. Cum murum hostium successisset, poenas dederat.

App. (I 102 D, 105 K, inc. 39 G, II p. 96 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Bucol. V 5. — Id. ad Aen. VIII 125. — Arus. p. 507: *usque ad* 'successisset'.

144. Nexuit catenae modo.

App. (I 21 D, 23 K, 101 G, II p. 78 et 140 alibique Br.) — Priscian. X (II p. 536). ‖ modo] nodo *B*.

Comm. Kritzio collato Appiano b. c. I 67 veri visum est simile de Mario haec dicta esse, qui cum anno 78 a. Chr. n. ex Africa reversus cum Cinna, Carbone, Sertorio Romam obsideret, navigiis catenae modo nexis Tiberim clausit, ut commeatu urbem intercluderet. At duo id faciunt apud Appianum vel quattuor illi homines, cum fragmenti nostri unus vir subiectum sit neque quid simile sit et pontis navalis et catenae neque quomodo naves *necti* possint intelligo. Itaque ad incerta fragmenta hoc relegavi; ceterum potius ad impedimentorum insidiarumve genus, quarum in obsidionibus usus est, vel ad munitionis alicuius rationem quandam spectare fragmentum existimo.

145. Nisi cum ira belli desenuisset.

App. (I 93 D, 95 K, 64 G, I p. 500 Br.) — Priscian. X (II p. 512).

146. Militiae periti.

App. (I 104 D, 110 K, 98 G, I p. 276 et 286 Br.) — Arus. p. 498.

Comm. Quoniam nominativusne pluralis numeri an genetivus singularis sit vox *periti* nescimus, ne id quidem constituere valemus, utrum dux aliquis an universi exercitus milites dicti sint. Hoc si cui probabilius esse videbitur, ad Sullanos veteranos verba fortasse referet, qui exercitui a Lepido tumultuose congregato cum laude opponuntur.

147. Doctus militiam.

App. (I 105 D, 111 K, 102 G, II p. 51 Br.) — Arus. p. 464.

148. Egregius militiae.

App. (I 106 D, 112 K, 90 G.) — Arus. p. 470.

149. Diei medio.

App. (II 77 D, 102 K, 51 G, I p. 570 et 578 Br.) — Arus. p. 493. — Sal. hist. I *habet N,* lib. II *vulgo ex codice Gudiano.*

150. Animi immodicus.

App. (I 114 D, 113 K, 92 G.) — Arus. p. 484.

151. Agreste.

App. (I 116 D, 119 K, 107 G, II p. 281 et p. 424 Br.) — Charis. p. 120: 'Agreste, Sallustius hist. I, quod idem Plinius eodem libro „in animali, inquit, significatione".'

Comm. E Plinii interpretatione cum eluceat de animali aliquo egisse Sallustium, e terrae cuiusdam descriptione, in qua etiam animalium memorandorum occasio scriptori data esset, locum sumptum esse putaverim.

152. Quos inter maxime.

App. (I 113 D, 108 K, 118 G, I p. 513 Br.) — Charis. p. 236.

153. Eutych. (V. p. 483): 'Et defectivum quaeso, quaesis, cuius infinitivum *quaesere* Salustius in primo posuit historiarum libro.' — Phocas p. 436: 'licet *quaesere* lectum sit apud Sallustium et Tullium.'

LIBER II.

ARGUMENTUM.

Secundo historiarum libro annos 76 et 75 a. Chr. n. annique 74 principium Sallustius complexus est, praeterea eodem continebantur illae anni 77 res, quae primo libro nondum narratae erant. Atque quaenam res sub finem huius libri dictae fuerint, optime nuper certiores facti sumus reperto Aurelianensi historiarum fragmento, quippe quo de belli Isaurici exitu, de rerum Hispanarum autumno a. 75 condicione, de Pompeii epistula ad senatum scripta agatur. — Res autem Sertorianae, quae omnium, quae hoc libro referuntur, gravissimae sunt, non uno eodemque conexu omnes coniunctae, sed secundum annos distributae esse videntur: quin ex ipso Aurelianensi fragmento intelligimus nė eiusdem quidem anni 75 res Hispanienses in unum compositas fuisse, sed seorsum narrata esse et proelia vere atque aestate facta et ea, quae autumno gesta sunt. Contra res minores non per annos divisas, sed singulas unoquoque in libro coniunctas a Sallustio esse cur putandum sit, supra in praefatione iam exposui. Itaque in ea huius libri parte, cuius reliquiae servatae sunt, non solum finem, sed totum bellum Isauricum annis 77—75 gestum relatum esse existimo. Ceterum bellum Macedonicum primum ab Appio, deinde a Curione gestum bipertito in secundo historiarum libro memoratum esse sequitur e fragm. 80 initio '*eodem anno in Macedonia C. Curio*', cuius rei causam fuisse putaverim, quod a duobus imperatoribus his annis bellum administrabatur: scilicet non unum, sed duo fuerunt quasi diversa bella. Praeterea Nicomedis mortem bellicosque apparatus a Romanis ac Mithridate factos hoc libro contineri constat; at iniuria accidisse reor, quod Kritz et

Dietsch etiam ipsius belli a Cotta Luculloque aestate 74 gesti narrationem huic libro assignaverunt; etenim inde, quod postremis fragmenti Aurelianensis columnis Antonii maritima expeditio commemoratur, de qua Sallustium in tertio libro locutum esse e reliquis sequitur fragmentis, iure Hauler effecit tertii libri initium haud longe ab illis columnis, in quibus epistula Pompeiana inest, afuisse; itaque consules anni 74 etiamsi sub finem libri secundi nominati sunt, ceteras anni 74 res tertio in libro descriptas esse certissimum est. Quem priorum editorum errorem etiam nunc, quod sane mireris, P. Jürges l. l. p. 44 sq. sequitur fragmentis quibusdam perperam huc adhibitis: qui quamquam bellum Mithridaticum coepisse anno 73 strenue affirmat, tamen idem non dubitat secundo id libro attribuere!

Itaque hice erit narrationis ordo: *Primo capite* eas nimirum res complector, quae etiam anno 77 evenerunt: bellum in Sardinia a Lepido incohatum, mortem Lepidi, Perpernae in Hispaniam transitum, imperium belli Sertoriani Pompeio datum iterque eius in Hispaniam per Gallias factum. Mox *secundo capite* res anno 76 gestae insecuntur; ex his praecedit sane consulum rerumque urbanarum mentio; quibus subsecutum esse videtur bellum Sertorianum, namque haud ineleganter a terrae motu in Italia facto ad eundem, qualis in Hispania fuerit, transiri potuit; restant bella Macedonicum ac Dalmatinum. Dein *tertio capite* ex omnibus rebus anno 75 gestis primum narratas esse seditiones urbanas ex Aureliansi fragmento edocti sumus. Tum *quarto in capite* ea collocavi, quae hoc anno summi imperio Romano erant momenti, scilicet gesta belli Sertoriani. Iam relinquuntur ex anno 75 bellum Curionis Dardanicum, belli Mithridatici exordia, bellum Isauricum, denique res in Hispania inter Sertorium Pompeiumque gestae: et haec *quinto sextoque capite* congessi. Sed finis huius libri quomodo dispositus fuerit, accuratius definiri poterit, si codicis Sallustiani quaternionem e reliquiis Aurelianensibus restituere tentabimus; iure enim Hauler*) folia duo, quibus columnae insunt editionis Haulerianae 7—10 et 17—18, quarum illis bellum Isauricum,

*) *Sitzungsber. d. Wien. Akad. phil. hist. Cl.* 1886 p. 618.

his Antonii expeditio narratur, externum quaternionis*) par fuisse affirmavit. Sic igitur res in quaternione illo dispositae esse videntur:

fol. I. *(col. 7—10 ed H., fr. II 87):* belli Isaurici finis.
fol. II. *deest:* inerat Isaurorum subiectio, tum transitur ad bellum Sertorianum.
fol. III. *(col. 11—12, fr. II 92—93):* res quaedam bello Sertoriano gestae.
fol. IV. } *desunt:* res Hispanae narrari perguntur, incipit
fol. V. } epistula Pompeii.
fol. VI. *(col. 13—16, fr. II 98):* epistulae Pompeianae pars altera.
fol. VII. *deest:* inerat tertii libri initium, Antonius in praedones proficisci narratur.
fol. VIII. *(col. 17—18, fr. III 5—6):* res ab Antonio gestae.

CAPUT I.

De Lepidi exitu imperioque Cn. Pompeii, fr. 1—22.

Inest de situ Sardiniae Corsicaeque excursus fr. 1—11.

Enarratio.**)

Antequam ad bellum a Lepido contra Triarium in Sardinia susceptum enarrandum accessit Sallustius, de Sardinia insula copiosius agit (fr. 1). 1

---

*) Neque vero ille quem dedi ordo mutabitur, si quis quinionem eum fuisse putabit, scilicet pro foliis secundo ac septimo bina inserenda erunt.

**) Sallustium in Sardiniae Corsicaeque descriptione Timaeo usum esse collato Pausania X 17 evicit Müllenhoff, *Deutsche Altertumskunde I* (*ed. sec.*) p. 455, qui idem acutissime docuit Sallustii narrationem restituturis praesto nobis esse Silium Italicum XII 355—375, Solinum IV 1—7, Isidorum orig. XIV 6, 39—42. Ichnusae autem nomen quod Sallustium rettulisse scimus, apud Plinium III 84 a Myrsilo oriundum esse dicitur, dein colonorum ordinem Solinus (i. e. Sallustius) alium habet atque Pausanias, quare haud abnuendum esse puto, Sallustium — duobus quidem his de rebus — praeter Timaeum etiam alios auctores, velut Myrsilum, adhibuisse. Minime vero opus est, quod Müllenhoff putabat, Myrsili nomen Plinii errori tribuere.

'Haec *in Africo mari* (Isid. orig. XIV 6, 39) *facie vestigii humani in orientem quam in*
2 *occidentem latior prominet* (fr. 2), ferme *paribus lateribus*, quae in meridiem et septentrionem vertunt, ex quo .... *a navigantibus Graecorum Ichnusa appel-*
3 *lata est* (fr. 3). — *Sardus Hercule procreatus* cum magna multitudine *a Libya profectus* Sardiniam occupavit *et ex suo vocabulo insulae nomen dedit.*'

Mela II 123: 'Sardinia *Africam pelagus attingens* nisi quod *in occidentem quam in orientem angustius spectat, par et quadrata* undique.'

Sil. Ital. XII 358:
'Inde *Ichnusa prius Grais memorata colonis;*
Mox Libyci *Sardus generoso sanguine fidens*
Herculis ex sese mutavit nomina terrae.'

Post Sardum Norax advenisse dicitur, Solin. IV 1: 'Sardus Hercule, Norax Mercurio procreati (cf. Pausan.: *παῖδα δὲ*
4 *Ἐρυθείας τε τῆς Γερυόνου* (fr. 4) *καὶ Ἑρμοῦ λέγουσιν εἶναι τὸν Νώρακα*) cum alter a Libya, *alter ab usque Tartesso Hi-*
5 *spaniae* (fr. 5) in hosce fines permeavissent, a Sardo terrae, a Norace Norae oppido nomen datum.'

Sil. XII 365: 'Fama est cum laceris Actaeon flebile membris
Supplicium lueret spectatae in fonte Dianae,
Attonitum novitate mali fugisse parentem
Per freta Aristaeum et Sardoos isse recessus;
6 *Cyrenen monstrasse* ferunt nova litora *matrem.*' (fr. 6).

7 Et Daedalum Aristaeus secum habuisse fertur (fr. 7). 'Mox Aristaeum (Solin. IV 2) regnando his proximum in urbe Caralis quam condiderat ipse coniuncto populo utriusque sanguinis, seiuges usque ad se gentes ad unum morem coniugasse, imperium *ex insolentia nihil aspernatas.*'

'Adfluxere etiam (Sil. XII 361) et sedes posuere coactas
8, 9 *Dispersi pelago post eruta Pergama Teucri* (fr. 8, 9)
Nec parvum decus advecto cum classe paterna
Agmine Thespiadum terris, Ioläe, dedisti.'

'Qui (Solin. I 61) Sardiniam ingressus palantes incolarum animos ad concordiam eblanditus Olbiam atque alia Graeca oppida extruxit.'

Isid. l. l.: 'Terra patet in longitudine milia CXL, latitudine XL.

In ea neque serpens gignitur, neque lupus, *sed solifuga tantum animal exiguum* hominibus perniciosum.'

Cf. Silium v. 370: '*Serpentum tellus pura* ac viduata venenis.'

Solin. IV 3: '*Sardinia est quidem absque serpentibus,* sed quod aliis locis serpens, hoc *solifuga Sardis agris, animal perexiguum* aranei forma, solifuga dicta, quod diem fugiat. In metallis argentariis plurima est, nam solum illud argenti dives est; occultim reptat et *per imprudentiam supersedentibus pestem facit.* Huic incommodo accedit et *herba Sardonia,* quae in defluviis fontaneis provenit iusto largius; ea si edulio fuerit nescientibus, *nervos contrahit,* diducit rictu ora, ut qui mortem oppetunt *intereant facie ridentium.*'

Isid. l. l.: 'Venenum quoque ibi non nascitur nisi *herba* per scriptores plurimos et poetas memorata, *apiastro similis, quae hominibus rictus contrahit et quasi ridentes interimit* (fr. 10).

Silius v. 371:

'Sed tristis caelo et multa vitiata palude.
Qua videt Italiam, saxoso torrida dorso
Exercet scopulis late freta, pallidaque intus
Arva coquit nimium, cancro fumantibus austris;
Cetera propensae Cereris nutrita favore.'

Mela II 123: '*ceterum fertilis et soli quam caeli melioris atque ut fecunda* ita paene pestilens.'

Deinde Corsica (Isid. l. l. 42) 'insula Graece Cyrne dicitur, a Cyrne Herculis filio habitata. — — — Corsicae insulae *exordium incolae Ligures dederunt* appellantes eam ex nomine ducis. Nam quaedam *Corsa nomine Ligur mulier, cum taurum ex grege, quem prope litora regebat* (fr. 11) transnatare solitum

Solin. III 3: 'ut *exordium incolis Ligures dederint.*'

atque *per intervalla* corpore aucto remeare videret, cupiens scire *incognita sibi pabula* taurum *a ceteris digredientem* usque ad insulam navigio prosecuta est. *Cuius regressu* insulae fertilitatem cognoscentes Ligures ratibus ibi profecti sunt eamque nomine mulieris auctoris et ducis appellaverunt.'

Solin. III 3: '. . . ut oppida extructa sint, ut colonias ibi deduxerint Marius et Sulla, ut *ipsam Ligustici sinus aequor adluat.*'

Isid. l. l.: 'Dividitur autem a Sardinia XX milium freto, *cincta Ligustici aequoris sinu* ad prospectum Italiae.'

Sed Lepidus in Sardinia (Exup. p. 4) 'cum Triario pro-
praetore variis proeliis gravibusque conflixit; nam ⟨is⟩ soller-
tissime tutando provinciam effecit, ut Lepidi consilia vana fo-
rent; undique enim prohibitus et munitionibus a civitatium
12 expugnatione depulsus (fr. 12) nequivit cogitata perficere ac
dum multa parat, morbo gravi oppressus et mortuus est. Cuius
socius et administer Perperna . . . . ex Sardinia in Hispaniam
transvectus est ac se Sertorio sociavit, qui tum Romanis armis
quassabat imperium.' Et simul undique ad Sertorium conflu-
13,14 xerunt exules proscriptique Marianarum partium (fr. 13, 14).

Quae cum agerentur, Romae pulso ex Italia Lepido, comi-
tiis habitis, restituto qui Sulla vivo fuerat rei publicae statu,
cum Metellum minus idoneum esse, qui solus adversus Serto-
15 rium bellaret, putarent (fr. 15), Pompeius ad bellum Sertoria-
num proconsulari imperio cum exercitu missus est. Qua occa-
16,17 sione Sallustius de natura ingenioque Pompeii (fr. 16, 17) ac
18,19 de virtute eius bellica (fr. 18, 19) disseruit, dein res ab eo
gestas, imprimis vero ea, quae in Africa contra Domitium atque
20,21 in Numidia egerat (fr. 20, 21), exposuit. Sed mox Pompeius
quadraginta diebus exercitu comparato per Alpes nova via
Romanis patefacta gentibusque, quae obstiterunt, repulsis in
22 Narbonensi provincia hiemem egit (fr. 22).

Fragmenta.

1*. Cum praedixero positum insulae.

App. (II 1 D, K, 8 G, II p. 351 Br.) — Donat. ad Terent. Phorm. I 2, 47.

Comm. Verba Gerlachio auctore ad Sardiniae insulae descriptionem relata spectarentne potius ad Cretam insulam dubitavit

Dietsch. Equidem cum ex ipsis his verbis consequi videatur successisse iis narrationem copiosiorem rerum quarumvis in insula illa gestarum, quia in Creta a M. Antonio nihil fere, quod memoria dignum sit, factum esse constat, praeferendam esse vulgatam Gerlachii opinionem existimo.

2. Sardinia in Africo mari facie vestigii humani in orientem quam in occidentem latior prominet.

App. (II 2 D, K, G, I p. 474 Br.) — Gellius XIII 13, 5. — Nonius I p. 53. — Glossar. Vatic. (*ed. A. Maius auct. class. VII p. 575*): 'in orientem' e. q. s. ‖ in orientem] in occidentem quam in orientem *Nonius.* — prominet] *om. Nonius.*

3*. Solinus IV 1: 'Sardinia quoque, quam apud Timaeum Sandaliotin legimus, *Ichnusam* apud Crispum, in quo mari sita sit, quos incolarum auctores habeat, satis celebre est.'

App. (II 2 D, 3 K, I p. 474 Br.)

4*. Geryonis.

App. (Inc. 122 D, II 9 K, G, I p. 479 Br.) — Serv. ad Aen. VII 662.

Comm. Geryonen in historiis Sallustii commemorari non posse, nisi eo loco, ubi de Noracis parentibus agebatur, excepto Dietschio consentiunt viri docti.

5. Ut alii tradiderunt Tartessum, Hispaniae civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gaddir habent.

App. (II 26 D, 32 K, 29 G, I p. 363 et 446 Br.) — Prisc. V (II p. 54). — Id. VI (II p. 234). — Donat. ad Terent. Eun. III 1, 11. — in primo historiarum *G L K Prisciani libro sexto,* in II historiarum *rell.* ‖ nunc Tyrii] tirii nunc *O Donati.* — Gaddir] *Priscianus,* garidum *O Donati, qui* gaddirum *legisse videtur.*

Comm. Verba non in bello Hispaniensi narrando lecta esse, quod putarunt editores, vel ex vocibus *Hispaniae civitatem* efficitur, quae ineptissimae nimirum fuissent, si omnino hoc loco de rebus per Hispaniae civitates factis ageretur. Sed Tartessi mentio et fieri potuit et Solino teste re vera apud Sallustium facta est, cum Geryones eiusque nepos Norax commemorabantur. Quare huc referendum esse fragmentum iudico.

6*. Apollinis filius et Cyrenes.

Adde Serv. ad Georg. I 14: '(Aristaeum) .... *Apollinis et Cyrenes filium;* hic, ut etiam Sallustius docet, post laniatum a canibus Actaeonem filium *matris instinctu* Thebas reliquit

et Ceam insulam tenuit primo, *adhuc hominibus vacuam;* postea ea relicta cum Daedalo ad Sardiniam *transitum fecit.*

App. (II 4—5 D, 7—8 K, II 7, 12, 13 G, I p. 477 Br.) — Probus p. 7. — *Cf. praeterea* schol. Bern. ad Georg. IV 283: 'Aristaeus, filius Apollinis et Cyrenes nymphes.' — Serv. ad Aen. VI 4: '*Daedalus* vero *primo Sardiniam,* ut dicit Sallustius' etc. — *Quae inclinatis dedi litteris etiam sermonis Sallustiani sunt.*

7. Daedalum ex Sicilia profectum, quo Minonis iram atque opes fugerat.

App. (II 3 D, 5 K, 14 G, I p. 478 Br.) — Prisc. VI (II p. 255). fugerat *ante* iram *posuit D, post* iram *H, ante* opes *L K.*

8*. Serv. ad Aen. I 601: 'multi enim post excidium Troiae urbis diversa tenuerunt . . . . alii Sardiniam secundum Sallustium.

App. (II 6 D, 11 K, G, I p. 480 Br.) — Cf. *praeterea* Serv. ad Aen. I 242: 'cum multi evaserint Troianorum periculum, . . . ut alii, qui Sardiniam secundum Sallustium.'

9*. Serv. ad Aen. I 299: 'Illo enim tempore invadendarum terrarum causa fuerat navigatio, ut Sallustius meminit, facili tum mutatione sedum.'

App. (II 6 adn. D, 10 K, G, I p. 475 Br.)

10*. Serv. ad Bucol. VII 41: 'in Sardinia enim nascitur quaedam *herba*, ut Sallustius dicit, *apiastri similis.* Haec *comesa ora hominum rictus dolore contrahit et quasi ridentis interimit.*'

App. (II 2 D, 2 adn. K, II 4 G, I p. 492 Br.)

11. Sed ipsi ferunt taurum ex grege, quem prope litora regebat Corsa nomine Ligus mulier.

App. (II 8 D, 13 K, 15 G, I p. 492 Br.)

12*. Tarrhos.

App. (II 7 D, 12 K, inc. 20 G, I p. 497 Br.) — Probus p. 22: '-hos non inveni, nisi unum barbarum numero semper plurali, T. nomen civitatis lectum in Sallustio.' — Id. p. 27. — Sacerdos (VI p. 478). — *Nomen oppidi cum Tarrhi esset, Probi error inde derivandus est, quod ille accusativum in Sallustio invenit.*

Comm. Tarrhi Sardiniae oppidum commemoratum procul dubio est, cum res a Lepido Triarioque gestae enarrarentur; neque enim in Sardiniae insulae descriptione, quam quidem Sallustius exhibuit, Tarrhorum locus est, quod falso Kritz existimasse videtur.

13. Nam procul et diversis ex regionibus.

App. (II 82 D, 80 K, 31 G, I p. 597, II p. 274 Br.) — Charis. p. 215.

Comm. Populares qui reliqui erant omnes, nisi qui veniam a senatu sibi concessam acceperant, ad Sertorium confugisse magnumque fuisse in exercitu eius proscriptorum et exulum numerum scimus. Quare his verbis exules illos dictos esse putaverim, quibuscum illud quoque bene convenit, quod diversissimas per regiones dissipati esse dicuntur. Hanc vero rem ibi relatam esse veri simile est, ubi etiam de Perpernae in Hispaniam transitu Sallustius loqueretur.

14. Orbe terrarum extorres.

App. (II 94 D, 97 K, 26 G, I p. 399 Br.) — Arus. p. 472.

Comm. Optime sic appellari potuerunt proscripti populares; namque cum totus terrarum orbis Romanorum esset, ii, quibus hoc imperio ac iure civis Romani interdictum est, re vera toto orbe extorres dicuntur; et hanc quidem interpretationis viam recte iam praeivit Kritz.

15. Ad hoc rumoribus adversa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando corrumpebant.

App. (II 30 D, 36 K, 66 G, II p. 179 Br.) — Nonius IV p. 385. ‖ casum] casu *B Gen.* — fortunam] fortuita *coni. L. Müller.*

Comm. Fragmentum Debrossio auctore ad calumnias in Sertorium a coniuratis dispersas ab editoribus refertur, quod falsum esse iudicabit, quisquis reputaverit in tertio libro rem illam traditam esse. Sed de imperatore aliquo his verbis agi cum appareat, Metellum hunc esse ego equidem coniecerim, de quo cum Romae minus bene iudicatum sit, alter belli dux Pompeius missus est; accedit quod cum Sallustiana de eodem Metello opinione, quam quidem Plutarchus exhibet, bene haec verba convenire videntur.

16*. Sueton. de gramm. c. 15: 'ut Lenaeus .... Sallustium historicum, quod eum (scil. Pompeium) *oris probi, animo inverecundo* scripsisset, acerbissima satira laceraverit.'

App. (Inc. 75 D, 41 K, II 21 G, II p. 582 Br.) — *Praeterea cf.* Sacerdot. (VI p. 461): 'illud de Pompeio, qui coloris erat rubei, sed *animi inverecundi*', Plin. VII 53: 'Magno Pompeio Vibius quidam .... et Publicius fuere similes illud *os probum* reddentes', id. XXXVII 14: 'erat et imago Cn. Pompeii e margaritis .... *illius probi oris* venerandique per cunctas gentes'. ‖ probi] *V L O,* improbi *N G O Kritz, sed illud legerat Plinius.*

17. Modestus ad alia omnia, nisi ad dominationem.

App. (II 86 D, 85 K, 20 G, I p. 586, II p. 578 Br.) — Donat. ad Terent. Phorm. I 3, 18. || alia omnia] *O*, omnia alia *vulgo* — nisi ad] ad *vulgo omissum, quod addiderat e coni Dietsch, legitur in O.*

Comm. Kritzium ita Cn. Pompeium appellari potuisse vehementer negantem iure refellit Dietsch.

18. Belli sane sciens.

App. (II 71 D, 91 K, 36 G, I p. 503 et 571 Br.) — Arus. p. 509. — Schol. Horat. (*in comm. Cruquiano*) ad epist I 15, 5. || sane] bellica nesciens *N Arusiani, corr. Lindemann,* bellicae rei sciens *coni. Ruhnken.*

Comm. Pompeium a Sallustio bellicae artis scientem habitum esse eo quod sequitur fragmento efficitur; quare ad hunc spectare verba conieci.

19*. Cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat.

App. (II 11 D, 17 K, 57 G, I p. 586 Br.) — Veget. de re mil. I 9: 'de exercitio Cn. Pompeii Magni Salustius hoc memorat' e. q. s. || vecte] fasce *coni. Dietsch, sed cf. Veget. III 4.*

20. Quem ex Mauritania rex Leptasta proditionis insimulatum cum custodibus miserat.

App. (II 25 D, 31 K, 30 G, I p. 463 Br.) — Prisc. V (II p. 143).

Comm. Fragmento perdifficili rem quamlibet a Sertorio gestam commemorari omnes iudicarunt editores. At neque de bello, quod contra Ascalim ille gessit, cogitari potest, cum illud primo iam libro narratum sit, neque umquam, quoad scimus, cum Mauretanis postea Sertorius egit. Quare abiecto Sertorio illuc fragmentum incidere existimo, ubi Mauretaniae mentio libro secundo fieri potuit, scilicet cum de bello a Pompeio in Numidia gesto agebatur. Etenim res in Africa tum factas in Pompeii vita describenda imprimis relatas esse et e fragmento insequenti et e Plutarcho conici licet. Accedit quod de simillima quadam re certiores facti sumus; namque Hiarbas Pompeio a Bogude Mauretano traditus est. Quis vero a Leptasta ad Pompeium missus sit et quae consuetudo omnino tum Romanis Maurisque fuerit sane nescimus.

21. Nam Sullam consulem de reditu eius legem ferentem ex composito tribunus plebis C. Herennius prohibuerat.

App. (II 12 D, 62 K, 22 G, I p. 334 Br.) — Gellius X 20, 10.

Comm. Quamnam ad rem his verbis alludatur optime refutatis aliorum Kritziique erroribus explicuit Dietsch. Pompeium

igitur cum exercitu Romam redire volentem Sulla cum metueret, palam quidem lege de reditu eius lata adiuvare visus est, sed clam per Herennium tribunum, ne ad triumphum reverteretur, prohibuit. Postea vero exercitu Pompeiano hanc rem aegre ferente vehementerque tumultuante ipse reditum triumphumque Pompeio concessit.

22*. Narbone per concilium Gallorum.

App. (Inc. 11 D, II 16 K, 19 G, I p. 522 Br.) — Cledon. p. 22.

Comm. Pompeii in Hispaniam iter per Galliam factum his verbis commemorari, concilium autem Gallorum a Pompeio tum habitum esse inde a Debrossio inter viros doctos consentitur; et ad id quidem tempus spectare fragmentum putaverim, quo victis Gallis in provincia hiemem Pompeius degit et convocandorum gentium illarum principum sane locus occasioque saepius ei aderat.

CAPUT II.

Res domi militiaeque anno 76 gestae, fr. 23—41.

Enarratio.

Anno 76 consules facti sunt Cn. Octavius C. Scribonius
Curio. Quo anno L. Sicinius tribunus plebis*), homo et semper
ad rixam promptissimus (fr. 23) et tum *πλεῖστα πράγματα* 23
παρασχὼν τοῖς καθ' αὐτὸν ἄρχουσι καὶ δημαγωγοῖς (Plut.
Crass. c. 7), restituendae tribuniciae potestatis conatum denuo
subiit (fr. 24) et vehementissime in consules invectus est; 24
'Curioque (Val. Max. IX 14, 5) omnibus honoribus abundans,
Burbuleii .... propter *parem corporis motum* .... *scenici nomen*
coactus est recipere' (fr. 25), similiterque Octavius ab eodem 25
irrisus est (fr. 26). Attamen Curio, ut conatus eius opprimeret 26
(fr. 27), 'ad exitium usque insontis tribuni dominatus est' (or. 27
Lic. Macri 10). — 'Praeterea (Ascon. ad Cic. in tog. cand. p. 84 Or.) Graeci qui spoliati erant eduxerunt Antonium in ius ad M. Lucullum praetorem, qui ius inter peregrinos dicebat.**) Egit pro Graecis ⟨C. Caesar⟩ etiam tum adulescentulus ....

---

*) Cuius de praenomine cf. Prolegom. p. 77 adn. 7.

**) Hanc rem anno accidisse 76 adversus ea, quae Prolegom. p. 77 disserueram, rectius fortasse defendit P. Jürges p. 25 adn.

et cum Lucullus id, quod Graeci postulabant, decrevisset, appel-
lavit tribunos Antonius iuravitque se id forum eiurare, quod
aequo iure uti non posset.' Iam vere anni 76 vehementi terrae
motu concussa est Italia, eodem autem motu etiam Hispania
28 affligata esse videtur (fr. 28).

Atque in Hispania nuntio de Pompeii adventu allato
M. Perperna, qui cum exercitu Lepidano contra Romanos bel-
lavit, a militibus coactus est cum Sertorio sese consociare (Plut.
Sert. c. 15). Sed Pompeius, cum in Hispaniam invaderet, com-
plures gentes a Sertorio deficientes, velut Lacetanos Indicetes-
que, in Romanorum potestatem accepit, adventu vero eius fac-
tum est, ut Metellus socordiam, qua antea usus erat, quam
maxime abiceret (Plut. Pomp. c. 18). Atque cum prope oram
maritimam procederet et Lauronem usque perveniret a Sertorio
tunc obsessam, eximere obsidione cives studuit, tamen sine
proelio sola Sertorii bellica arte hoc consilio prohibitus est
(Plut. Sert. c. 18); brevi post pabulatorum manum Sertoriani
insidiis circumvenerunt legionemque a Pompeio subsidio emis-
sam utrimque adorti totam fere cum D. Laelio legato inter-
29,30,31 fecerunt (Frontin. II 5, 31, adde fr. 29—31). Quibus Pompeii
32 cladibus permoti neque ullo circum auxilio (fr. 32) Lauronenses
salute desperata se dediderunt.

Quae cum agerentur, Metellus in ulteriore provincia Hirtu-
leium Italicae fudit fugavitque, dein ad septentrionem versus
profectus est, ut cum Pompeii copiis sese coniungeret, attamen
'defectione sociorum et Sertorii per montis fuga neque manu
certare' (or. Cott. 6) potuerunt, sed in hiberna recedere coacti
33 sunt; itaque Metellus in Galliam provinciam recessit (fr. 33),
Pompeius 'hiemem castris inter saevissimos hostis' (ep.
34 Pomp. 5) egit, exuti vero pecunia copiisque (fr. 34) 'stipen-
dium, milites, arma, frumentum' (or. Cott. 6) a senatu popo-
scerunt. Contra Sertorius, cui totius aderant Hispaniae opes,
summa industria res ad bellum aestate proxima redintegran-
35 dum necessarias praeparavit (fr. 35).

Sed eodem anno in Macedonia provincia Appius Claudius,
postquam adversum Maedos atque in Dardanis minus prospere
36, 37 res gessit (fr. 36), morbo correptus obiit (fr. 37). Cuius in
locum C. Curio consul a senatu missus est; qui cum in pro-

vinciam advenisset, seditionem militum statim Dyrrachii ortam
(fr. 38) brevi cohibuit (Frontin. IV 1, 43). 38
Iisdem his annis, ut videtur, C. Cosconius Dalmates, gen-
tem ferocissimam (fr. 39), subiecit (fr. 40), Salona urbe expu- 39, 40
gnata militumque suorum tumultu sedato. — Praeterea anno 76
Cn. Aufidius Orestes, qui Asiae provinciae praefuit, gentes ali-
quas Asiae Romanorum sub potestatem redegit (fr. 41). 41

Fragmenta.

23*. Multos tamen ab adulescentia bonos insultaverat.

App. (Inc. 83 D, 50 K, I 42 G, I p. 391 Br.) — Donat. ad Terent. Eun. II 2, 54. — Serv. ad Aen. IX 631. — Id. ibid. X 643. ‖ multos] *om. ASM Servii lib. X.* — tamen] *Donatus, om. Servius.* — ab adulescentia] *Donatus, Servius lib. X,* ab *om. O Donati,* a pueritia *Servius lib. IX.* — insultaverat] *Servius,* insultavit *Donatus, Kritz.*

Comm. Cethegum subaudivit Debrossius, Pompeium Kritz, Gerlach Philippum, Licinium Macrum Dietsch. Ad tres illos verba non quadrare vix est quod moneam, neque magis Licinium a Sallustio ‘bonorum insultatorem’ appellatum esse concedam (cf. comm. ad fr. III 17). At adest homo isque tribunus plebis, cuius de insultationibus bonorum amplius egisse constat Sallustium, scilicet Cn. Sicinius; quare ad hunc ea verba iure rettulisse mihi videor.

24*. Ad mutandum modo in melius servitium.

App. (Inc. 91 D, 59 K, III 70 G, II p. 137 et 271 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. I 281.

Comm. Collato orationis Licinianae initio ‘hoc a Sulla paratum servitium’ intelligimus optime Kritzium coniecisse servitii nomine dominationem optimatium Sullanamve appellatam esse, fragmentum autem sententiam tribuni vel alius esse, qui dominationem illam aggressurus est. Quae si concesseris, quin mecum ad Sicinium fragmentum referas, non iam dubito; etenim ad primum potius restituendae tribuniciae potestatis conatum spectare videtur, quam ad posteriorem, scilicet postea non iam mutandi, verum omnino tollendi servitii illius consilium popularibus erat, hoc vero de quo agitur temporis spatio vel lenita dominatione contentum se fore is, qui loquitur, praedicat.

25. Quia corpore et lingua percitum et inquietem nomine histrionis vix sani Burbuleium appellabat.

App. (II 35 D, 45 K, 80 G, I p. 535 Br.) — Prisc. VI (II p. 243). ‖ quia] qui *L,* quem *ex Coleri coniectura Dietsch.* — appellabat] appellabant *R Hertz.*

†26. Collegamque eius Octavium mitem et captum pedibus.

App. (II 36 D, III 83 K, III 1 G, I p. 533 Br.) — Arus. p. 489. — Sal. hist. III *N, in secundum librum praeter Debrossium iure transposuit Dietsch.*

27. Ut actione desisteret.

App. (II 34 D, 44 K, 79 G, I p. 337 Br.) — Arus. p. 467.

Comm. De optimatium quorundam conatibus contra tribunum (qui legem aliquam perferre studet) factis hoc loco esse sermonem acute Kritz intellexit. Itaque quoniam ex secundo libro fragmentum laudatum est et de Q. Opimio annoque 75 agi nequit, quippe quo C. Cotta sua sponte iura quaedam tribunis reddiderit neque deterritum a conatu Opimium esse sciamus, ad res inter Curionem ac Sicinium actas referendum esse fragmentum veri simile est.

28*. Sed Metello Cordubae hiemante cum duabus legionibus alione casu an, sapientibus ut placet, venti per cava terrae citatu rupti aliquot montes tumulique sedere.

App. (II 43 D, 52 K, 77 G, I p. 524, II p. 130 Br.) — Adnot. ad Lucan. I 552 (*deest in G et V*). — *Praeterea:* Isidor. orig. XIV 1, 2: 'venti .... sedere.' — Id. de natura rer. c. 46: *eadem.* — Serv. ad Georg. II 479 *et* schol. Bern. ad eund. loc.: 'venti .... citatu.' ‖ Cordubae hiemante cum] Corduba et gemanticum *C,* Corduba et hiematicum *W.* — alione] alienae *W.* — venti] *Servius, schol. Bern., Isidorus,* veno *C,* vento *W adn. Luc.* — citatu] *schol. Bern. C adn. Luc., A V H Servii,* citato *W adn. Luc.,* citati *PM Servii,* praecipitati *vel* citati *vel* concitati *codd. Isidori;* ventis citatis *coni. Corte,* praecipitatis *ex Arevali coniectura Kritz,* venti citati *Dietsch,* venti citatu *recte iam Hagen.*

Comm. Terrae motum in Italia anno 76 fuisse constat; cum vero maiore fragmenti parte ab Usenero evulgata eluceat Metello in ulteriore provincia hiemanti tale quid accidisse, probabile est hunc fuisse eundem terrae motum, factumque esse sub finem hiemis anni 77/76, qua Metellum in sua mansisse provincia scimus.

29*. Quis a Sertorio triplices insidiae per idoneos saltus positae erant: prima, quae forte venientis exciperet.

App. (II 15 D, 22 K, 74 G, I p. 572 Br.) — Serv. ad Georg. II 98: Sallustius: 'quis .... prima' et subaudiendum reliquit 'insidia'. — Id. ad Aen. XI 896: 'prima .... exciperet' cum de insidiis loqueretur. — Charis. p. 96: sed Sallustius de insidiis 'prima' inquit. ‖ prima quae] primaque *ASRHM,* primoque *F, corr. Thilo,* prima qui .... exciperent *vulgo.* — forte] fonte forte *F,* fronte *coni. Mascivius,* forte <in manus> *Dietsch.*

Comm. Ad proelium Lauronense verba pertinere constat, cf. Frontin. l. l.: 'in vicina silva nocte praedictas copias abscondunt ita, ut in prima leves Hispanos, aptissimos ad furta bellorum, ponerent, paulo interius scutatos, in remotissimo equites.'

30*. Atque eos a tergo incurrunt.

App. (Inc. 64 D, 30 K, 13 G, II p. 141 Br.) — Rufinian. de schem. p. 57 (Halm). || incurrunt] *B*, incurrerunt *vulgo, scilicet commoti esse videntur editores grammatici interpretatione:* 'quasi in eos incurrerunt'.

Comm. Sertorii equites dictos esse existimo, qui, cum D. Laelium cum legione emitteret Pompeius, 'subducti in dextrum latus velut cesserunt, deinde circumita legione *hanc quoque a tergo infestaverunt*'.

31*. Schol. Bob. ad Cic. pr. Flacco (p. 235 Or.): 'opinor ad tempus belli Sertoriani esse referendum, quod ibidem Laelius .... *ab Hirtuleianis interfectus est,* ut ait Sallustius, *receptis plerisque signis militaribus cum Laeli corpore.*'

App. (II 16 D, 23 K, I 132 G.)

32*. Et Metello procul agente longa spes auxiliorum.

App. (Inc. 3 D, I 24 K, 47 G, I p. 287 Br.) — Serv. ad Aen. XI 544. | procul] pericula *F*.

Comm. Debrossii ceterorumque editorum opinionem, qui collato App. b. c. I 68 ad civilis belli historiam referre fragmentum maluerunt, satis refutavit Dietsch. Metellus cum nominatus sit, de bello Sertoriano agi veri simillimum est, itaque illi quos spes auxiliorum deficiebat, nisi ipse Pompeii exercitus, certe civitas populusve est, qui Romanorum partes capessiverat. Iam intelligetur simillimam et huius fragmenti et rerum Lauronensium fuisse condicionem. Etenim tum Pompeius contra Sertorium pugna decertare prohibitus est, unus autem Lauronensibus Romanisque suberat Metellus: at is procul aberat in ulteriore provincia bellum gerens. — Quare ad id temporis momentum spectare puto verba, cum Lauronenses desperata salute Sertorio se dederunt.

33. Copiis integra.

App. (II 95 D, 99 K, 39 G, I p. 637 Br.) — Arus. p. 480.

Comm. Terra vel provincia regiove cum copiis integra esse dicatur, eas quae adiacent concludi licet exhaustas vastasque esse. Utrumque vero cadere in Galliam provinciam, in quam annis 76 et 75 Metellus hiemandi causa profectus est et quae hoc biennio exercitum eius stipendio frumentoque aluit, facile quisque mihi con-

cedat. Sed de anno 75 hic agi minus probari potest, quippe quo Gallia non modo non integris fuerit copiis, sed 'malis fructibus ipsa vix agitaverit'. Itaque ad annum 76 verba rettuli.

34*. Quae pecunia ad Hispaniense bellum Metello facta erat.

App. (II 73 D, 37 K, I 46 G, II p. 72 Br.) — Donat. ad Terent. Phorm. I 1, 4. — Schol. Bemb. ad l. l. (*Herm. II p. 379*). — Salustius ·L *habet O, quod* Salustius in primo *intelligendum esse monuit Jürges p. 5, equidem litteram illam pro L potius habeo, ita ut* libro — *omisso scilicet a librariis libri numero — legendum nobis sit, nisus Caroli Dziatzkii, diligentissimi horum scholiorum aestimatoris, iudicio; etenim rogatus a me scripsit humanissime haece:* „Das Ganze ist in der Abschrift ein rechtwinkeliger Haken, die untere wagerechte Linie aber so lang, dass man nicht I herauslesen kann. Dass letzterer Strich sehr viel feiner ist, beruht wohl nur auf Zufall.“ ‖ Metello] *om. B.* — facta] factu *O.*

Comm. Quaerentibus quem ad annum verba spectare videantur, reputandum est et anno 76 et anno 75 imperatores Romanos pecunia magnopere eguisse. Cum vero ex Cottae oratione efficiatur iam priore anno commeatum stipendiumque a senatu postulata esse, potius hunc annum 76 dictum esse putaverim, quoniam postea non tam Metellum, quam Pompeium teste eius epistula pecunia defecit.

35*. At Sertorius vacuus hieme copias augere.

App. (Inc. 36 D, 2 K, III 16 G, I p. 580 Br.) — Porphyr. ad Horat. ep. II 2, 81. ‖ vacuus] vacua *coni. W. Meyer.*

Comm. E Livii fragmento Vaticano quantopere hieme 76—75 Sertorius omnia bello necessaria comparare, praeparare, disponere studuerit, quoniam certiores facti sumus, deinde quod eo ipso tempore *vacuus* re vera dici potuit Sertorius utroque hostium imperatore procul ab eo hiemante, ad eandem hanc hiemem Sallustii verba referenda esse mihi videntur.

36*. Prob. p. 20: '*Stobos* lectum in Sallustio, numero semper plurali, hi Stobi, nomen civitatis.'

App. (Inc. 13 D, II 43 K, inc. 56 G, I p. 643 Br.)

Comm. Stoborum oppidi mentionem esse factam in bello Macedonico certum fere est; veri autem simile videtur, commemoratam esse urbem libro secundo in Appii expeditionibus anno 76 susceptis enarrandis, quia ad Axium flumen sita finitima erat et Dardanis et Maedis; utrique autem genti postremo imperii anno Appium bellum intulisse scimus.

37. Vir gravis et nulla arte cuiquam inferior.

App. (II 82 D, 86 K, 25 G, I p. 503, II p. 454 Br.) — Arus. p. 488.

Comm. Consulum mores, cum magistratum ineunt, breviter a Sallustio adumbratos esse et fragmento Aurelianensi et aliis locis edocti sumus, sed ad neminem eorum, qui hoc libro dicti sunt, consulum fragmenti verba apta sunt. Ceteris ex imperatoribus, quorum nomine laudato describendi occasio data erat Sallustio, cum uno haec conveniunt Appio Claudio; itaque scripta esse haec verba, ubi mors Appii referretur, existimo.

38. Serum enim bellum in angustiis futurum.

App. (Inc. 15 D, III 13 K, inc. 7 G, II p. 392 Br.) — Serv. ad Aen. V 524. — Id. ib. VI 569. — Id. ib. XII 864. — Schol. Vatic. (Ps. Philargyr.) ad Georg. IV 144. — Sallustius in duo *habet V, secundo igitur libro fragmentum assignandum est.* ‖ enim] *om. EM lib. V, omnes codd. lib. VI et XII, V Georg.* — futurum] fore *V.*

Comm. A Luculli militibus haec enuntiata esse accepit Kritz; sane agitur de militibus bellum in saltibus sibi gerendum detrectantibus, secundo autem ex libro fragmentum sumptum esse quoniam scholiastae testimonio nunc didicimus, aptiorem rem, ad quam referam, nescio, nisi seditionem militum Curioni subito exortam, Frontin. l. l.: 'cum ex quinque legionibus una seditione facta militiam detractasset secuturamque se temeritatem ducis *in expeditionem asperam et insidiosam* negasset' etc.

39. Genus armis ferox et servitii insolitum.

App. (II 81 D, 79 K, 40 G, I p. 406, II p. 262 Br.) — Arus. p. 486. — Tertullian. de an. c. 20: 'Sallustius vanos Mauros et feroces Dalmatas pulsat.'

Comm. Cum secundo libro de Dalmatibus Sallustium egisse veri simile sit atque ipsa haec ferocitas optime cum gente illa congruat, haud absonum videtur locum ab Arusiano secundo e libro laudatum etiam Tertullianum habuisse in animo. Quare utriusque testimonia coniungere malui, quam Tertulliani verba cum editoribus pro peculiari habere fragmento.

40*. Primam modo Iapydiam ingressus.

App. (Inc. 12 D, II 42 K, IV 11 G, I p. 529, II p. 191 Br.) — Serv. ad Georg. III 475.

Comm. Miro errore in Curionis Appiive bello Dardanico enarrando etiam Iapydiae mentionem factam esse rati sunt editores, obliti omnino Dalmatinae Cosconii expeditionis. Ad hanc et hoc et praecedens fragmentum pertinere in aprico est.

41. Eam deditionem senatus per nuntios Orestis cognitam approbat.

App. (II 69 D, 84 K, 75 G, I p. 431 Br.) — Prisc. VI (II p. 246).

Comm. Cn. Aufidius Orestes praetor fuit urbanus anno 77 (cf. Valer. Max. VII 7, 6); deinde pro praetore eum Asiae praefuisse provinciae sequitur ex inscriptione quadam Andrea (C. I. G. 2349[b]): *⟨περὶ τ⟩ῶν παραγεγονότων δικαστῶν ἀπὸ τῆς ⟨ξ⟩ένης ⟨δεδι⟩κακότων τάς τε κατὰ τοὺς νόμους συνεστηκυίας δίκας κα⟨ὶ τ⟩ὰ ἀναπεμφθέντα ⟨δόγματ⟩α ὑπὸ Γναίο⟨υ Α⟩ὐφιδίου Γναίου ὑοῦ τοῦ ἀν⟨τι⟩στρατήγου.* Orestes igitur anno 76 pr. pr. gentem quandam Asiae (fortasse Pamphylos Pisidasve, quibuscum brevi antea Servilius bellaverat) subiecit ac de deditione eius senatum certiorem fecit.

CAPUT III.

Res urbanae anni 75, fr. 42—52.

Enarratio.

Primum consules anni 75 L. Octavius C. Aurelius Cotta
42 commemorati sunt (fr. 42), dein leges quaedam consultaque leviora, quae his consulibus facta sunt enumerantur, velut
43 P. Lentuli Marcellini in Cyrenen provinciam profectio (fr. 43). Iam civilium discordiarum hoc anno exortarum causae expo-
44,45 nuntur tumultusque plebis in optimates excitati (fr. 44—45).
46 Quo commotus periculo (fr. 46) C. Cotta consul magna habita
47 oratione plebem placare studuit (fr. 47). Sed mox L. Opimius
48 tribunus plebis crebris contionibus (fr. 48) perfecit, ut C. Cotta lege Aurelia iudiciaria 'iura quaedam tribunis restitueret'
49 (fr. 49): qua lege concessa ei contigit, ut sublatis partim
50 tumultuandi causis (fr. 50) plane fere seditionem cohiberet
51 (fr. 51).

52 Eius quod sequitur fragmenti 52 codice Aurelianensi contenti argumentum obscurum est.

Fragmenta.

42. (*apud*) quem exercitus f|uerat | legionem misit de|specta | vanitate, idque i|lli in | sapientiam cesse|rat. Dein | L. Octavius et C. Co|⟨t⟩ta con|sulatum ingress|⟨i⟩, quorum | Octavius langu|⟨i⟩de et | incuriose fuit, C|⟨ot⟩ta prom|ptius, sed ambiti|⟨on⟩e tum | in-

genita largitio|⟨n⟩e cupi ens gratiam sing|⟨u-l⟩orum ...

Fragmenta Aurelianense ac Berolinense (fr. 42, 43, 45, 47 init., 52): (II 38—41 D, 47, 49, 50 K, 101—103 G). De Berolinensi fragmento egerunt Pertz, Mommsen, Kreyssig, Roth variis commentationibus, dein Jordan *Hermae vol. II p. 81.* Idem ediderunt coniunctum cum Aurelianensi Hauler *Wiener Studien VIII p. 315, IX p. 25, révue de philol. X p. 113,* Jordan *Sall. op. ed. tert. p. 127.*

Codex palimpsestus duabus nunc e particulis A et B (codice Aurelianensi 169, fragmento Berolinensi) constans duorum foliorum lacinia continet, prioris columnas quattuor, alterius columnam primam quartamque, quarum cuiusvis undecim supersunt versus. Hoc foliorum par ita est discissum, ut pars sinisterior primae, dexterior quartae columnae (fr. 42 et 47) atque duae alterius folii columnae (fr. 52) servatae sint in A, ceterae extent in B. Duos hos codices lineola distinxi, in Berolinensis fragmenti apparatu nomina Kreyssigio antiquiorum raro laudavi.

App. fr. 42. *Columna prima.* 1. *Quinta littera* E *vel* T, *septima* E *vel* I, *octava* R *aut* N, *decima* I *vel* E, exercitus *Hauler.* — 2. *Ultima in A littera aut* E *aut* I, de(specta) *Hauler, Jordan.* — 3. idque] idquae *A,* id quidem *coniecerat Jordan, quod in exemplari illius adnotatum inveni.* — 5. *Prima littera* (L) *incerta.* — *Prima in B littera* T *potius quam* E. — 7. languide] (langu|)dae *B.* — 8. fuit] egit *coni. Wölfflin; tertia in B littera* E *lecta est,* prom(ptius) *recte Hauler.* — 9. ambitione] *aut hoc aut* ambitiose *suppl. Hauler.* — 10. *Tertia* C *aut* G, *sexta sq. aut* IO *aut* ITA *Haulero apparuerunt, postremas cod. A litteras* TO *idem legit, primam in B litteram* T; ingenio largitore *Hauler,* ingenti a largitione *Mommsen,* ingenua largitione *O Friedrich,* ambitione tum incitatus largibat *margini exemplaris Jordan appinxerat,* ambitione ingenita *conieci, cf. fr. V 3.* — 11. gratiam singulorum] gratiam *A, in B litterae* OR *certae, sequentes plane incertae,* gratiam singulorum *Mommsen.*

Comm. Primo fragmenti enuntiato rei bellicae cuiusdam narrationem ad finem perduci patet; de Sertorio Pompeium despectante, sicut Wölfflin coniecit, vel de clade Pompeii Lauronensi, id quod Mommsen suspicatus est, hoc enuntiato agi veri dissimile videtur, cum utriusque rei plane diversa fuerit condicio. Itaque rem aliquam minorem nobisque ignotam narratam esse existimo.

43. P(ublius)que Lentulus Marcel⟨linus⟩ | eodem auctore quaest⟨or⟩ | in novam provinci⟨am⟩ | Curenas missus est, q⟨uod⟩ | ea mortui regis Apio⟨nis⟩ | testamento nobis d⟨ata⟩ | prudentiore quam ⟨illas⟩ | per gentis et minus g⟨lo⟩|riae avidi imperio co⟨nti⟩|nenda fuit. Praetere⟨a di⟩|versorum ordin⟨um⟩ (*certamina hoc anno exarserunt*).

App. *Columna secunda.* — 2. auctore] actore *B.* — 8. gentis] *sic B.*

Comm. E verbis *eodem auctore* sequitur spatio intermisso (decem scilicet versuum) senatus decretum vel legem quandam

initio anni actam commemoratam esse; auctorem vero et illius rei et Lentuli missionis fuisse C. Cottam ex iis, quae antecedunt, a veri specie haud abest.

44. Immane quantum animi exarsere.

App. (II 79 D, 76 K, 89 G, I p. 547 et 609, II p. 340 Br.) — Nonius II p. 127.

Comm. Significatos esse populares et fame et optimatium superbia vehementer iratos bene coniecit Dietsch; idem ad tumultus anno 75 concitatos verba referenda iure censuit.

45. (*Annonae* intolerabil)is saevitia. Qua re fati⟨ga⟩|ta plebes forte consul|⟨es⟩ ambo Q. Metellum, cui | ⟨pos⟩tea Cretico cognomen|⟨tu⟩m fuit, candidatum | ⟨pr⟩aetorium sacra via de|⟨du⟩c⟨en⟩tis cum magno tu|⟨m⟩ultu invadit fugien|⟨tis⟩que secuta ad Octavi do|⟨mu⟩m quae propior erat in ⟨de⟩ .... ⟨pu⟩gnaculum perve‖(nit?).

App. *Columna tertia.* — 1. *Primae litterae* I *superest pes.* — 4. *Postremae* (N) *nota deest in B.* — 5. *Prima* A *aut* M, *secunda veri simillime* F. — 7. (de) ... ctis *B*, deducentis *corr. Dietsch.* — 8. tumultu | (tu) ... ultum *B.* — 10. quae] q(ue) *B.* — propior] proriore *B.* — 11. *Prima* G, C, O, *secunda* N, *fortasse* AE, *quarta* C, G, O *fuisse potest, post quintam* (U) *hasta Jordano extare visa est. Quas ante primam* (G) *agnovisse sese Studemund putabat* PU *plane incertae declarantur;* in propugnaculum *Pertz,* ingenti pugna civium *Huschke,* coenaculum *Kreyssig,* vestibulum *Dietsch,* inde in Ianiculum *Mommsen; quae minus sufficere videntur. An scribendum erit* in⟨genti pu⟩gna [ut summum in peri]culum pervenirent, *ita ut post* pugna *a librario totus versus omissus sit?*

46*. Festinantibus in summa inopia patribus.

App. (Inc. 28 D, IV 25 K, I 68 G, I p. 622 Br.) — Donat. ad Terent. Eun. IV 3, 8.

Comm. Et ex ipsa re et e festinandi inopiaeque vocum vi intelligitur iure Debrossium (approbante quidem nuper Haulero) ad seditionem plebis anno 75 exortam fragmentum rettulisse. Neque enim contra Lepidum, quod voluit Gerlach, neque cum Crasso bellum Spartacium mandatum est, qua de re cogitavit Kritz, vehementer trepidasse perturbatumque esse senatum scimus; immo adversus Lepidum Sullanis Catulique nisus est opibus, itaque inops minime fuit summaque fiducia Lepidum reppulit, Crasso autem cum summum imperium deferret, etsi consules ceterique magistratus nihili esse se praestiterant, tamen trepidandi non fuit causa.

47. (*post*) pauc|os dies Cotta mutata ‖ veste p|er-maestus, quod pro | cupit|a voluntate plebes a|balien⟨ata⟩ | fuerat, hoc modo ‖ in co|ntione populi dis|seru⟨it⟩|:

[Oratio Gai Cottae ad populum Romanum.]

Quirites, multa mihi pericula domi militiaeque, multa adversa 1
fuere, quorum alia toleravi, partim reppuli deorum auxilis et
virtute mea: in quis omnibus numquam animus negotio defuit
neque decretis labos; malae secundaeque res opes, non inge-
nium mihi mutabant. At contra in his miseriis cuncta me 2
cum fortuna deseruere; praeterea senectus per se gravis curam
duplicat, cui misero acta iam aetate ne mortem quidem hone-
stam sperare licet. Nam si parricida vestri sum et bis genitus 3
hic deos penatis meos patriamque et summum imperium vilia
habeo, quis mihi vivo cruciatus satis est aut quae poena mor-
tuo? Quin omnia memorata apud inferos supplicia scelere
meo vici. A prima adulescentia in ore vestro privatus et in 4
magistratibus egi; qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia
voluere usi sunt; neque ego callidam facundium neque inge-
nium ad male faciendum exercui: avidissimus privatae gratiae
maximas inimicitias pro re publica suscepi, quis victus cum
illa simul, cum egens alienae opis plura mala expectarem, vos,
Quirites, rursus mihi patriam deosque penatis cum ingenti di-

Fragmenti Berol. Aurel. columna quarta. — 2. veste permaestus] ulter *in B*, ermoestus *in A, corr. Wölfflin.* — 3. cupita] cupida *coni. Hartel.* — voluntate plebes] volutate plevis *A*, plebis *Hauler,* plebes *conieci.* — 4. (a)balienata fuerat] (a)ualin *B, sed ultima* N, M *an* A *sit dubium;* fu . n . era *A, ita ut super A litteram aut* D *aut* T *superscriptum sit;* fuerat *recte Hauler, etenim* N *litteram ipsum librarium delere voluisse docet fr. 87, D 20;* abalienata *vel* alienata *acutissime coni. Bücheler,* invalide fuerat *Wölfflin,* iam valerent funera *Hartel.*

Testimon.: 2. Serv. ad Aen. XI 165: Sallustius: 'senecta iam aetate.'
4. Excerpta Charis. Bob. (I p. 549): Sallustius in II 'cum .... expectarem' in oratione Cottae.

Oratio. *Titulus deest in palimpsesto.* — 1. *Initium orationis ita habent A et B:* 'Quirites multa ‖ mihi | . . ricula domi mili‖tiaeq. | . ulta adversa fu‖ere q . orum alia tolera bi pa . . . m reppuli deorũ ‖ . . x . . . s et virtute mea in‖'. — labos] *sic V.*
2. acta iam aetate] *V,* senecta *Servius, quem secutus est Carrio. Peculiare fragmentum in Servii verbis inesse rati sunt ceteri editores, iure ea ad hunc locum rettulit Wölfflin.*
4. callidam] caninam *coni. Carrio.*

5 gnitate dedistis. Pro quibus beneficiis vix satis gratus videar,
si singulis animam, quam nequeo, concesserim; nam vita et
mors iura naturae sunt, ut sine dedecore cum civibus fama et
fortuna integer agas, id dono datur atque accipitur.

6 Consules nos fecistis Quirites domi bellique impeditissima
re publica; namque imperatores Hispaniae stipendium, milites,
arma, frumentum poscunt — et id res cogit, quoniam defec-
tione sociorum et Sertorii per montis fuga neque manu certare
7 possunt neque utilia parare —; exercitus in Asia Ciliciaque ob
nimias opes Mithridatis aluntur, Macedonia plena hostium est
nec minus Italiae maritima et provinciarum, cum interim vecti-
galia parva et bellis incerta vix partem sumptuum sustinent:
ita classe quae commeatus tuebatur minore quam antea navi-
gamus.

8 Haec si dolo aut socordia nostra contracta sunt, agite ut
monet ira, supplicium sumite; sin fortuna communis asperior
9 est, quare indigna vobis nobisque et re publica incipitis? At-
que ego, cuius aetati mors propior est, non deprecor, si quid ea
vobis incommodi demitur; neque mox ingenio corporis hone-
10 stius quam pro vestra salute finem vitae fecerim. Adsum en
C. Cotta consul! Facio quod saepe maiores asperis bellis
11 fecere, voveo dedoque me pro re publica! Quam deinde cui
mandetis circumspicite; nam talem honorem bonus nemo volet,
cum fortunae et maris et belli ab aliis acti ratio reddenda aut
12 turpiter moriendum sit. Tantum modo in animis habetote non
me ob scelus aut avaritiam caesum, sed volentem pro maximis
13 beneficiis animam dono dedisse. Per vos, Quirites, et gloriam
14 maiorum, tolerate adversa et consulite rei publicae! Multa
cura summo imperio inest, multi ingentes labores, quos nequi-
quam abnuitis et pacis opulentiam quaeritis, cum omnes pro-
vinciae, regna, maria terraeque aspera aut fessa bellis sint.

---

7. sumptuum] sumptum *V.*

9. ingenio corporis] ingenuo corpori *coni. Aldus,* ingenui corporis *Corte,* in senio corporis *antea Orelli,* senio *Dietsch,* imperio *idem antea, sed optime* ingenio *allatis exemplis defendit Kritz.*

12. volentem] volente *V.* — et pacis] sed *coni. Linker.*

13. adversa] advorsa *V.*

48. Cum multa dissereret ludis Apollini circensibus.

App. (II 90 D, 89 K, 81 G.) — Arus. p. 490.

Comm. Ludis Apollinaribus a sexto ad tertium decimum usque diem Quintilis mensis festive actis (cf. Preller *Römische Mythologie ed. 3. p. 305*) plane insolitum esse, ut contiones haberentur ideoque agi nostro fragmento de re aliqua graviore summique momenti in urbe gesta optime enucleavit Dietsch. Ad annum 76 rixasque inter Sicinium Curionemque tum intercedentes quominus referam, prohibeor ea re, quod mense Iulio Curionem in Macedoniam iam profectum esse existimaverim. Itaque ad annum 75 turbasque ab Opimio commotas, quo tempore lex Aurelia lata est, verba spectare videntur; sed quisnam festis diebus contionatus sit, Opimius an ipse Cotta aliusne, ignotum est.

49*. Ascon. ad Cic. Cornel. p. 66 Or.: 'Nam neque apud Sallustium . . . . ullius alterius latae ab eo ⟨legis est⟩ mentio, praeter eam, quam in consulatu ⟨tulit invita⟩ nobilitate magno populi studio, *ut eis ⟨qui tr(ibuni) pl(ebis)⟩ fuissent alios quoque magistratus ⟨capere⟩ liceret.*'

App. (II 42 D, 51 K, 82 G, I p. 631 Br.)

50*. Quae causa fuerit novandis rebus.

App. (Inc. 90 D, 58 K, I 14 G, I p. 267 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. IV 290. — fuerit] *T*, fuer̃ *F*, fuerat *vulgo*.

Comm. Causam novandi res tribunis ceterisque popularibus ante omnia fuisse spem tribuniciae potestatis restituendae constat; idem etiam Sallustium rettulisse veri fit simile loco Plut. Pomp. c. 21: *οὐ γάρ ἐστιν οὗτινος ἐμμανέστερον ὁ Ῥωμαίων ἠράσθη δῆμος καὶ μᾶλλον ἐπόθησεν ἢ τὴν ἀρχὴν αὖθις ἐπιδεῖν ἐκείνην.* Sed huius fragmenti verbis, quae ex oratione cogitationeve alicuius sumpta videntur, subsecuta esse quaedam, quibus exponeretur hanc novandi causam non iam fuisse, sequitur e verbi *fuerit* tempore; quare rem ad eius temporis condicionem, quae fuisse videtur lata lege Aurelia, optime quadrare putaverim, quo tempore id ipsum, cuius gratia tumultuari coeperant populares, tribunorum potestas dignitasque, a consule partim quidem iis reddita est; et hoc eo consilio dictum videtur, ut brevi post etiam seditionem populi pacatam esse adderetur.

51. Et continetur gravis.

App. (II 88 D, inc. 83 K, II 24 G.) — Nonius IV p. 315. ‖ gravis] gravius *coni. Mercier.*

Comm. Fragmentum brevissimum quomodo supplendum sit incertum est, maiorem autem veri speciem habet, si vocem *seditio, tumultus, ira* similemve subaudiamus. Quare ad populi seditionem Cotta consule exortam referenda verba esse conieci.

52. a)

o . . . .
rei . . . .
nii . . . .
pro . . . .
ini . . . .
om . . . .
mi . . . .
piti . . . .
ad . . . .
ni . . . .
m . . . .

b)

. . . . in
. . . . rent
. . . . esar
. . . . r sed
. . . . enol
. . . . ndu(m)
. . . . gna
. . . . oru(m)
. . . . ru(m)
. . . . ni
. . . . uic

App. *Columnae folii unius prima quartaque fragmenti Aurelianensis, ed. Hauler Wiener Stud. VIII p. 121, IX p. 28, révue de philol. X p. 118, Jordan Sall. op. ed. 3 p. 129.*

a) 3. *Secunda littera* I *vel* T. — 6. *Prima* O *vel* C. — 10. *Secunda* I *aut* A.

b) 3. Caesar *suppl. Hauler.* — 11. *Litterae perincertae; prima ut videtur* U, *secunda* I *vel* T, *tertia* C *vel* S.

Comm. Quaenam res his columnis contentae fuerint, prorsus latet; cum vero hoc folium cum eo, quod fr. 42, 43, 45, 47 complectitur, cohaereat neque plus sex folia (i. e. viginti quattuor columnae) interfuisse videantur, continuo ei capiti etiam hoc lacerum fragmentum subiungere malui.

CAPUT IV.

Res bello Sertoriano anno 75 gestae, fr. 53—70.

Enarratio.

Primo anni 75 vere Metellus ac Pompeius in Hispaniam
descenderunt, ille quidem in Lusitaniam contra Hirtuleium pro-
fecturus, hic adversus Sertorium prope Hiberum ea hieme ver-
santem et Perpernam Herenniumque progressurus, qui orae ma-
ritimae oppida tuebantur. Et quamquam hieme pugnam cum
Romanis inire Sertorius legatos vetuerat (fr. 53), tamen Per- 53
perna et Herennius ad Valentiam (fr. 54) cum Pompeio con- 54
flixerunt, qua pugna Herennius interfectus, Valentia urbs capta,
ipse Perperna fugatus est (Plut. Pomp. c. 18 sub fin., fr. 55). 55
Sertorius interim C. Memmium, Pompeii quaestorem, qui cum
classe Carthaginem Novam venerat, in oppido eo obsedit; cui
tamen postea contigisse videtur, ut cum Pompeio sese conso-
ciaret. Qua in re etiam Carthaginem oppidum fusius Sallustius
descripsit (fr. 56, 57). 56,57

Quae dum fiunt, Metellus in Lusitania cum Hirtuleio Sego-
viae congressus media eius acie cornibus suis circumventa (Fron- 58
tin. II 3, 5, adde fr. 58) plane Hispanos devicit acerrimoque
proelio ipsum ducem Hirtuleium occidit (fr. 59), tum magnis 59
itineribus ad Pompeium Sertoriumque ad mare versus prope-
ravit. Sed hi comperto Metellum adventare eodem uterque
festinandi studio ad Sucronem fluvium aequo Marte dimicarunt,
ut Pompeius a Sertorio devinceretur, Afranius, Pompeii legatus,
alterum Sertorii cornu superaret castraque Hispanorum expu-
gnaret (Plut. Sert. c. 19, adde fr. 60, 61). Quo in proelio 60,61
ipse Pompeius vulneratus moxque in fuga paene captus est
(Plut. Pomp. c. 19 usque ad *περὶ τούτων μαχόμενοι πρὸς
ἀλλήλους ἀπελείφθησαν*, ad hoc fr. 62, 63). Sed postridie 62,63
appropinquante Metello Sertorius se recepit, Pompeius autem
illum obviam sibi factum summis excepit honoribus (Plut.
Pomp. c. 19 part. med.). Et tum a Sertorio cerva illa alba,
quam secum agere solebat, antea amissa subito reperta est
(Plut. Sert. c. 20).

Exinde diutius prope Saguntum, oppidum celeberrimum
64, 65 (fr. 64, 65), duo exercitus castra habebant levioribusque proeliis
se lacessebant, denique Sertorius, qui omnem Romanis intercluserat commeatum, pugna decertare ad Turiam flumen coactus est; qua etsi Memmius occisus atque ipse vulneratus est Metellus, tandem Romani hostes reppulerunt (Plut. Sert. c. 21,
66,67,68 adde fr. 66—68); atque exercitus Sertoriani per fugam omnis
fere dissipati (Frontin. II 13, 3) reliquiae cum ipso duce Cluniam perfugerunt ibique a Romanis obsessi sunt. Attamen Sertorio contigit, ut clam ex oppido evaderet brevique post novum congregaret exercitum (Plut. Sert. c. 21 *εἰς πόλιν ὀρεινὴν καὶ καρτερὰν ἀναφυγών* .... usque ad *καὶ πάλιν ἐπῄει πολὺς γεγονώς*). Sed Romanorum in exercitu M. Terentius
69 Varro Memmii, ut videtur, loco pro quaestore fuit (fr. 69),
Metellus autem victoria Turiensi magnopere elatus iam luxuriae
70 rursus se dare coepit (fr. 70, Plut. Sert. c. 22 usque ad *ἐφ' οἷς εἰκότως ἦν καταγέλαστος*, Valer. Max. IX 1, 5).

Fragmenta.

53. Post ubi fiducia nimius.

App. (II 93 D, 96 K, 43 G, II p. 309 Br.) — Arus. p. 495.

Comm. Verbis Sallustii nimis abruptis homo ostendi videtur, qui primo caute egit, mox nimia fiducia commotus ad imprudentiam aliquam aufertur; et ad rem quidem bellicam hoc spectare veri simile est. Sed e rebus secundo libro narratis quemnam ad ducem haec apta sint si circumspicimus, Sertorii mandatorum reminiscimur legatis vere anni 75 imperantis, ne cum ducibus Romanis manus consererent (cf. Livii fr. Vatic.). Perpernam igitur Herenniumve his verbis dici illamque ad rem alludi existimo. Etenim talia cum Perpernae ingenio optime convenire notum est; accedit, quod proprium erat narrationis Sallustianae magnorum imperatorum clades quasi inoboedientia vel ducum ceterorum vel militum factas excusare. Contra haec Jürges p. 47 nuperrime de Cottae temeritate ad Chalcedona victi fragmentum intelligit: quam rem neque ad tempus neque ad librum secundum pertinere supra monui.

54. Inter laeva moenium et dexterum flumen Turiam, quod Valentiam parvo intervallo praeterfluit.

App. (II 18 D, 24 K, 44 G, I p. 596 Br.) — Priscian. VI (II p. 201): 'Quod autem non sunt neutra Turia et Mulucha et similia, ostendit etiam natura ipsius sermonis Punici, in quo omnia nomina vel masculina sunt

vel feminina . . . . unde Sallustius in II historiarum' e. q. s. — Id. V (II p. 143) *usque ad* Turiam. — Probus cathol. p. 7: 'hoc Turia, nomen fluminis lectum in secunda historia Sallustii.' — *Eadem fere* Sacerdos (VI p. 471), Phocas p. 412, Aurel. August. regula (V p. 496). ‖ moenium] moenia *coni. Dietsch.* — Turiam] *iure defendit loco laudato Priscianus,* Turia *Probus cum Sacerdote, Phoca, Augustino.*

Comm. Rectissime a Debrossio fragmentum de clade Perpernae intellectum neque vero cum Kritzio ad pugnam Saguntinam sive Turiensem referendum esse docet ipsius Valentiae urbis mentio; et locum quidem his verbis exponi putaverim, quem proelio exercitus Hispaniensis obtinuerit. — Ceterum hoc proelium Bienkowski (*Wiener. Studien XIII. p. 217*) nuper contendit evenisse iam anni 76 exitu. At credine potest Pompeium Laurone depulsum victumque etiam ad Valentiam processisse ac cum legatis Sertorianis pugnam iniisse idque persequente nimirum Sertorio? An putas Sertorium cladem suis Valentiae illatam plane omisisse? Itaque et pugnam et expugnationem oppidi anno attribuendam esse 75, sicut feci Proleg. p. 26, etiam nunc iudico.

55*. Perpernae tam paucis prospectis vera est aestimanda . . . .

App. (Inc. 5 D, I 41 K, II 18 G, I p. 498 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. XII 694. ‖ Perpernae] perpenna *F,* Perpennae poena *coni. Mähly, sed longius afuisse substantivum existimo.* — prospectis] pro pectus *F, corr. Mascivius,* profectus *coni. Putsch,* poena . . . . proscriptis *Wagner,* pro poena . . . . proscriptis ⟨vindicta⟩ *Dietsch,* Perpernae casu paucis perspecta Sertorii virtus(!) *coni. F. Schöll.*

Comm. Subaudiendum esse substantivum, quo Perperna laudetur, ex vi vocis *vera* atque scholiastae interpretatione sequitur, simul vituperari eum verbis *tam paucis prospectis* cognoscimus. Itaque hanc fere accipimus sententiam: quamquam non nisi paucis rebus Perperna prospexerat, tamen laudanda est eius fortitudo (sive virtus vel simile aliquid). Atque haec quin ad cladis alicuius narrationem Perpernae illatae pertineant, vix dubium est. Quare ad pugnam Valentianam fragmentum refero, qua Perpernae Herenniique factum esse socordia videtur, ut Sertoriani superarentur.

56. Dubium an insula sit, quod Euri atque Africi superiactis fluctibus circumlavitur.

App. (II 83 D, 81 K, 97 G, I p. 423, II p. 85 Br.) — Nonius X p. 503—4. ‖ insula] in insula *ed. Dietsch.* — Africi] astrici *codd.,* Africi *in antiquis Nonii editionibus iam correctum, cf. Liv. XXVI 42,* austri *post Aldum vulgo,* austrici *coni. Quicherat.*

Comm. Urbem libro secundo laudatam atque in paeninsula ita sitam, ut angusto tantum iugo cum continenti coniuncta sit, esse Carthaginem Novam acutissime repperit Dietsch evicitque lucu-

lenter collatis Livio XXVI 42 et Polybio X 10. Etiam aderat occasio situs huius urbis fusius exponendi, scilicet eo loco, ubi de urbe a Sertorio obsessa atque incluso in eadem Memmio quaestore agebatur, qua de re cf. Cic. pro Balbo 5: 'ut Pompeius in Hispaniam venerit Memmiumque habere quaestorem coeperit, numquam a Memmio discessisse (scil. Cornelium Balbum), Carthagine esse obsessum, acerrimis illis proeliis et maximis, Sucronensi et Turiensi interfuisse.' Quae res anno 75 videtur inserenda esse; neque enim anno 76 post cladem Lauronensem Pompeianos Carthaginem pervenisse crediderim; veri simillime autem eodem tempore, quo pugna ad Valentiam facta est, paullove postea illa accidisse videntur. Sed Jürges p. 52 Reinachio (*Mithridate Eupator, p. 325*) praecedente infelicissime nuper de hoc fragmento egit, mutato audacter libri numero a Nonio laudato verba ad Cyzici descriptionem referens. At tum Cyzicum sitam fuisse vera in insula, nequaquam in paeninsula, quae interdum tantum mari superiacto a continenti divelleretur, e narrationibus scriptorum Sallustiique ex fragmentis III 30, 34, 37 satis superque elucet.

57*. Atque edita undique tribus tamen cum muris et magnis turribus ....

App. (Inc. 16 D, III 18 K, IV 64 G, II p. 629 Br.) — Donat. ad Terent. Andr. I 1, 67. — edita] edicta *P*, dča *O*.

Comm. Subaudiendam esse vocem *urbs* patet, neque enim *castra* tribus muris turribusque muniri solent, falso igitur Kritz verba ea de Luculli castris Cyricenis dicta intellexit. Neque maiorem veri speciem Debrossii ceterorumque habet opinio ad Nisibim oppidum eadem referentium, cum neque in edito sita neque triplici muro circumdata fuerit Nisibis. Sed ad Carthaginis descriptionem pertinere fragmentum putaverim, cf. Strab. III p. 158: *κρατίστη πολὺ τῶν ταύτῃ πόλεων, καὶ γὰρ ἐρυμνή τ' ἐστὶ καὶ τείχει κατεσκευασμένῳ καὶ λιμέσι καὶ λίμνῃ κεκόσμηται.*

58*. Apud latera certos locaverat.

App. (Inc. 53 D, 19 K, 27 G, I p. 595 Br.) — Serv. ad Aen. I 576. ‖ locaverat] collocaverat *vulgo*.

Comm. Talem ad pugnam haec verba referri oportet, in qua in cornuum proelio summum totius pugnae positum sit discrimen. Quod factum esse pugna Segoviensi e Frontino II 3, 5 discimus, namque tum Metellus reducta media acie utroque cornu suo Hirtuleii exercitum circumvenit atque ita oppressit; quare ad Metellum verba pertinere praeeunte hac quoque in re optime Debrossio existimo.

59. Occurrere duces et proelium accendere adeo, uti Metello in sagum, Hirtuleio in brachium tela venirent.

App. (II 17 D, 21 K, 68 G, I p. 595 Br.) — Nonius XIV p. 538. ‖ occurrere] accurrere *Dietsch.* — duces et] duci et *codd., corr. Gerlach,* duces (*om.* et) *L. Müller.*

Comm. Ad proelium Italicae commissum vulgo refertur fragmentum, contra ego de pugna Segoviensi morteque Hirtuleii potius agi putaverim; etenim hoc cum proelio bene convenit et quod Hirtuleius vulnerari et quod proelium vehementer accendi narratur; Italicae vero atrociter utrimque pugnatum esse, modo quae Frontinus II 1, 2 de initio proelii refert reputes, mecum negabis.

60. Vespera.

App. (II 76 D, 98 K, 61 G, I p. 273 saepiusque Br.) — Charis. p. 223.

Comm. Ad pugnam Sucronensem Plutarchique locum: *ὁ δὲ Σερτώριος . . . . παραγαγὼν ἑσπέρας ἤδη συνέβαλε* fragmentum pertinere primus vidit Dietsch.

61. Neque inermos ex proelio viros quemquam agnoturum.

App. (II 64 D, 73 K, 47 G, I p. 598 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. IV 23. — Priscian. X (II p. 511). ‖ inermos] inermes *L, corr. in H,* inermis *corr. in R et K Prisciani.*

Comm. His verbis a duce aliquo milites fugientes ad pugnam revocatos esse cum appareat, auctore Debrossio eadem a Sertorio dicta esse conicio, qui proelio Sucronensi partem alteram exercitus iam recedentem brevi tamen cohortatus esse fertur, cf. Plut. c. 19: *καὶ τοὺς μὲν ἤδη τρεπομένους, τοὺς δὲ ἔτι μένοντας ἐν τάξει συναγαγὼν καὶ ἀναθαρρύνας ἐξ ὑπαρχῆς ἐνέβαλε τῷ Πομπηίῳ διώκοντι.*

62*. Communem habitum transgressus.

App. (Inc. 80 D, 46 K, 9 G, II p. 336 Br.) — Priscian. XIV (III p. 39).

Comm. Mithridatem hoc fragmento significatum esse vetat fr. II 77, neque enim bis eadem repetiisse Sallustius putandus est. Sed equidem neminem novi, quocum apte haec congruant, nisi ad militem illum Hispanum referam, a quo Pompeius pugna ad Sucronem facta vulneratus esse traditur, cf. Plut. Pomp. 19: *Πομπηίῳ δ' ἀνὴρ μέγας ἱππότῃ πεζὸς ἐφώρμησε κτλ.*

63*. Equo atque armis insignibus.

App. (Inc. 85 D, 53 K, 26 G, I p. 514, II p. 368 et 549 Br.) — Serv. ad Aen. X 539.

Comm. Fragmentum ad Plutarchi locum Pomp. 19: *οἱ γὰρ μετὰ Σερτωρίου Λίβυες ὡς ἔλαβον αὐτοῦ τὸν ἵππον χρυσῷ κεκοσμημένον καὶ φαλάρῳ ἀνάπλεων πολυτελῶν κτλ.* cadere mihi videtur, fortasse igitur *potiti sunt* vel simile quid supplendum est.

64*. Saguntini fide atque aerumnis incliti prae mortalibus, studio maiore quam opibus, quippe apud quos etiam tum semiruta moenia, domus intectae parietesque templorum ambusti manus Punicas ostentabant.

App. (II 21 D, 27 K, 60 G, I p. 605 Br.) — Hieronym. comm. in Habac. II 9.

Comm. Locum Sallustii celeberrimum legerunt Mela II 92: 'Saguntum illam *fide atque aerumnis inclutam*', Amm. Marc. XV 10, 10: 'Scipio Saguntinis *memorabilibus aerumnis et fide*', Plinius III 20: 'Saguntum oppidum *fide nobile*'.

65*. Saguntium.

App. (II 22 D, 28 K, 56 G, I p. 571 et 604 Br.) — Charis. p. 143: 'Saguntinorum Coelius, Saguntium Sallustius.'

Comm. Genetivus hic in Sagunti oppidi descriptione, ex qua fragmentum antecedens sumptum esse constat, lectus an ad Plutarchi c. 21: *ἐν δὲ τοῖς τῶν Σαγουντίνων πεδίοις κτλ.*, collocandus sit dubium maneat; neque ordo quidem fragmentorum, sive huc sive illuc id refers, mutatur.

66. Antequam regressus Sertorius instruere pugnae suos quiret.

App. (II 27 D, 33 K, 37 G, I p. 470 Br.) — Arus. p. 481. ‖ regressus] egressus *vulgo cum Lindemanno.* — quiret] que r^{h}etor *N, corr. Keil, om. vulgo.*

Comm. De eiusmodi pugna hoc fragmento agi videtur, qua Sertorius adversus Romanos profectus subito necopinansque proelium cum iis committere coactus sit. Sed haec rerum condicio congruit — quoad intelligere valemus — cum pugnae Saguntinae initiis, cf. Plut.: *εἰς τὰς ἐσχάτας ἀπορίας κατακεκλεικὼς τοὺς πολεμίους ἠναγκάσθη συμβαλεῖν αὐτοῖς καταβαίνουσιν ἐφ' ἁρπαγὴν καὶ σιτολογίαν.*

67. Avidis ita atque promptis ducibus, ut Metellus ictu tragulae sauciaretur.

App. (II 19 D, 25 K, 69 G, I p. 607 Br.) — Nonius IV p. 398. — Id. XVIII p. 553. — hist. lib. II *codd. priore,* hist. lib. III *posteriore*

loco. ‖ avidis ita atque] avidisque ita *codd. c. 4,* avidissimis atque *codd. c. 18, corr. Gerlach,* avidis ita promptisque *cum Guieto Kritz,* avidis atque ita *Dietsch,* avidis simul ita atque *L. Müller.*

Comm. Fragmentum pertinet ad Plut. c. 21: ὁ δὲ (scil. Metellus) πὰρ' ἡλικίαν ὑποστὰς καὶ περιφανῶς ἀγωνιζόμενος παίεται δόρατι.

68*. Sed Metellus in volnere.

App. (II 20 D, 26 K, 70 G, I p. 608 Br.) — Donat. ad Terent. Andr. II 1, 10. ‖ in volnere] in vulnere *vulgo in Donato,* inulpie *OD* (*fortasse* impie *esse correctum in O scripsit mihi Dziatzko*).

69. Haec postquam Varro in maius more rumorum audivit.

App. (II 70 D, 88 K, 42 G.) — Arus. p. 488. ‖ more] in ore *N, corr. Lindemann.*

Comm. M. Terentius Varro quonam modo in re bellica Sallustii historiarum libro secundo narrata commemorari potuerit, quaeritur: nempe de bellico quodam eventu agi apparet. — Atque Varronem pro quaestore Pompeii quondam fuisse nummis edocemur (cf. Babélon *Monnaies de la république Romaine II p. 343, p. 485*), quam rem Mommsenum secutus Babelo anno 49 factam, Eckhel Borghesiusque anno 67 belloque maritimo constituerunt; praetorem autem fuisse non ante annum 76 veri simile est. Minime vero ad annum a Mommseno propositum imago Varronis nummis expressa quadrare videtur, qua quadraginta annorum vir, non septuagenarius fere ostenditur, neque pro quaestore Pompeius fuit aut bello civili aut in expeditione piratica. Contra cum anno 76 vel 75 in bello aliquo partes egisse Varronem e fragmento hoc Sallustiano consequatur iisdemque annis Pompeius in Hispania bellaverit, bello Sertoriano Varronem interfuisse pro quaestore hancque ad aetatem spectare fragmentum, id quod divinavit quodammodo iam Dietsch, veri simillimum esse mihi quidem videtur. Accedit, quod proelio Saguntino Memmius, Pompeii quaestor, occisus est, cuius in locum Varronem successisse putaverim. Quare sic existimo, Varronem fuisse Pompeii legatum, deinde mortuo Memmio quaestura functum esse, insequentibus etiam annis num pro quaestore fuerit, incertum, sane rem a Sallustio hoc fragmento relatam ante annum 74 postque proelium Saguntinum accidisse. Ideo hunc fragmento locum assignandum putavi.

70. At Metellus in ulteriorem Hispaniam post 1
annum regressus magna gloria concurrentium undi-
que, virile et muliebre secus, omnium visebatur. Eum 2
quaestor C. Urbinus aliique cognita voluntate cum ad

cenam invitassent, ultra Romanum ac mortalium etiam morem curabant, exornatis aedibus per aulaea et insignia, scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis; simul croco sparsa humus et alia in modum
3 templi celeberrimi. Praeterea tum sedenti transenna demissum Victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruum coronam capiti imponebat, tum
4 venienti ture quasi deo supplicabatur. Toga picta plerumque amiculo erat accumbenti, epulae vero quaesitissimae, neque per omnem modo provinciam, sed trans maria ex Mauritania volucrum et ferarum incognita antea plura genera. Quis rebus aliquantam partem gloriae dempserat, maxime apud veteres et sanctos viros superba illa, gravia, indigna Romano imperio aestimantis.

App. (II 23 D, 29 K, 54 G, I p. 618 Br.). — Macrob. saturn. III 13. — *Praeterea testimonia:* 1. Nonii III p. 222: 'At Metellus .... visebatur.' — Prob. cathol. p. 21: 'virile ac muliebre secus.' — Charis. p. 80: 'unde et Sallustius virile secus dixit'. — 3. Non. II p. 180: 'Transenna .... imponebat.' — Id. IV p. 286: 'cum machinato .... imponebat.' — Serv. ad Aen. V 488: 'machinato strepitu transenna corona in caput imponebatur.' — hist. lib. III *codd. Nonii c. IV,* lib. II *recte Nonius c. II et III.* ‖ 1. At Metellus] ac *Bamb. Nonii, B Macrobii,* at *etiam F Nonii.* — concurrentium] *Nonius,* concurrentibus *Macrobius.* — et muliebre] *Macrobius, Nonius,* ac *Probus.* — omnium] *codd. Nonii Macrobiique,* domuum *coni. Quicherat,* concurrentibus .... omnibus *coni. Dietsch.* — 2. invitassent] *P, Kritz,* invitaverant *B, vulgo.* — ultra Romanum] Romanorum *vulgo.* — insignia] signa *ex Ciacconii coniectura Kritz.* — 3. demissum] *P, hoc habuerunt Valerius et Plutarchus excerptores,* dimissum *B, ita legit ipse Nonius.* — dimissum Victoriae simulacrum *post* strepitu *Nonius c. IV.* — capiti] *Nonius,* ei *Macrobius,* in caput *Servius.* — imponebat] *Macrobius, Nonius c. II,* imponebant *codd. Nonii c. IV,* corona .... imponebatur *Servius.* — 4. quaesitissimae] *B,* exquisitissimae *P.* — trans maria] transmarina *coni. Dietsch.* — plura] plurima *coni. Dietsch.*

Comm. Autummo anni 74 Metellus in ulteriorem provinciam revertit, ut hiemem ibi ageret; hoc igitur tempore res fragmento narratae evenerunt. Ex ipsis autem verbis *post annum regressus* intelligitur tempus, de quo Sallustius antecedentibus enuntiatis egit, annum esse 75, i. e. paullo post proelium Saguntinum; quod etiam confirmatur et Nonii testimoniis duobus, quibus secundus laudatur historiarum liber, et eo quem Plutarchus exhibet ordine.

CAPUT V.

Res Asiae, fr. 71—79; bellum Dardanicum, fr. 80 atque Isauricum, fr. 81—87.

Inest regionum ad Taurum sitarum descripto, fr. 82—87.

Enarratio.

Anni 75 aestate*) subito Nicomedes, rex Bithyniae amicus-
que populi Romani, 'mortuus est intestatus, pervenit ergo regnum
eius ad populum Romanum' (schol. Gronov. p. 437 Or.). At-
que quamquam filius regis, Nicomedes nomine, aderat 'Nysa,
quam reginam appellaverat, genitus haud dubie' (ep. Mithr. 9),
quem patris heredem regemque esse voluerunt Bithyni Pontici-
que, tamen hunc spurium iudicavere Romani et qui eorum
partes vindicabant (fr. 71). Itaque Bithyniam ab Ariobarzane, 71
Cappadociae rege, occupatam (schol. Gron. l. l.) in provinciae
mox formam redegere; quae res causam praebuit Mithridati belli
contra Romanos redintegrandi. Sed antequam belli initia ex-
ponuntur, brevi de Mithridate (fr. 72) eiusque genere a Dareo 72
Persa atque Artabaze oriundo (fr. 73) disseritur; et ipse (App. 73
Mithr. c. 112) *φονικὸς δὲ καὶ ὠμὸς ἐς πάντας ἦν* (fr. 74), 74
καὶ τὴν μητέρα ἔκτεινε (fr. 75) *καὶ τὸν ἀδελφὸν καὶ* 75
τῶν παίδων τρεῖς υἱοὺς καὶ τρεῖς θυγατέρας (fr. 76). *τὸ* 76
σῶμα δ' ἦν μέγας μέν, ὡς ὑποδεικνύουσιν, ὅσα ὅπλα
(fr. 77) *αὐτὸς ἔπεμψεν ἐς Νεμέαν τε καὶ Δελφούς, εὔρωστος* 77
δὲ ὡς μέχρι τέλους ἱππεῦσαί τε καὶ ἀκοντίσαι καὶ χίλια σταδία
τῆς ἡμέρας . . . . δραμεῖν. Sed Mithridatem L. Magius et
L. Fannius Mariani adulando permoverunt, ut cum Sertorio
foedus inire studeret (Plut. Sert. c. 23 usque ad *τῷ μεγίστῳ*
τῶν βασιλέων προσγενομένου). Itaque 'hi *transfugae de Va-*
leriano exercitu apud Mithridatem agentes (fr. 78) ab eodem 78
rege ad Sertorium missi erant de paciscenda societate belli
adversus Romanos, quos in Italia iam positos et ad Sertorium
festinantes et hostes iudicaverat et inquirendos mandaverat
senatus' (Ps. Ascon. ad Cic. Verr. II p. 183 Or.). Qui cum
Dianium pervenissent, cum Sertorio eiusque senatu de societate

*) De temporum ratione videas, quae in appendice III exposui.

egerunt: Mithridates Bithyniam ac Cappadociam acciperet et
Sertorium classe pecuniaque adiuvaret (Plut. Sert. c. 23).
79 Itaque legati redierunt (fr. 79) illisque condicionibus foedere
facto M. Marius, ut dux esset exercitus Mithridatici, in Asiam
a Sertorio missus est (Plut. c. 24).

80 Eodem anno 75 Curio Dardanos subiecit (fr. 80) et Moe-
siam inferiorem Romano addidit imperio.

Praeterea hoc anno Servilius bello Isaurico per triennium
gesto finem fecit. Etenim ille subacta Pamphylia Pisidiaque*)
Ciliciam aggressus brevi pacavit, qua in expeditione etiam Cory-
81 cum venit (fr. 81), dein per Taurum montem adversus Isauros
profectus est. Hoc vero loco situs illarum Asiae regionum
atque natura copiosius descripta est, velut de Tauro atque An-
82,83,84 titauro montibus (fr. 82), de Phrygia Cappadociaque (fr. 83, 84),
85, 86 de fera Isaurorum gente (fr. 85, 86) locutus esse Sallustius
videtur. Atque Servilius, postquam diu cum Isauris pugnavit,
Oroanda oppidum, dein Isauram Veterem averso flumine cepit,
brevi post etiam Isauram Novam caput gentis in deditionem
87 accepit (fr. 87). Ac tumultu inter deditos orto et brevi sedato
Servilius Romam rediit triumphatum.

*) Qua de re cf. lib. I p. 51.

Fragmenta.

71. Quos adversum multi ex Bithynia volentes accurrere falsum filium arguituri.

App. (II 48 D, 57 K, 94 G, II p. 38 Br.) — Prisc. X (II p. 505). || quos] quod *R Hertz, Dietsch.* — accurrere] accurre *G*, occurrere *B D.*

Comm. Voce *quos* dicti esse videntur, qui Romae pro Nicomede, Nicomedis Nysaeque filio, steterunt, fortasse ipsius iuvenis legati.

72*. Vir cum cura dicendus.

App. (I 7 G, I p. 253 Br., *cf. Wölfflin, Herm. IX p. 253.*) — Seneca de benef. IV 1, 1: 'Ex omnibus quae tractavimus .... potest videri nihil tam necessarium aut magis, ut ait Sallustius, cum cura dicendum quam quod in manibus est'; quocum conferas Senec. dial. I 5, 9: 'vir cum cura dicendus', ibid. IX 14, 10: 'magnus vir et cum cura dicendus'; Lamprid. Heliog. XXXV 2: 'Alexander optimus et cum cura dicendus'.

Comm. Debrossius ac Gerlach cum verba *magis cum cura dicendum* Sallustiana esse putarent inque prooemio ea disponerent,

Kritz huncque secutus Dietsch omnino e Sallustii verbis removerunt, Senecam locum Iugurth. c. 54 in animo habuisse rati (cf. Kritzii *prolegom. p. 39*). Contra recte Wölfflin (quod nuper repetivit Klebs *mus. Rhen. 43 p. 331*) evicit collatis et Senecae et aliorum locis a Sallustio *vir cum cura dicendus* scriptum esse. Idem e Velleii verbis nostri loci simillimis II 18: '*Mithridates .... vir* neque silendus *neque dicendus sine cura*' sagaciter conclusit hoc fragmento Mithridatem dictum esse. Quae si iure coniecta esse approbamus, initium fecisse his verbis Sallustium longioris de Mithridate eiusque genere enarrationis veri simile est.

73*. Ampel. c. 30, 5 'Ita Darius regnum obtinuit, a quo *Artabazes* originem ducit, *quem conditorem regni Mithridatis fuisse* confirmat Sallustius Crispus.'

App. (II 44 D, 53 K, III 32 G, II p. 2 Br.)

74. Ipse animi atrox.

App. (II 92 D, 93 K, 38 G, II p. 374 Br.) — Arus. p. 455.

Comm. Omnibus ex viris, qui libro secundo commemorati sunt, optime haec convenire cum Mithridatis ingenio, quod recte vidit iam Debrossius, confirmatur Appiani loco laudato.

75*. Sed Mithridates extrema pueritia regnum ingressus matre sua veneno interfecta.

App. (II 45 D, 54 K, III 33 G, II p. 8 Br.) — Serv. ad Aen. V 295.

76*. Schol. Gronov. ad Cic. de imp. Pomp. 22 (p. 439 Or.): 'Incongruum videtur exemplum, quod imperatori feminam comparat, sed ex omni parte quadrare monstratur: primum ex loco, quod Mithridates Ponticus fuit, ex facto, quod ut illa parricidium fecit, sic et iste auctore Sallustio *et fratrem et sororem occidit*; ad postremum comparans exitium.'

App. (II 46 D, 55 K, 33 G.) — *Postrema scholii verba* ad postremum e. q. s. *non pro fragmenti Sallustiani parte habenda, sed ipsi scholiastae tribuenda esse adversus miram priorum editorum opinionem iure docuit Jürges p. 37.*

77*. Mithridates corpore ingenti, perinde armatus.

App. (II 47 D, 56 K, III 34 G, II p. 12 Br.) — Quintil. inst. or. VIII 3, 82. ‖ perinde] proinde *AGM.* — armatus] animatus *coni. Lipsius et Douza.*

78. Ibi Fimbriana e seditione, qui regi per obsequentiam orationis et maxime odium Sullae graves carique erant.

App. (II 49 D, 58 K, 95 G, II p. 39 Br.) — Nonius III p. 215: ‘obsequentia feminino. Sallustius hist. lib. II’ e. q. s. ‖ Fimbriana e] fimbriane *LG*, fimbriana *H, vulgo, corr. Mercier.* — obsequentiam] obsequelam *codd., vulgo, cum contra Nonii lemma esset, iure correxit L. Müller.* — graves carique] *H* (*vocibus non distinctis*), scarique (*om.* grave) *LG*, grati *coni. Quicherat,* suaves *Dietsch.*

79*. Illi tertio mense pervenere in Pontum multo celerius spe Mithridatis.

App. (III 12 D, 9 K, 79 G, II p. 193 Br.) — Arus. p. 463. ‖ ‘Sall. hist. illo’ e. q. s. *N* (*om. libri numero*), hist. tertio: illo mense *coni. Hoeven.* — illi *corr. Carrio.*

Comm. De legatis Mithridatis ad Sertorium missis tumque redeuntibus accipienda esse verba Kritzio, qui Debrossii falsam de iisdem opinionem satis refutavit, nemo non concedet.

80. Eodem anno in Macedonia C. Curio principio veris cum omni exercitu profectus in Dardaniam, ⟨a⟩ quibus potuit, pecunias Appio dictas coegit.

App. (II 33 D, 41 K, 76 G, I p. 643, II p. 186 Br.) — Nonius IV p. 280. — lib. III *HGen.* ‖ in Macedonia] ex *coni. Dietsch.* — a] *inseruit L. Müller,* quibus potuit modis *Carrio, vulgo.* — Appio] appia *LHGen., om. G, corr. Roth.*

Comm. Fragmentum, quo Curio iam in Macedonia agere proficiscique in Dardaniam ostenditur, non ad primum proconsulatus annum, velut ad iter in provinciam factum seditionemque legionis Dyrrhachii inhibitam spectare apparet; et quoniam e secundo libro sumptum est, etiam de anno 75 agi sequitur. Praeterea e verbis *pecunias Appio dictas coegit* efficitur tum primum Curionem in Dardaniam venisse, anno autem antea Appium Claudium contra Dardanos bellasse. Itaque anno 76, eodem quo Appius mortuus est, in provinciam Curio transvectus est, dein vere anni 75, de quo hoc fragmento sermo est, res ab Appio in Dardania inceptas persequi studuit. Ideo hoc fragmento ea, quam contendi prolegom. p. 70, temporis ratio accuratissime confirmatur.

81. Iter vertit ad Corycum urbem inclitam portu atque nemore, in quo crocum gignitur.

App. (I 80 D, K, II 83 G, I p. 554 Br.) — Nonius III p. 202. — Schol. Bern. ad Georg. IV 182: ‘in qua cr. gignitur.’ — *Adde* Serv. (schol. Dan.) ad Georg. I 56: ‘⟨nam et crocum in Ci⟩licia apud Corycum nasci Sallustius ⟨meminit⟩.’ ‖ portu atque] partusque *F*, pastusque *F m. sec.,*

rell. codd., corr. Stowasser, quod epistula mecum benigne communicavit, specu atque *coni. Havercamp,* portu specu *Wagner.* — in quo] qua *schol. Bern.*

Comm. Iniuria editores excepto Gerlachio omnes fere primo libro fragmentum attribuerunt collato perperam fr. I 131, quo de altera illa urbe Coryco sive Attaleia dici supra monui. Ceterum cf. Curt. Ruf. III 10: 'monstrabantur urbium sedes, Lyrnessi et Thebes, Typhonis quoque specus et *Corycium nemus, ubi crocum gignitur.*' Idem rettulerunt Isidor. orig. XIV 3, 45 et Serv. ad Georg. IV 127, praeterea Strabo, Mela, Plinius.

82. Omnis, qui circum sunt, praeminent altitudine milium passuum duorum.

App. (II 85 D, 83 K, 50 G, II p. 260 Br.) — Arus. p. 503. ‖ praeminent] praeminet *coni. Keil post Lipsium.* — altitudine] *corr. ex* multitudine *in N.*

Comm. Montes sive cacumina montis alicuius, quae montes prope sitos omnes tantopere altitudine superant, in Tauri iugis esse Dietsch autumaverat; recte quidem, neque enim in terris libro secundo commemoratis, ne in Pyrenaeis quidem, montem tantae existere altitudinis puto, ad quem fragmentum aptum sit, nisi ille quem nunc '*Erdschias-Dagh*' Turci appellavere, ab Antitauro in occidentem porrectus. Sed et hoc et fragmento 84 consequi videtur de Tauro monte atque de regionibus vicinis, velut Cappadocia, Galatia, Isauria, Phrygia, plura Sallustium disseruisse; cuius digressionis optimam ei occasionem praebebat iter per Taurum a Servilio primo Romanorum factum.

83. Frugum pabulique laetus ager.

App. (II 91 D, 92 K, 84 G, II p. 193 et 229 Br.) — Arus. p. 490. — Serv. ad Aen. I 441. — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. XI 338. ‖ frugum] fructum *F schol. Verg. lib. XI.*

Comm. Fragmentum hoc, quo terrae alicuius condicio describitur, cum terrarum Tauro adiacentium descriptionem libro secundo interfuisse modo exposuerim, ad eandem pertinere veri simillimum est, sed ad Cappadociam Phrygiamne an forsitan ad Ciliciam spectet, nescimus.

84. Nisi qua flumen Clurda Tauro monte defluens.

App. (II 31 D, 38 K, 85 G, I p. 563 Br.) — Prisc. VI (II p. 202). ‖ qua] quia *codd., Kritz, corr. Corte.* — Clurda] clurdia *D,* durda *AH,* lurda *B,* Clurda *corr. Hertz collato Plinio V 108.*

Comm. Clurdam Phrygiae fluvium in Maeandrum influentem intelligendum esse ex Hertzii coniectura iisque quae Dietsch exposuit constat; quo vero conexu commemoratus sit, obscurum est. Fortasse, ut Dietschii utar sententia, cum antecedente fragmento

cohaeserunt haec verba eaque expressa erat sententia, Phrygiae fertiles esse agros, nisi qua Clurda fluvius paludes efficiat, simileve.

85. **Genus hominum vagum et rapinis suetum magis quam agrorum cultibus.**

App. (II 80 D, 78 K, 34 G.) — Arus. p. 510. ‖ vagum] vagi *N.*

Comm. Ad Pisidas fragmentum haud male rettulit Dietsch; equidem ego malim de Cilicum Isaurorumque praedonibus id intelligere, cum secundo libro vix de Pisidis, at certe de Isauris sermo fuerit.

†86. **Pocula et alias res aureas, diis sacrata instrumenta, convivio mercantur.**

App. (Inc. 88 D, 56 K, III 72 G, II p. 141 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. VIII 278. — Sallustius his sunt secundum pocula *F,* historiarum secundo *optime F. Schöll,* hi sunt qui secundum *Mascivius, vulgo,* hi sunt qui sine verecundia *Dietsch.* ‖ convivio] convivo *F, corr. Mascivius,* ad convivia *coni. Thilo.* — mercantur] mereantur *F, corr. Commelinus.*

Comm. Fragmentum quam ad rem spectet, haud facile est diiudicatu. Ac primum quidem res illae sacratae ab hominibus ad convivium coemptae nimirum raptae sunt; templa vero diripuisse iis temporibus, de quibus historiis agitur, imprimis praedones feruntur, cf. Plut. Pomp. c. 24. Neque miramur, quod homines barbari alienarumque religionum sectatores Graeca Italave deorum sacra contempserunt. Sed ii, qui a praedonibus haec mercati sunt, eiusdem generis gentisque homines fuisse videntur; in Cilicum autem Isaurorumque montibus castella urbesque praedones habebant, hinc ad maria vastanda prorumpebant, huc cum praeda reverterunt (cf. App. Mithr. c. 92). Secundi autem libri esse fragmentum cum egregia F. Schöllii coniectura demonstratum sit, ad Isaurorum descriptionem id pertinere iudicaverim.

A, 1 **87.** (*ad impetum omnia para*)re. Dein signo dato prae|cipiti iam secunda vigi|lia simul utrimque pugnam | occipiunt, magno tumul|tu primo eminus pe⟨r⟩ obs|curam noctem tela in in|certum iacien⟨te⟩s, post, ubi | Romani de industria non | tela neque clamorem redde|bant, perculsos formidi|ne aut de-

App. Fragmentum Aurelianense ed. Hauler, *Sitzungsber. der Wiener Akademie phil.-hist. Cl. vol. 113 (1886) p. 621, Anzeiger der Wiener Akad. 1886 p. 77, Wiener Studien IX p. 25,* Jordan, *Sall. op. ed. 3 p. 129; columnas 2 et 3 ed.* Hauler, *révue de philol. X p. 126; col. 3—4* Wölfflin, *Archiv für latein. Lexikogr. III p. 305. — E quattuor constat folii unius columnis, quod primum quaternionis fuisse videtur* (*v. supra p. 59*). *Emendationes, quae non ali viro docto nominatim adscribuntur, Haulero debentur.*

A. *Columna prima.* — 1. praecipiti] pre|cipiti *A.* — 6. *Nona decimaque littera* (TE), *item decima quinta* (A) *incertae.* — 7. incertum

sertam munitio|nem rati avide in fossas | et inde velocissimum ge|nus per vallum ⟨p⟩roperat. | At superstantes tum de|nique saxa, pila, sudes iacere | et multos prope egressos | comminus plagis aut om|ni re deturbare; qua repen|tina formidine pars ⟨in⟩ val|lo transfixa, alii super te‖la sua praecipitati, ruinaque | multorum fossae semiple|tae sunt, ceteris fuga tuta | fuit incerto noctis et me|tu insidiarum. Dein post | paucos dies egestate aquae co|acta deditio est, oppidum | incensum et cultores ve|numdati eoque terrore mox | Isaura Nova legati pacem | orantes venere obsides|que et iussa facturos promit|tebant. |

Igitur Servilius prudens | ferociae hostium, neque il|lis taedium belli, sed repen|tinam formidinem pacem suadere, ne de missione mu|tarent animos, quam pri|mum moenia eorum cum |· omnibus copiis accessit, mol|lia interim legatis osten|tans et deditionem cunc|tis praesentibus facilius con|venturam. Praeterea milites a p⟨o⟩pulationibus agro|rum et omni noxa reti|nebat; frumentum et a|lios commeatus oppidani | dabant ex eorum volun|tate; ne ⟨se⟩ suspectum habe|rent, castra in plano loca|verat. Deinde ex imperio | datis centum obsidibus u|bi perfugae, arma tormen|taque omnia poscebantur, | iuniores primum ex con|silio, deinde uti quisque | acciderat, per totam ur|bem maximo clamore tu|multum faciunt, neque se | arma neque socios, dum ‖ animae essent, proditu|ros firmabant. At

iacientes] in|ceptum iaciens *A.* — 12. rati] grati *A.* — 14. properat] *tertia decima evanida, quinta decima* O *vel* U, *corr. Mommsen.* — 15. at] ad *A.* — 19. *Secunda* I *vel* E, *tertia* R, *quarta* E *potius quam* F, *vel fortasse pro his duabus* B, *quinta sextaque veri simillime* DE, *fortasse etiam* PU, *septima certe* C, *decima* B *potius quam* S, omni re deturbare *Hauler,* omnibus pu⟨gnis in⟩cursare *C. Schenkl,* eminus telis deturbare *Hartel.* — 20. in] *addidi.*

B. *Columna secunda.* — 1. *Sexta* P *vel* T. — 2. *Duodevicesima* E *vel* I, semimpletae *Mommsen.* — 6. aquae] aq.(ue) *A.* — 9. venundati *A (sic).* — mox] mota *coni. Krüger.* — 11. orantes] morantes *A* (*praeced.* m). — 18. de missione] *scil. obsidum, quos missuros se esse Isauri promiserant. Contra* legatorum *subaudiverat antea Hauler, postea aut* post missionem *(sic!) interpretandum aut* de demissione *scribendum esse iussit;* demissione, *quod nostrum „Niedergeschlagenheit" esse accipiebat, vel* demissi prone *coni. Hartel,* dimissione *Wölfflin,* remissione *Bonnet.*

C. *Columna tertia.* — 4. praeterea] propterea *coni. Mommsen.* — 5. a populationibus] appellationibus *A, corr. Hartel (idem simul coniecerant Heerwagen atque Mommsen),* a praedationibus *Hauler.* — 6. noxa] noxam *A.* — 8. comeatus *A.* — 10. se *add. Heerwagen.* — 11. haberent] habe ret *A.* — 14. *Sexta decima* O *potius quam* U. — 18. *Quarta* I *potius quam* E, acceperat *Hartel,* accedebat *Bücheler (idem simul Heerwagen).* — totam] tutam *A.* — 21. dum a ‖ animae *A.*

illi qui|bus aetas imbellior et vetus|tat⟨e⟩ vis Romanorum mul|tum cognita erat, cupere | pacem, sed conscientia no|xarum metuere, ne datis | armis mox tamen extre|ma victis paterentur. In|ter quae trepida cunctis|que in unum tumultuose con|sultantibus Servilius fu|tilem deditionem ratus, | ni metus urgeret, de impro|viso montem, ex quo in | iuga oppidi teli coniec|tus erat, occupavit sacrum | Matri magnae; et in eo cre|debatur epulari diebus cer|tis dea, cuius erat de no|mine, exaudiri sonores . . . . .

D. *Columna quarta.* — 3. *Secunda tertiaque* (AE) *non certae.* — imbellior] ibellior *A, sed incertum* I *an* T *prima littera sit.* — 6. sed|et *A, cui fortasse* sed *a manu sec. superscriptum est,* et *Hauler,* set *Jordan.* — 10. extrema victis] victi *Hartel,* extremas vices *Jordan.* — 11. unum] uno *A, fortasse corr. iam manus sec.* — 12. Servilius] Serbilius *A.* — fut|tilem *A.* — 14. inproviso *A.* — 16. iuga] fugam *A, corr. Mommsen,* forum *coni. Hauler,* rugam (*cf. frc.* '*la rue*') *vel* infima *Bücheler,* terga *O. Hirschfeld,* fundam *Hartel,* fanum *Domaszewski,* in superiora *O. Friedrich.* — 19. *Decima quinta* D *potius quam* B *aut* P, excitari precibus *coni. Wölfflin.* — certis] dertis *A m. pr., corr. m. sec.* — 20. dea] deam *A m. pr.,* M *litteram punctis appositis delevit m. sec.* — de nomine] numine *coni. Wölfflin, Hartel,* nomine invocato *interpretatus est Hauler, equidem montem subiectum esse vocis* erat *habeam,* cui nomen erat de nomine deae. — 21. exaudiri] exauditi *coni. O. Hirschfeld.* — *Postrema ad verba num pertineat locus a Nonio laudatus* exaudirique sonus Bachanaliorum, *perdubium mihi videtur: qui Macrobii e testimonio tertio libro* (fr. III 31) *adscribitur.*

Comm. Proelium prima secundaque fragmenti columna enarratum tale esse, ut Isaurae Veteris incolae in Romanos obsidentes eruptionem facerent, putavit Hauler. Sed ita ortam esse pugnam existimo, ut et subsidia solvendae obsidionis causa profecta Romanos a tergo et ipsi oppidani a fronte adorti sint, quod Caesari Alesiam oppugnanti accidisse notum est. Etenim verbis *simul utrimque pugnam occipiunt* non Romanos contineri insequenti narratione efficitur, dictus igitur est uterque Isaurorum exercitus. Idem sequitur verbis *ceteris fuga tuta fuit incerto noctis et metu insidiarum,* quae de oppidanis dici non posse per se intelligitur.

De Isaurae Veteris obsidione agere etiam Frontinum III 7, 1 proleg. (fasc. I) p. 69 contendi. At eundem locum, quo Servilius flumine averso hostes ad deditionem siti compulisse narratur, Hauler ad Isaurae Novae expugnationem rettulit, Sterreti Angli testimonio commotus, qui Isauram Veterem in monte alto, cui nunc '*Assar Dagh*' nomen fertur, sitam duobusque fontibus praeditam tali modo capi posse negavit; neque enim, qui praeterflueret, fluvium altissimum omnino derivari posse. Contra quadrare rem ad flumina duo, inter quae nova urbs sita esset, exposuit. Attamen mirum fore casum iudicarem, si utrumque oppidum simillimo modo 'egestate

aquae' quam et Sallustius et Frontinus referunt, expugnatum esset; atque unde explicatur illa egestas aquae a Sallustio col. B, 6 dicta? Accedit, quod tumultui oppidanorum quarta columna commemorato alteram denuo obsidionem aversionemque fluminis et alteram urbis deditionem successisse minime credi potest; iam cepit Servilius locum superiorem, possidet iam muros, tenet obsides: itaque tumultum illum brevissimo profligasse putaverim; neque omnino res, quas Hauler narrari postulat, duorum foliorum spatium capit. Itaque sic statuamus, Frontinum aeque ac Sallustium narrasse Isauram Veterem averso flumine expugnatam esse. Quod falsum esse cum e regionis natura intelligamus, Sallustium ex ignorantia locorum hic, sicuti saepius, falsa tradidisse libenter largimur.

CAPUT VI.*)

Res in Hispania sub finem anni 75 gestae, fr. 88—98.

Enarratio.

In Hispania autumno anni 75 fractae antea contusaeque
fere Sertorii res rursus invalescere coeperunt; etenim evitatis
maioribus proeliis, Romanos insidiis magis ac latrocinio (fr. 88) 88
aggressus commeatum iis interclusit; Plut. Sert. c. 21: *καὶ
πάλιν ἐπῄει πολὺς γεγονὼς καὶ περιέκοπτεν αὐτῶν τὴν μὲν ἀπὸ
τῆς γῆς εὐπορίαν ἐνέδραις καὶ κυκλώσεσι καὶ τῷ πανταχόσε
φοιτᾶν ὀξὺς ἐπιών* (fr. 89), *τὰ δ' ἐκ θαλάττης ληστρι-* 89
κοῖς σκάφεσι κατέχων (fr. 90) *τὴν παραλίαν, ὥστε ἠναγκά-* 90
*σθησαν οἱ στρατηγοὶ διαλυθέντες ὁ μὲν εἰς Γαλατίαν ἀπελ-
θεῖν* (scil. Metellus), Pompeius vero in Vaccaeorum finibus
oppida aliqua expugnare studuit (fr. 91, 92), tamen appropin- 91, 92
quante Sertorio et illius metu et omnium rerum inopia abs-
cedere coactus est (fr. 93). Metellus iam antea in Galliam 93
hiematum abierat, Titurius legatus in Celtiberia mansit (fr. 94, 94
95), ipse Pompeius in Vasconum finibus hiemem agere consti- 95
tuit. Atque ibi interceptis ab Hispanis commeatibus (fr. 96) 96
totaque iam dudum consumpta re familiari (fr. 97) senatum, 97
ut auxilia pecuniamque sibi mitteret, acerba epistula admonuit
(fr. 98). 98

*) Et Isauros subiectos et res fr. 88—91 narratas uno codicis illius nunc rescripti folio contineri supra monui.

Fragmenta.

88. Genus militum suetum a pueritia latrociniis.

App. (II 67 D, 77 K, 33 G, I p. 472, 495, II p. 265 Br.) — Arus. p. 510.

Comm. Hispanos his verbis dictos esse primus vidit Kritz, etenim Sertorius (Plut. Sert. c. 14) *ἀντὶ ληστηρίου μεγάλου στρατὸν ἐποιεῖτο τὴν δύναμιν.* Illo autem tempore ad insidias latrociniaque rursus iisdem usus est Sertorius.

89. Noctu diuque stationes et vigilias temptare.

App. (II 54 D, 63 K, 45 G, I p. 509 Br.) — Charis. p. 207.

Comm. Ad Sertorium hoc fragmentum spectare post Debrossium suspicatus est Kritz, recte quidem, cum talem belli gerendi rationem Sertorium anni 75 autumno exercuisse e Plutarchi loco modo laudato constet.

90. Ad hoc pauca piratica, actuaria navigia.

App. (II 56 D, 65 K, 87 G, II p. 351 Br.) — Nonius XIII p. 535. ‖ piratica] piraticae *codd.*, piratica et *coni. Mähly.*

Comm. Piraticae naves cum secundo libro commemorentur, Sertorii eae fuisse videntur, quarum contra Romanos usum eum habuisse Plutarchus narrat.

91. Neque virgines nuptum a parentibus mittebantur, sed ipsae belli promptissimos deligebant.

App. (II 13 D, 18 K, 27 G, I p. 585 Br.) — Arus. p. 503. ‖ mittebantur] promittebantur *coni. Ursinus,* conlocabantur *Dietsch.* — deligebant] diligebant *Lindemann.*

Comm. Feminas adeo belli amantes Hispanas fuisse ex insequentis fragmenti initio verbisque a Servio laudatis iam Debrossius conclusit. Sed quod coniecerunt editores initio fere libri secundi plenius Sallustium de Hispanorum moribus exposuisse, id reperto Aurelianensi fragmento minus comprobatum est. — Etenim cum utroque fragmento de feminis tantum agatur feminaeque in oppugnatione oppidi illius, de qua fr. 92 refertur, insignes gesserint partes, non nisi de una hac gente vel de eius feminis Sallustium locutum hic esse crediderim. Neque omnino hoc loco temporeque accuratioris universae Hispaniae descriptionis occasio erat.

92. ⟨A matribus parentum facino⟩ra militaria viri⟨s memora⟩|bantur in bellum a⟨ut ad la⟩|trocinia pergent⟨ibus, ubi il⟩|lorum fortia facta ⟨ca⟩|nebant. Eo postqua⟨m Pom⟩peius infenso exer⟨citu⟩ | adven-

tare comper⟨tus⟩ | est, maioribus natu p⟨acem⟩ | et iussa uti faceren⟨t sua⟩|dentibus, ubi nihil ab⟨nu⟩|endo proficiunt, se⟨para⟩|tae a viris arma cep⟨ere et⟩ | occupato prope Meo⟨rigam⟩(?) | quam tutissimo loc⟨o ill⟩|os testabantur ino⟨pes pa⟩|triae parientumque ⟨et⟩ | libertatis, eoque uber⟨a⟩, | partus et cetera mul⟨ierum⟩ munia viris mane⟨re⟩. | Quis rebus accensa iu⟨ven⟩|tus decreta senior⟨um aspernata⟩ ....

App. Fragmentum Aurelianense *ed.* Hauler, *Sitzungsberichte der Wiener Akad. vol. 113 (1886) p. 641, Wiener Studien IX p. 30, Anzeiger der Wiener Akad. 1886 p. 81,* Jordan *Sall. op. ed. 3 p. 131. — Prima columna partim abscissa folii unius, eiusque 'in quaternione tertii. — Praeterea cf. testim.* Serv. ad Aen. X 281: 'Et secutus Sallustium hoc dixit, qui ait Hispanorum fuisse, ut in bella euntibus iuvenibus parentum facta memorarentur a matribus.' ‖ 3. *Ultima littera* T *aut* I. — ubi] *supplevi,* qui illorum *Hauler, sed tum* canerent *expectares,* quae *Jordan, sed viros dictos esse recte edocuit Hauler.* — 5. eo] ea *A, Hauler, correxi,* eae *Jordan.* — 6. *Octava* F *potius quam* T. — 10. abnuendo] admonendo *coni. Hartel.* — 12. et] *addidi; post* capere *Hauler, post* loco *Jordan interpunxit.* — 13. *Tertia decima* E *potius quam* I, *postrema* O, Q, C *vel* G. Meorigae *Vaccaeorum oppidi nomen ex Ptolem. II 6, 49 Hauler restituere conatus est.* — 14. *Postrema littera* G *potius quam* C. — illos] *propter spatium scripsi,* eos *suppl. Hauler.* — 16. parientumque] pariuntumque *A.* — 17. *Postrema fortasse* N, M, D *vel* R, *anterior certe* I; eoque ubinam *edidit Hauler,* ubera *bene coni. Hartel,* locoque ubi nunc *Wölfflin;* eoque, *quod eadem qua* quoque *significatione usurpatum Haulero visum est, ego equidem* ea re *vel* quare *interpretari malim.* — 18. *Postremae litterae* L *hasta extat, suppl. Wölfflin.* — 19. viris] viros *coni. Hartel.* — manere] manerent *suppl. Wölfflin.* — 21. *Postremae* U *hasta restat.*

93. (*oppidani promiserunt, ... dierum*) ⟨mora⟩ interposita si exemp|⟨ti ob⟩sidione forent, fide | ⟨soci⟩etatem acturos; nam | ⟨ant⟩ea inter illum Pom|⟨peiu⟩mque fluxa pace dubi|⟨tav⟩erant. Tum Romanus | ⟨exe⟩rcitus frumenti gra|⟨tia⟩ remotus in Vascones | ⟨est it⟩emque Sertorius mo|⟨vit s⟩e, cuius multum in|⟨terer⟩at, ne ei perinde Asiae | ⟨Galli⟩aeque vad[eren]t e facultate. | ⟨Pom⟩peius aliquot dies | ⟨cas⟩tra stativa habuit, | ⟨mo⟩dica valle disiunctis | ⟨ab eo⟩ hostibus, neque propin|⟨quae⟩ civitates Mutudurei | ⟨et ....⟩ eores hunc aut illum | ⟨com⟩meatibus iuvere: fames | ⟨am⟩bos fatigavit. Dein ta|⟨me⟩n Pompeius quadrato (*agmine procedit*) ....

App. Fragmentum Aurelianense (*vd. fr. 92*). *Eiusdem constat e folii columna quarta.* ‖ 1. mora] *suppl. Wölfflin.* — *Tertia decima littera*

I, E *aut* T. — 2. fide] fidem *A.* — 3. *Prima veri simillime* E, *secunda* I *aut* T. — 4. *Prima* E *aut* T, cuncta *suppl. Wölfflin.* — 7. 8. *Primarum cuiusque* R *lineae extant.* — gratia] *suppl. Wölfflin.* — 9. est itemque] *suppl. Wölfflin.* — movit se] mon ... *A, corr. Hauler.* — 10. *Post* E *fortasse a manu sec.* T *adiectum est. An scribendum est:* itemque Sertorius monitus *(scilicet rebus antea gestis)* et cuius multum intererat? — 11. *Prima secundaque* AT *vel* AI, *vix* M. — Galliaeque vaderent] *conieci,* atque vadi e facultate *A,* ne ei periret Asiae spes *Hartel,* perinde Asiae [iter ut Italiae interclude]retur *Hauler, totum versum excidisse ratus, uterque vero a voce* atque *novum incipiens enuntiatum. Quae ipse scripsi, non multum a codicis memoria recedunt, illud vero, quod Pompeius* vadi e facultate *moratus esse dicitur, probari mihi non potest; immo, si vadum habuisset, celeriter abiisset;* aquandi e facultate *coni. Wölfflin.* — 13. *Primae* M *hasta superest.* — aliquot] aliquod *A.* — 15. *Prima* D *potius quam* O *vel* Q. — 16. ab eo] *suppl. Wölfflin.* — 18. *Prima* E *potius quam* T. — 19. *Primae* M *hasta reliqua est.*

Comm. Res agi videtur in Vaccaeorum finibus; etenim hos indicat et Meorigae oppidi nomen, dummodo recte suppletum sit, et quod postea Pompeius ad Galliam oramque maritimam versus profectus ad Vascones pervenit; accedit quod de illius regionis oppidis, velut Clunia, paulo antea pugnatum esse constat. Pompeius igitur urbem illam acriter defensam aggressus mox Sertorio adveniente obsidionem solvit et in hiberna recessit. Ceterum quod Plutarchus tradit Pompeium περὶ Οὐακκαίους διαχειμάσαι, errori tribuendum erit, inde fortasse explicando, quod ubi a Metello discessit, sane primum in Vaccaeos, ut videtur, profectus est.

94. Titurium legatum cum cohortibus quindecim in Celtiberia hiemem agere iussit praesidentem socios.

App. (II 28 D, 34 K, 52 G.) — Arus. p. 498.

Comm. A Pompeio Titurium missum esse veri simile est, quoniam Metelli exercitus Hispania plane excessit et in Gallia hiemavit. — Ceterum res fr. 94—97 narratae in codice Sallustiano antiquo sex columnas dimidiamque foliorum paris in quaternione medii complexae sunt: restant una et dimidia columna, in quibus initium epistulae Pompeianae scriptum fuisse facile emetiaris.

95. Ii saltibus occupatis Termestinorum agros invasere frumentique ex inopia gravi satias facta.

App. (II 29 D, 35 K, 98 G, II p. 77 Br.) — Nonius II p. 172. ‖ ii] in *codd. (etiam F), corr. L. Müller,* hi *Junius,* his *Mercier.* — Termestinorum] tmextrinorum *L,* externorum *F,* termextrinorum *F man. sec.,* terme — extrimorum agros externorum *H,* tamen externorum *G, L man. sec., corr. in H,* Termestinorum *restituit Lipsius.*

Comm. Cum Termestini usque ad postrema belli Sertoriani tempora a Sertorii partibus steterint, deinde ex *inopia gravi* hoc fragmento dicta sequitur eos, qui in agros invaserunt, milites fuisse Romanos. Ac Pompeiani quidem fuerunt, quoniam Metellus eo de

quo agitur tempore hac in regione non iam bellavit; fortasse autem ipsius Titurii legati cohortes significatae sunt, namque inde a Vaccaeis Vasconibusque in medios Celtiberiae populos proficiscenti prope Termestinos iter faciendum est.

96. Multique commeatus interierant insidiis latronum.

App. (II 51 D, 48 K, 96 G, I p. 621 Br.) — Nonius VI p. 449. ‖ multique] multisque *ed. L. Müller, quod nescio typographi mendum coniecturane sit.* — interierant] interfecti erant *corr. Douza.*

Comm. Non urbi Romae a praedonibus, quod voluit Kritz, sed Pompeiano exercitui commeatus a latronibus demptos esse recte Dietsch ex usu vocis latronis comprobavit.

97. Argentum mutuum arcessivit.

App. (II 72 D, 94 K, 58 G, I p. 398, 446 Br.) — Priscian. X (II p. 534).

Comm. Alienum aes ad exercitum alendum se contraxisse ipse testatur Pompeius ep. 9: 'ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem consumpsi.' Quare quin hoc fragmento Pompeius dictus sit, non est dubium.

98. Epistula Cn. Pompei ad senatum.

'Si adversus vos patriamque et deos penatis tot labores 1
et pericula suscepissem, quotiens a prima adulescentia ductu meo scelestissimi hostes fusi et vobis salus quaesita est, nihil amplius in absentem me statuissetis, quam adhuc agitis, patres conscripti, quem contra aetatem proiectum ad bellum saevissimum cum exercitu optime merito, quantum est in vobis, fame, miserrima omnium morte, confecistis. Hacine spe populus Ro- 2
manus liberos suos ad bellum misit? Haec sunt praemia pro volneribus et totiens ob rem publicam fuso sanguine? Fessus scribendo mittendoque legatos omnis opes et spes privatas meas consumpsi, cum interim a vobis per triennium vix annuus sumptus datus est!

Per deos immortalis, utrum censetis vicem me aerari prae- 3
stare an exercitum sine frumento et stipendio habere posse? (A)

Testimonium: 3. Diomedes p. 366: Sallustius secundo ait: 'utrum vicem me aerari praestare creditis.'

App. (II 96 D, III 1 K, p. 103 G, II p. 72 Br., Jordan *Sall. ed. 3 p. 118.*) — 2. hacine spe] *sic V.* — volneribus] *sic V.*

3. aerari] *V Sall.*, eram *M, A m. pr. Diomedis, qui etiam* aerari *legisse videtur.* — censetis vicem me] me vicem *V,* vicem me ... creditis *Diomedes. Inde ab* exercitum sine frumento *fragmenti Aurelia-*

4 Equidem fateor me ad hoc bellum maiore studio quam con-
silio profectum, quippe qui nomine modo imperi a vobis
accepto diebus quadraginta exercitum paravi hostisque in cervi-
cibus iam Italiae agentis ab Alpibus in Hispaniam summovi;
per eas iter aliud atque Hannibal nobis oportunius patefeci.
5 Recepi Galliam, Pyrenaeum, Lacetaniam, Indicetes et primum
impetum Sertorii victoris novis militibus et multo paucioribus
sustinui hiememque castris inter saevissimos hostis, non per
(B) 6 oppida | neque ex ambitione mea egi. Quid deinde proelia
aut expeditiones hibernas, oppida excisa aut recepta enumerem?
Quando res plus valet quam verba: castra hostium apud Su-
cronem capta et proelium apud flumen Turiam et dux hostium
C. Herennius cum urbe Valentia et exercitu deleti satis clara
vobis sunt: pro quis, o grati patres, egestatem et famem red-
7 ditis! Itaque meo et hostium exercitui par condicio est; nam-
que stipendium neutri datur, victor uterque in Italiam venire
8 potest. Quod ego vos moneo quaesoque, ut animadvertatis
(C) 9 neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere. Hispaniam
citeriorem, quae non ab hostibus tenetur, nos aut Sertorius ad
internecionem vastavimus praeter maritimas civitates, ultro
nobis sumptui onerique; Gallia superiore anno Metelli exerci-
tum stipendio frumentoque aluit et nunc malis fructibus ipsa
vix agitat; ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem

---

nensis incipit folium in quaternione sextum, quod idem cum fr. 92 et 93 cohaeret, ed. Hauler, *révue de philol. X p. 122, Wiener Studien IX p. 31, quartam praeterea huius folii columnam ed. idem in Sitzungsber. d. Wien. Akad. phil.-hist. Cl. vol. 113 (1886) p. 659, Anzeiger d. Wiener Akad. 1886 p. 82,* Jordan *Sall. ed. 3 p. 132.*

4. imperi] *A,* imperii *V.* — cervicibus] cervibus *A.* — Italiae] Intaliae *A.* — agentis] *V,* agentes *A.* — nobis] novis *A.* — patefeci e. q. s.] tefeci recepi Galliam *syllabas om. A.*

5. Lacetaniam] Iacetaniam *Hübner, Jordan,* Laletaniam *Carrio, sed cf. Strabon. III 4, 10 (p. 161), Plin. III 21.* — Indicetes] Indigetis *V,* Indigetes *potius quam* Indigetis *A, cf. Philipps, Sitzungsber. d. Wien. Akad. phil. hist. Cl. vol. 67 (1871) p. 762.* — Sertorii] Sortorii *A.* — novis] nobis *A.* — sustinui] sustinuit *A,* substinui *V.* — hostis] *A,* hostes *V.* — ambitione mea] *V,* ambitionem *A,* mea *om. Hauler.*

6. apud] aput *bis A.* — Turiam] Durium *A V, corr. Ursinus.* — exercitu] exercitus *A.* — vobis] *V,* nobis *A.* — quis] quois *A.*

9. quae] *om. A,* qua *coni. Dietsch.* — vastavimus] vastabimus *A.* — maritimas] maritumas *V.* — onerique] onorique *V,* aerique sunt *A,* quae *ante* ultro *add. Aldus,* ulterior *coni. Schöne,* onerique sunt *Hauler, at talis appositio Sallustiano in sermone nihil habet, quo offendamur.* — agitat] agitate *A.* — non] *om. A,* neque ego *coni. Hauler.* — fam miliarem *sic A.* — etiam] *om.* A.

consumpsi. Reliqui vos estis: qui nisi subvenitis, invito et praedicente me exercitus hinc et cum eo omne bellum Hispaniae in Italiam transgradien|tur.' (D)

Hae litterae principio sequen|tis anni recitatae in sena|tu. Sed consules decretas | a patribus provincias in|ter se paravere: Cotta Gal|liam citeriorem habuit, | Ciliciam Octavius. Dein | proximi consules L. Lu|cullus et M. Cotta litteris | nuntiisque Pompei gravi|ter perculsi cum summae | rei gratia tum, ne exerci|tu in Italiam deducto neque | laus sua neque dignitas | esset, omni modo stipen|dium ⟨e⟩t supplementum pa|ravere, adnitente maxi|me nobilitate, cuius pleri|que iam tum lingua ferociam | suam et dicta factis seque|⟨bantur⟩.

---

10. nisi] nise *A*. — invito] etvito *A*. — praedicente] predicente *A*. — hinc] hic *A, corr. fortasse man. sec.* — Italiam] Italia *A man. pr.* — transgradientur] *sic A,* transgredientur *V*.

Columna quarta. — 3. recitatae] recitate *A*. — 4. sed] set *A*. — 6. paravere] partivere *coni. Wölfflin.* — 7. citeriorem] ulteriorem *coni. Hauler, confundens, credam, annos 74 et 73.* — 9. proximi] proxumi *A*. — 11. Pompei] *sic A*. — 12. summae] summe *A*. — 17. *Quinta* (E) *evanuit.* — supplementem] suplementum *A*. — 21. *Postremae incertae, aut* Q˜E *aut* Q·E (que e) *aut* M *lectae sunt,* sequebantur *optime suppl. Hauler.*

Fragmenta incerta, fr. 99—114.

Incertum quonam fuerit argumento fr. 52, deinde obscurum quam ad rem spectet etiam fr. 42 initium est, sed utriusque fragmenti certa quodammodo sedes putanda est. Ex iis quae secuntur fragmentis

ad *res bello ac pugnis gestas* spectant fr. 99—105,
deinde *de obsidionibus* quibusdam agi videtur fr. 106—108,
denique *ignoti argumenti* obscuraque sunt fr. 109—114.

99. Parte legio⟨num⟩ flumen transducta castra dilatavit.

App. (II 57 D, 66 K, 48 G.) — Arus. p. 513. ‖ Parte legionum] parco legio *N*, parva *coni. Kritz,* Pario *Gerlach,* ponte, pontone, parone *vel* barca *Dietsch,* parte legionis *Keil,* legionum *malui. Ipsam legionem dilatasse castra a Sallustio dictum esse minus veri simile videtur, quoniam talium semper fere rerum auctor imperator appellari solet; quare abiectis ceterorum coniecturis Keilium fere secutus sum.*

100. Suos equites hortatus vado transmisit.

App. (II 62 D, 71 K, 49 G, I p. 471 Br.) — Arus. p. 513.

101. Ictu eorum, qui in flumen ⟨se⟩ ruebant, necabantur.

App. (II 63 D, 72 K, 71 G, I p. 471 Br.) — Donat. ad Terent. Adelph. III 2, 21: 'Ruere activam vim habet. Salustius in secundo e. q. s. . . . ruere enim est toto corpore uti ad impellendum, quod faciunt, qui ipsi praecipites alios prosternunt.' ‖ in flumen se] in flumen *O, idem coniecerat antea Dietsch,* se *addidi ex iis, quae Donatus ad locum Sallustianum adnotavit,* in flumine *D, vulgo.* — ruebant] *O, vulgo,* ruebantur *D.*

Comm. Ad pugnam Valentiae factam haec spectare conicere possis, cum fragmenti recorderis II 54, quo iuxta ipsum flumen Turiam tum pugnatum esse efficitur. Quod vero in fluvio magna pars militum interiisse narratur, bene convenit cum proelio illo, quo decem milia hominum perdidisse Perperna a Plutarcho refertur. Attamen cum plura singulaque de pugna Valentiana memorata non sint et rem, qualis fragmento hoc describitur, etiam aliis in proeliis accidisse haud abnuendum sit, velut ad Sucronem fluvium proeliove Turiensi vel certe alio bello secundo libro narrato, inter incerta hoc fragmentum seponere malui.

102. Neque subsidiis, uti soluerat, compositis.

App. (II 55 D, 64 K, 48 G, II p. 468 Br.) — Prisc. IX (II p. 489).

103. Ille festinat subsidiis principes augere et densere frontem.

App. (II 59 D, 68 K, 100 G, II p. 550 Br.) — Eutych. p. 482. ‖ festinat] *om. P.* — densere] densare *P.* — frontem] fontem *codd.*

104. Terror hostibus et fiducia suis incessit.

App. (II 60 D, 69 K, 41 G.) — Arus. p. 488. ‖ et] es *N,* et *Heinsius, quod iam in Perizoniano extat codice, om. Keil,* ex fiducia sui *Lindemann, vulgo.*

105. Circumventis dextera nuda ferrum, saxa aut quid tale capita adfligebant.

App. (II 61 D, 70 K, I p. 637 Br.) — Arus. p. 456: 'adflictus illam rem, Sal. hist. III . . . . idem hist. II.' e. q. s. ‖ circumventis] circumventi *vulgo,* circumventus *coni. Keil.* — dextera] *sic N,* a dextera *Lindemann, vulgo.* — ferrum saxa aut quid tale] ferrum erat saxa aut quid tale *N,* unde ferrum erat *Lindemann,* nuda ferro erat *Cassel,* erat *glossema (vel dittographiam potius) iure seclusit Dietsch,* ferro saxo aliis telis *coni. idem audacter,* ferramenta etc. *Keil.* — capita] capit *N.* — adfligebant] adfligebantur *Dietsch,* circumventus . . . . adfligebat *Keil.* — *Si ad Arusiani lemma verba conformare cum Dietschio velimus, accusativos* ferrum, saxa *tolerare nequeamus nimiumque a codicis memoria recedere cogamur; quare non tam bene congruere Arusiani lemma et exemplum praefero; eos vero, qui circumventi sunt, ab hostibus saxis ferroque oppressos esse, non aggredientes ab circumventis, id quod vulgo putatur, ex similium rerum natura historiaque consequi mihi videtur.*

106. E muris panis sportis demittebant.

App. (II 53 D, 60 K, 91 G, II p. 57 et 92 Br.) — Nonius II p. 177. panis] canes *codd. (etiam F), corr. Mähly, etenim ad sportas soli panes quadrare videntur;* cives *Lipsius,* clam se *Wagner,* arenas *vel* caena *coni. Dietsch.* — sportis] spartis *coni. Kritz contra Nonii lemma.* — demittebant] dimittebant *codd. (etiam F), corr. Aldus.*

107. Murum ab angulo dexteri lateris ad paludem haud procul remotam duxit.

App. (II 68 D, 82 K, 67 G, II p. 104 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. I 423.

108. Moenibus deturbat.

App. (II 75 D, 100 K, 65 G, II p. 104.) — Nonius II p. 101.

109. Ne illa tauro paria sint.

App. (II 9 D, 14 K, 6 G, I p. 495 Br.) — Donat. ad Terent. Andr. IV 2, 23. ‖ paria sint] *D,* paria sunt *O,* parias inte *P.*

Comm. Priorum opinionem editorum, qui tauri mentione decepti de Corsica insula a Liguribus detecta fragmentum dictum esse intellexerunt, satis refutavit Dietsch; sane agi videtur de bestiarum aliquo genere, quod aut in Hispaniae aut in Asiae minoris aut in Sardiniae descriptione appellatum esse conicere liceat.

110. Omnia sacrata corpora in ratis imposuisse.

App. (II 65 D, 74 K, 88 G, II p. 116 Br.) — Arus. p. 483. ‖ sacrata corpora] sauciata *coni. Dietsch,* sacrata pecora *Wölfflin sed cf. fr. I 98.*

Comm. De hominibus e patria emigrantibus (velut de Troianis) vel de incolis hostem effugientibus hoc loco agi conicere possis.

111. Ita fiducia quam argumentis purgatiores dimittuntur.

App. (II 89 D, 87 K, 62 G, I p. 267 Br.) — Nonius IV p. 310. — Donat. ad Terent. Hecyr. IV, 1, 13. — Id. ad Phorm. I 4, 28. — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. II 61. ‖ argumentis] argentis *C schol. Verg.* — quam] *post* argumentis *repetit O Don. ad Phorm.* — purgatiores] purgationes *B, Gen., H Nonii.* — dimittuntur] *littera* d. *abbrev. O Don. ad Hecyram.*

112. Obviam fuere.

App. (II 74 D, 95 K, 32 G, I p. 597 et 603 Br.) — Charis. p. 209.

113. Audaciter.

App. (II 78 D, 101 K, 64 G.) — Prisc. XV (III p. 76).

114. Et Poeni ferunt adversus . . . .

App. (II 84 D, 90 K, 63 G, I p. 446 Br.) — Donat. ad Terent. Phorm. I 3, 19. ‖ Poeni] poni *OD*. — ferunt] fere *D*, *ed. pr.*, feř *O*. — *Post* adversus *quattuor laudavit voces Donatus in libris ita abbreviatas* a. n. c. m., *quae ut supplerem mihi quidem non contigit.*

Comm. Poenorum commemorandorum locus Sallustio datus erat, et ubi de Sardiniae antiquitatibus (cf. fr. 5) et cum de Carthaginis Novae historia referebat (fr. 56 et 57).

LIBER III.

ARGUMENTUM.

Tertio libro initium fecisse Sallustium enarrandi a maritima M. Antonii expeditione ex Aurelianensis fragmenti fine sequitur (vid. supra p. 59), dein statim bellum Cretense successisse consentaneum est. Mox cum res anni 74 urbanae una cum eiusdem anni consulibus (cf. fr. II 98, D) commemoratae esse nequeant (neque enim spatio unius folii inter fr. II 98 et III 5 reliquo eas contineri crediderim), bello piratico easdem continuo successisse necesse est; quibus adnexas esse res puto bello Mithridatico anno 74 hiemeque 73 gestas; namque etiam apud Plutarchum Luc. c. 7 utrumque arte cohaeret, in utraque vero re praecipue de eodem homine, L. Lucullo, agitur; itaque haec *secundo capite* congessi. Sed finem fecisse libri opinor et exitum belli Sertoriani et tumultus gladiatorios, quoniam et illud bellum ad ipsum annum 72 decurrit et fugitivorum quoque res anno 72 usque ad M. Crassi imperium gestas hoc libro contineri docemur fr. 108; subsecutum autem esse bellum Spartacium Sertorii morti ex ordine, quo apud Appianum ea referuntur, concludere licet. Medio igitur libro restant imprimis ea, quae contra Mithridatem anno 73 gesta sunt, dein minores quaedam res, quae ex annis 74 et 73 memorandae erant, Hispanienses, Macedonicae, Thracicaeque et urbanae, quibus in enarrandis temporis maxime ordinem sequi praestat. Quare primum *capitis tertii* obtinet locum bellum Hispaniense; hoc vero, cum Plutarchus Sert. c. 24 et 25 plane omiserit duos hos annos ac statim de anno 72 referat, eodem conexu apud Sallustium extitisse veri simile est; tum ex anno 73 prius dicendae erant res domi actae; dein Curionis reditum habitumque

de Dardanis plane subactis ab eodem triumphum, postremo M. Luculli in Thraces profectionem subnexui. *Quarto capite* res in Asia anno 73 gestae secuntur, in quas medias longiorem de situ Ponti digressionem inseruisse Sallustium scimus; quam quonam narrationis momento auctor exhibuerit cum nesciamus, omnino sub finem capitis eius addere malui. *Quinto sextoque capitibus* exitum Sertorii, Spartaci initia contineri iam monui.

CAPUT I.

Bellum piraticum et Cretense ab Antonio gestum, fr. 1—16.

Inest Cretae insulae descriptio, fr. 10—15.

Enarratio.

Quamquam a P. Servilio Isaurico, qui modo nominatus est,
1 praedonum principia Pisidia Isauriaque subacta erant (fr. 1), tamen adeo iam anno 75 mare ipsum atque 'Italiae maritima et provinciarum plena hostium' (or. Cott. 7) fuerunt, ut denuo occurrere huic malo senatus decrevit. Atque ne singuli praedones a singulis ducibus impugnarentur, uni imperatori totum bellum mandare maluit; itaque M. Antonius

'agrati Cottae consulis et Cethegi factione in senatu *cura-*
2 *tionem infinitam nactus totius*
3 *orae maritimae.*' (Ps. Ascon. ad Cicer. Verr. II 8, Or. p. 206.)

'M. Antonius *curator* tuendae *totius orae maritimae, qua Romanum erat imperium* (fr. 2), non solum *ipse nequam* (fr. 3), verum etiam comitibus pessimis.' (Ps. Ascon. ad Cic. Div. 56, p. 121.)

4 Qui postquam ex urbe egressus est (fr. 4), primum in
5, 6 mari Ligustico (fr. 5), dein ad Hispaniae oram (fr. 6) contra praedones incolasque bellavit, tum ad Siciliam profectus 'et Siciliam et provincias omnes depopulatus est' (Ascon. l. l.,
7 adde fr. 7); nonnumquam vero Romanorum classis eo duce a
8 praedonibus devicta esse videtur (fr. 8).

Dein postero anno 73 ipsam Cretam insulam petiit, namque 'favisse Mithridati videbatur, hoc placuit armis vindicare,

.... invasit insulam cum ingenti quidem victoriae spe atque
fiducia, adeo ut plures catenas in navibus quam arma portaret;
dedit itaque poenas vecordiae, nam plerasque naves intercepit
hostis *captivaque corpora religantes velis ac funibus suspendere*
(fr. 9) ac sic velificantes triumphantium in modum Cretes por- 9
tibus suis adremigaverunt' (Florus. I 42). Tamen Antonius
ad insulam naves appulit. Sed hoc loco de situ Cretae insulae
Sallustius pauca quaedam exposuit. Namque (Mela II 112)
'iam *in medio mari* (fr. 10) ingens et centum quondam urbi- 10
bus habitata Creta ad orientem promunturium Samonium
(fr. 11), ad occidentem Criumetopon immittit'; (Solin. c. XI 4) 11
'*inter ortum porrigitur et occasum tractu longissimo*, hinc Graecia,
illinc Cyrenis obiacentibus; a septentrione Aegaeis et suis aesti-
bus verberatur, ... ab austro Libycis undis perfunditur et
Aegyptiis; .... ager Creticus .... lupos vulpes aliaque qua-
drupedum noxia nusquam educat; serpens nulla, larga vitis,
mira soli indulgentia' (fr. 12). Dein inter locos fabulis notos etiam 12
Otios campos (fr. 13) Sallustius appellat, praeterea 'inter colles, 13
quod ibi nutritum Iovem accepimus (fr. 14), fama Idaei montis 14
excellit'; postremo res quoque a Minoe rege gestae dictae sunt
(fr. 15). 15

Sed Antonius turpiter cum Cretensibus foedere facto tamen
postea Cretici cognomen a senatu accepit et anno fere 71 ex
morbo mortuus est (fr. 16). 16

Fragmenta.

1. Inter recens domitos Isauros Pisidasque.

App. (III 53 D, 31 K, 91 G.) — Arus. p. 482: 'Inter illud pro cum illud agitur. .... Sall. hist. III' e. q. s.

Comm. Falsam Kritzii hoc de fragmento sententiam iure abiecit Dietsch; neque enim loci significationem inesse voci *inter*, sed temporalem habere vim sequitur et ex Arusiani verbis et collato Catil. c. 43: 'inter haec parata atque decreta.'

2*. Qui orae maritimae, qua Romanum esset imperium, curator⟨nocent⟩ior piratis.

App. (III 55 D, 59 K, 65 G, II p. 348 Br.) — Schol. ad Iuven. VIII 105. ‖ curator nocentior] contrarius *PS, vulgo,* contra piratas *coni. Ruhnken,* curator *ex Ciceronis scholiasta restitui,* adversus piratas *temptavi Proleg.*

(I) p. 72, damnosior *egregiam coniecturam comiter mihi scripsit Ch. Stephan,* nocentior *ut propius accederem ad Sallustianum sermonem scripsi, cf. Iug. c. 31, 12.*

3. Perdendae pecuniae genitus et vacuus a curis nisi instantibus.

App. (III 54 D, 65 K, G, II p. 346 Br.) — Arus. p. 476 *usque ad* genitus. — Ps. Ascon. ad Cic. Verr. I 60 (p. 176 Or.): 'Hic est M. Antonius dissolutissimus curator totius orae maritimae .... quem Sallustius ait perdendae .... genitum et vacuum' e. q. s. ‖ et vacuus] vacuusque *Gerlach, Kritz.*

4*. Antonius paucis ante diebus erupit ex urbe.

App. (Inc. 121 D, 84 G.) — Audax exc. (VII p. 353). — Probus inst. (IV p. 149) *usque ad* diebus. ‖ Antonius] *om. B Probi.* — erupit ex urbe] *om. Probus.*

Comm. Quidnam brevi postea, quam Antonius ex urbe profectus est, acciderit sane nescimus, sed huc referendum esse fragmentum patet.

5. (*Ligurum*) ⟨Co⟩pias Antonius ha⟨ud fa⟩|cile prohibens a ⟨navibus⟩, | quia periaci telu⟨m pote⟩|rat angusto intr⟨oitu, ne⟩|que Mamercus host⟨ium navis⟩ | in dextera commmu⟨nis⟩ | classis aestate qu⟨ieta⟩ | tutior in aperto s⟨eque⟩|batur. Iamque diebus al⟨iquot⟩ | per dubitationem ⟨tritis⟩, | cum Ligurum praes⟨idia cessissent⟩ | in Alpis, Terentun⟨orum ac⟩|citu quaestio fac⟨ta ad⟩ | Sertorium perve⟨hi cum⟩ | Antonio ceterisque p⟨lace⟩|ret, navibus in Hispa⟨niam⟩ | maturare. Postqua⟨m vero⟩ | in Aresinarios ve⟨nere om⟩|ni copia navium l⟨onga⟩|rum, quas reparat⟨as ha⟩|bebant quaeque no⟨n⟩ (*tempestatibus afflictae erant*).

App. Fragmentum Aurelianense. *Prima columna folii unius, postremi scilicet, quod iam monui, quaternionis illius, cuius margo dexterior abscissus est; ed.* Hauler, *Sitzungsberichte d. Wiener Akad. phil.-hist. Cl. vol. 113 (1886) p. 665, Wiener Studien IX p. 33,* Jordan *Sall. op. ed. 3 p. 133.* ‖ 1. copias] *suppl. Hauler, scilicet hostium.* — 2. a navibus] a portu *vel* ab impetu *suppl. Hauler,* a navibus *ego secundum ea, quae in Comm. infra exposui.* — 3. *Undecima* I *aut* L. — 4. introitu] *suppl. Wölfflin.* — neque] *aut* neque *aut* sed Q(uintus) *Hauler.* — 6. dextera] *sic A.* — 7. quieta] *suppl. Wölfflin.* — 8. *Postrema littera aut* S *aut* P *aut* D *lecta est.* — 9. (seque)batu *A man. pr.,* R *additum videtur a manu sec.* — *Postremae litterae* AL *incertae, fortasse* U *vel* M. — 11. *Ultima* S *admodum dubia;* praesidia issent *Hauler,* cessissent *sensui aptius putabam, cum vero neutrum ad spatium quadraret, iam codicis lectio corrupta*

fuisse videtur. — 13. facta] facta est *Hauler, idem post* pervehi *interpungit et* navibus maturare *verbo* placeret *subiungit. Ego equidem tautologiam vitare cupiens, quae inest duobus enuntiatis* ad Sertorium pervehi *et* navibus in Hispaniam maturare, maturare *historicum quem dicunt infinitivum intellego.* — 14. *Duodecima* R *incerta.* — 15. *Ultima* P *vel* E. — 17. postquam vero] postquam *Hauler,* vero *addidi propter spatium.* — 18. Aresinarios] *Nona nominis littera* T *potius quam* E *visa est, postrema versus littera* E *potius quam* I. — 20. *Octava* P *vel* R, *nona* E *vel* I, *undecima potius* A *quam* R, *tertia decima* A, M *vel* O. — non] novae accesserant *Hauler, similem quandam eius, quam dedi, sententiae extitisse putaverim.*

Comm. Cum Romani ea re periclitentur, quod angusto introitu tela utrimque in eos iaci possunt, sequitur hostes (scilicet Ligures) non solum montes, sed etiam litus portumque tenere, Romanos vero non in portu obsessos esse, quod ratus est Hauler, sed eum aggredi; accedit, quod Mamercus, Antonii legatus, in aperto praedones impugnare dicitur. Antonius igitur castellum aliquod praedonum in litore Ligustico situm adoritur; tamen neque ipse in portum telis utrimque in se iactis intrare potest neque Mamerco ut piratas, qui incolas castelli illius adiuvant, insequatur contingit. Ceterum Aresinarii et Terentuni adhuc nobis ignoti gentes esse Hispaniae videntur; Mamercum hunc esse Aemilium Lepidum cos. anni 77 Hauler coniecit; at eundem postea legati loco functum esse negaverim.

6. (*disiunctus altissim*)o flumine Diluno | ⟨ab hos⟩tibus, quem trans⟨gradi⟩ vel paucis prohiben|⟨tibus ne⟩quibat, simulatis | ⟨transi⟩tibus aliis haud longe ⟨a loco i⟩llo classe, quam e|⟨vocara⟩t, temereque textis ra|⟨tibus ex⟩ercitum transdu⟨xit, tum⟩ praemisso cum equi|⟨tibus⟩ Manio legato et par|⟨te na⟩vium longarum ad| .... insulam pervenit, | ⟨ratus⟩ improviso metu | ⟨posse⟩ recipi civitatem com|⟨meati⟩bus Italicis oportu|⟨nam⟩. Atque illi loco freti ni|⟨hil de⟩ sententia mutave|⟨re; qu⟩ippe tumulum late|⟨ribus i⟩n mare et tergo editis, | ⟨ad hoc⟩ fron⟨te⟩ ut angusto ⟨ita har⟩enoso ingressu, du|⟨plici⟩ (*muro muniverant*).

App. Fragmentum Aurelianense. *Eiusdem folii columna quarta; margo sinisterior avulsus est; ed. Hauler et Jordan, cf. fr.* 5. || 1. Diluno] *potius quam* Diiuno *A.* — 3. *Prima* N *aut* U. — 5. *Prima* T *aut* P. — haud] aut *A.* — 6. *Prima* M, L, T *vel* I, *secunda* I *vel* L; aut longe acta alio classe *Hauler,* haud longe *scripsi, quoniam hoc aut illud fecisse Antonium dici omnino nequit; Hauleri sententiam si expresseris,* atque *scribendum est; deinde* a loco illo *supplevi.* — 7. evocarat] *supplevi,* emiserat *Hauler; classem non emissam esse ab Antonio res ipsa sequentesque versus docere mihi videntur; evocavit classem Antonius, scilicet ex alto in Dilunum fluvium.* — temereque textis] temere . m . exis *A,* textis

corr. Hauler. — 10. *Prima* R *vel* M, Manio *vel* Afranio *Hauler.* — 14. *Prima tertiaque* (R, C) *non tam certae.* — 16. *Prima* A *vel* N, *secunda potius* E *quam* T, at aeque *Hauler,* atque *malui, cum nihil sit, ad quod illud* aeque *referatur.* — 19. mare] mari *A, corr. Hauler.* — 20. *Prima fortasse* M *vel* N, *quarta certo* N, *sexta fortasse* E, *septima* U *vel* N, *secunda, tertia (pro quis unam fuisse litteram fortasse veri similius est), quinta evanuerunt;* monte *in A fuisse non negavit Hauler, qui scriptum esse a Sallustio* talique fronte, ut angusto et harenoso ingressu du(bius pes haereret) *coniecit* (et harenoso *Wölfflino debetur*); *quae dedi minus quam illa abhorrere a Sallustio videntur.*

Comm. Agi rem in Hispania, ipsum Antonium cum exercitu in litore iter facere classemque iuxta oram vehi apertum est. Deinde cum adversum insulam illam advenit, non ipsam eam aggreditur, sicut descriptione edocemur, sed promunturium in litore ab hostibus communitum, cuius tria latera in mare prosiliebant, frons, i. e. pars Romanis in litore proficiscentibus adversa, angustus harenosusque fuit. Dilunus fluvius ubi sit, deinde insulae eius quod nomen fuerit, adhuc ignoramus.

7*. Graviores bello, qui prohibitum venerant socii, se gere⟨re⟩.

App. (Inc. 50 D, 16 K, 30 G, II p. 59 Br.) — Donat. ad Hecyr. V 1, 33. || graviores] graviorem *OD, correxi,* graviore *vulgo.* — prohibitum] *O,* prohibitus *D, ed. pr.,* prohibituri *vulgo.* — se gerere] segere *O,* fregere *D,* frigere *vulgo in Donato,* socios fregere *Ciacconius,* regere *Dietsch,* graviorem ... fugere *Klotz.*

Comm. Haud inepte Debrossius verba de legionibus Fimbrianis Asiam provinciam vexantibus dicta esse censuit, tamen etiam aptius ad Antonianos haec spectare tibi videbuntur, modo conferas et quae de Antonii bello supra laudavi et Dionis locum XXXVI 23, 2: ἐξέπεμπον μὲν καὶ ναυτικὰ καὶ στρατηγούς, ὥς που καθ' ἕκαστον τῶν προσαγγελλομένων ἐκινοῦντο, ἔπραττον δ' οὐδέν, ἀλλὰ καὶ πολὺ πλείω τοὺς συμμάχους δι' αὐτῶν ἐκείνων ἐταλαιπώρουν.

8. Et forte in navigando cohors una grandi phaselo vecta a ceteris deerravit, marique placido a duobus praedonum myoparonibus circumventa.

App. (III 56 D, 88 K, 63 G, I p. 545 Br.) — Nonius XIII p. 534. — Id. ibid. infra: *usque ad* deerravit.

Comm. Cum res navalis inter praedones Romanorumque exercitum gesta hoc loco narretur, deinde cum tertii libri fragmentum sit, ad Antonii res gestas id referre non dubito. Ceterum utrum ad pugnam aliquam cum piratis factam an illud ad proelium, quo Antonii classis a Cretensibus victa atque capta est, fragmentum pertineat, incertum est.

9. In quis notissimus quisque aut malo dependens verberabatur aut immutilato corpore improbe patibulo eminens affigebatur.

App. (IV 40 D, 48 K, 24 G, II p. 357 Br.) — Nonius IV p. 366. — hist. lib. III *B H Gen., Luc. Müller,* lib. IV *G, vulgo.* ‖ aut malo] et *codd., corr. Bentinus,* ec (*i. e.* ex) *coni. L. Müller.* — dependens] deperdens *codd.* — immutilato] mutilato *coni. Lipsius,* mulcato *Ursinus, iure defendit Kritz.* — improbe] improbi *codd., corr. Lipsius,* improbo *coni. Corte,* in prora *Carrio,* in prori *L. Müller,* in puppi *Putsch.* — eminens] eminenti *coni. Dietsch.*

Comm. Ad victoriam Cretensium de M. Antonio reportatam referendum esse hoc fragmentum — id quod acute coniecerat iam Debrossius, reliqui rursus abiecerant — e Flori loco supra laudato elucet.

10*. Serv. ad Aen. III 104: '*Medio Ponto,* potest quidem intellegi secundum Sallustium longe a continenti.'

App. (III 57 D, 60 K, inc. 60 G, II p. 350 Br.)

Comm. Aut *medio ponto* aut — quod quidem Sallustiano sermoni aptius est — *medio mari* Sallustii esse verba iure priores editores affirmarunt, falso Kritz atque Dietsch *longe a continenti* pro Sallustianis habuerunt. Etenim illud cum Servius legisse se in Sallustio testatur — qui ut Vergilium interpretetur, Sallustii locum, quem quidem aeque intelligendum esse iubet, Vergiliani aperte simillimum laudat — tum Melae consensu nunc confirmatur.

11*. Serv. ad Aen. VI 23: 'Bene situm expressit; ut enim Sallustius dicit, Creta altior est, qua parte spectat orientem.'

App. (III 58 D, 61 K, 68 G, II p. 354.)

12*. Tota autem insula modica et cultibus variis est.

App. (III 30 D, 34 K, 37 G, II p. 285 et 355 Br.) — Martianus Capella V (*Eyssenhardt p. 172, rhet. min. p. 476*). ‖ cultibus variis] cultoribus inanis *vulgo cum editione principe.*

Comm. Ex descriptione insulae alicuius fragmentum esse sumptum patet; falsa quidem decepti lectione editores insulam illam, ad quam M. Marius cum classe Pontica a Lucullo captus est, dictam esse rati sunt. Quod si iure plane omittimus, restant imprimis Sicilia, Sardinia, Creta insulae; cum vero Sicilia non sit modica neque Sardinia neque Corsica varios cultus habere dici possint, ad Cretam insulam verba rettuli. Ceterum nisi ipsum illud *cultoribus inanis,* tamen *vacua cultoribus* Sallustii videbitur esse floscula, licet comparaveris Tac. hist. IV 12 et Isidor. or. XIV 6, 23.

13*. Serv. ad Aen. III 578: 'Nisi quae de gigantibus legimus, fabulosa accepimus, ratio non procedit; nam cum in Phlegra Thessaliae loco pugnasse dicantur, quemadmodum est in Sicilia Enceladus? Otus in Creta, secundum Sallustium, unde Otii campi?' etc.

App. (III 59 D, 62 K, II 15 G, II p. 353 Br.)

Comm. Oti gigantis commemorandi locus fuit Sallustio, cum de mythologumenis Cretae insulae dissereret, cf. Plin. VII 73: 'In Creta terrae motu rapto monte inventum est corpus stans 46 cubitorum, quod alii Orionis, alii Oti esse arbitrabantur.'

14*. Quia principes intellegendi divini fuerunt, vetustatem, ut cetera, in maius componentem altores Iovis celebravisse.

App. (III 60 D, 63—64 K, 66—67 G, II p. 560 Br.) — Lactant. inst. div. XXI, 41 p. 86 ed. Brandt: 'Sallustius .... voluit ingeniose interpretari, cur altores Iovis dicantur Curetes fuisse et sic ait' e. q. s. — *Praeterea cf.* Serv. ad Aen. III 104: 'Iovis Magni, quia illic dicitur esse nutritus, quod, ut Sallustius dicit, ideo fingitur, quia primos Cretenses constat invenisse religionem'; id. ad Aen. VIII 352: 'licet dicat Sallustius Cretenses primos invenisse religionem, unde apud eos natus fingitur Iuppiter.' — *Servium excerpsisse tantum locum Sallustii a Lactantio verbo tenus laudatum bene intellexit Dietsch.* ‖ divini] divina *vulgo.* — vetustatem etc.] vetustas .... componens .... celebravit *Kritz, at quae verbis* et sic ait *Lactantius affert, Sallustiana directaque oratione exhibita putanda sunt.*

15*. Serv. ad Aen. VIII 725: 'Carae insulani populi fuerunt piratica famosi, victi a Minoe, ut et Thucydides et Sallustius dicunt.'

App. (Inc. 8 D, I 78 K, V 12 G, I p. 536 Br.)

Comm. Non in praedonum origine enarranda haece a Sallustio exposita esse vel inde sequitur, quod ea ipsa res, quam legisse in Sallustio scholiasta testatur quaeque eidem Thucydidique communis est, scilicet Minois victoria, ad Cretae historiam, non ad piratarum origines pertinet; neque omnino Cares illo, quo voluerunt editores, loco appellandi erant appellatique sunt.

16*. Ibi triennio frustra trito.

App. (Inc. 20 D, III 66 K, inc. 12 G, I p. 565 Br.) — Serv. ad Aen. IV 271.

Comm. Omnibus e viris, quorum in historiis mentio est facta, ad neminem haec verbo apto quodam sensu quadrare nisi ad M. Antonium Kritzio concedendum est; atque illius mortem — nam *obiit* vel simile quid subaudiendum esse patet — iam hoc loco

libroque tertio memoratam esse eam ab causam malim, quia per triennium illud nihil fere memoria dignum gestum est ideoque Sallustium postea, ubi de anno 71 egit, denuo ad Antonium recurrisse non putaverim.

CAPUT II.

Belli Mithridatici initia, fr. 17—42.

Praemissa est rerum urbanarum expositio, fr. 17. 18.

Enarratio.*)

Romae anni 74 initio senatus neque non M. Cotta ac Lu-
cullus consules contra Mithridatem brevi bellandum sibi fore
expectabant, quare L. Lucullus ante omnia id agere constitu-
erat, ut remotis aemulatoribus uni sibi imperium belli man-
daretur (Plut. Luc. c. 5). Quam ob causam cum Cethego,
viro omnium tum in re publica potentissimo, acerbissima con-
tentione conflixit, simul L. Quintium, tribunum plebis (fr. 17), 17
qui denuo de restituenda tribunicia potestate in contionibus egit,
et privatim pecunia honoribusque corrupit et publice in eum
invectus est consilioque desistere permovit (Plut. ibid.). Sed
L. Octavio, qui pro consule Ciliciae erat, subito mortuo Lucullus,
ut provinciae ac simul bello contra Mithridatem gerendo prae-
ficeretur, omni modo studuit et Praeciae, nobilis cuiusdam mere-
tricis (fr. 18), ope Cethegum antea inimicum adiutorem nactus 18
consul in Asiam missus est (Plut. c. 6). Quo cum pervenisset,
legiones Valerianas ad seditiones tumultusque promptissimas
brevi in imperium ac disciplinam recepit (Plut. Luc. c. 7
usque ad *ἐδημαγωγοῦντο πρὸς ἡδονὴν ἐθιζόμενοι στρατεύεσθαι*,
adde fr. 19). Sed Mithridates — cuius exercitus classesque 19
quales et quanti fuerint, hoc loco describebantur (Plut. c. 7
τὰ δὲ τῶν πολεμίων οὕτως εἶχε usque ad *ἐνέβαλε εἰς Βιθυνίαν*,
ad hoc fr. 20 et 21) — ipse in Bithyniam invaserat et Metro- 20, 21
phanem, ducem suum (fr. 22), adversum Mysiam miserat. 22
Ac brevi occupata omni Bithynia Cottam consulem Chalcedone
obsessum, cum decertare proelio vellet, antequam Lucullus

*) De Mithridatici belli temporum ratione cf. quae infra exposita sunt in appendice III.

advenisset, 'apud Chalcedona terra fudit, mari exuit classe pul-
23, 24 cherrima' (fr. 23, 24). Quae dum aguntur, Lucullus a Cilicia
ad Phrygiam profectus ibi 'equestribus proeliis feliciter pugna-
vit et aliquot expeditiones prosperas fecit' (Liv. per. 94), sed
audita clade Cyzicena auxilium ferre collegae properavit, in-
vitis militibus atque in Pontum regnum progredi hortantibus
(Plut. c. 8 *ἦσαν μὲν οὖν οἱ τὸν Λούκουλλον* e. q. s. usque ad *ἐπὶ
κενοὺς αὐτῶν τοὺς φωλεοὺς βαδίζειν*), sed inhibita militum
25 seditione (fr. 25) prope Chalcedonem consedit (Plut. c. 8 inde
a: *ὁ δὲ Λούκ. οὐδεμιᾶς εἶναι κτλ.*). Tum vero Mithridates
26, 27 noctu clam Cyzicum abiit (fr. 26, 27), quem Lucullus quam
celerrime secutus ad Cyzicum loco oportuno castra munivit
28 (fr. 28) commeatusque hostibus intercipere coepit (Plut. c. 9
usque ad *ὡς ὀλίγων ἡμερῶν ἀναιμωτὶ τὸ νίκημα παραδώ-*
29 *σων αὐτοῖς*, fr. 29). Et hic Cyzici urbis situm Sallustius
30, 31 exposuisse videtur (fr. 30, 31).

Ac Mithridates cum Valerianos *χαλεπῶς διατεθῆναι πρὸς
αὐτὸν* (scil. Lucullum) *εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῦ πολέμου πρὸς Κυζίκῳ*
(fr. V 10) bene intellegeret, pretio ad defectionem eos pellicere
32, 33 studuit (fr. 32, 33), qui tamen conatus irriti facti sunt. De-
inde omni modo ut expugnaret Cyzicum, operam dedit, primum
34 mari navibus (fr. 34), deinde terra ingenti cum exercitu perque
35, 36 machinas muros aggressus (fr. 35, 36), postremum occupato
Dindymo monte e superiore loco oppidanos impugnans; at
Cyziceni summa cum fortitudine ei restiterunt; quibus ut ad-
ventus sui auxiliique fiduciam augeret Lucullus, militem nun-
tium misit, qui per mare clam hostibus ad urbem transnavit
37 (fr. 37). Iamque Mithridati 'magno cum exercitu in obsidio
moranti frumentum defuit nullo circum adnitente, simul hiems
mari prohibebat', qua ex causa fames, mox morbus ac pesti-
38, 39 lentia orta sunt (fr. 38, 39, Plut. c. 11), ad hoc partem exer-
citus, quam in patriam remiserat Mithridates, ad Rhyndacum
40,41,42 fluvium Lucullus oppressit (fr. 40—42). Quibus rebus com-
motus sublata Cyzici obsidione rex ipse navibus evasit Lamp-
sacum, exercitum vero eius fugientem Lucullus persecutus ad
Granicum flumen plane fere delevit (Plut. ibid.). — Eodem
tempore L. Fannius, Fimbrianus olim desertor, ac Metrophanes,
Mithridatis duces, in Mysia a Mamerco praetore fugati sunt,

et 'Deiotarus Gallograeciae tetrarches praefectos Mithridatis bellum in Phrygia moventes cecidit' (Liv. per. 94). Ac Mithridates classe Parii naufragio magnopere afflicta Nicomediam rediit, ut reliquam hiemis partem ibi degeret, Lucullus vero rebus praeclarissime gestis Cyzici hiemavit.

Fragmenta.

17. Male iam adsuetum ad omnis vis controversiarum.

App. (III 62 D, 84 K, 4 G, I p. 255 Br.) — Priscian. VI (II p. 249).

Comm. De turbulento quodam tribuno plebis aliove homine, qui in nobilium populariumque rixis commemoratus est, hoc dictum esse Kritz repperit, sed hunc Licinium Macrum esse minime Dietschio concedam. Neque enim quem et in historia scribenda et in re publica fere consentientem habebat Sallustius, eundem talibus verbis descripsisse habendus est; quare ad L. Quintium fragmentum refero, quocum optime quadrare puto, cf. Cic. Cluent. 77: 'homo maxime popularis, qui omnis rumorum et contionum ventos colligere consuesset', ibid. 79: 'homo cum summa potestate tum ad inflammandos animos multitudinis accommodatus.'

18*. Cultu corporis ornata egregio.

App. (IV 46 D, 4 K, inc. 41 G, II p. 41 et 376 Br.) — Serv. ad Georg. I 3: 'et cultum hic habitudinem corporis significat, alias ornatum. Sallustius' e. q. s., *dein sequitur exemplum Iug. c. 33, 1.*

Comm. *Cultu corporis* non ornatum, sed ipsius corporis speciem habitumque dictum esse et e Servii verbis et ex addita voce *corporis* sequitur. Itaque fragmentum non de Monime Milesia diademate ornata esse accipiendum, quod proposuit Kritz praeeunte quidem Debrossio, sed ad Praeciam, meretricem illam pulcherrimam, spectare existimo, idque alteram Debrossii interpretationem secutus; accedit, quod de Monime illa Sallustius omnino non egisse videtur, cf. Proleg. p. 52.

19*. Exercitum maiorum more verteret.

App. (Inc. 51 D, 77 K, 73 G, I p. 583, II p. 326 Br.) — Serv. ad Aen. V 408 e. q. s., 'hoc est consideraret.' ‖ maiorum more] *solus F, om. rell.* — verteret] *F, Thilo,* vertere *rell., vulgo.*

Comm. Nostri fragmenti, quod ineptissime Servium interpretatum esse nemo erit qui neget, similis videtur locus Iug. 55: 'gaudium ingens ortum cognitis Metelli rebus, ut seque et exercitum more maiorum gereret.' Etenim sicut gerendi verbum eadem vi usurpatum est, qua *tenere in disciplina,* ita voci *vertere more*

maiorum sententia inesse videtur haece: *convertere* (vel *adducere*) *milites, ut maiorum more se gererent.* Quae si ita sunt, de Lucullo militibusque Valerianis aptissime haec dici potuerunt, cf. Plut.: βραχεῖ χρόνῳ καὶ τούτων τὸ θράσος ὁ Λούκουλλος ἐξέκοψε καὶ τοὺς ἄλλους ἐπέστρεψε.

20. Equis et armis decoribus cultus.

App. (III 14 D, 11 K, 80 G, I p. 599 Br.) — Prisc. VI (II p. 235). equis] equus *B.* — cultus] cultis *R.*

Comm. De Mithridatis exercitu optime hoc fragmentum Kritz intellexit, cf. Plut.: ἀφελὼν γὰρ τὰ παντοδαπὰ πλήθη καὶ τὰς πολυγλώσσους ἀπειλὰς τῶν βαρβάρων, ὅπλων δὲ διαχρύσων καὶ διαλίθων κατασκευάς, ὡς λάφυρα τῶν κρατούντων κτλ.

21*. Serv. ad Verg. Aen. I 476: 'Curribus falcatis usos esse maiores et Livius et Sallustius docent.' — Schol. ad Stat. Theb. X 544: 'Hoc genus armorum etiam Sallustius describit.'

App. (Inc. 14 D, III 12 K, IV 54 G, II p. 544 Br.)

Comm. Potius ad descriptionem exercitus Pontici hucque pertinere fragmentum, quam ad librum quartum Plutarchi c. 7 ostendi mihi videtur, praesertim cum etiam descripsisse Sallustium hos currus scholiasta Statii testetur. Et fortasse e Sallustio fluxere, quae idem habet Statii interpres ad Theb. VII 712: 'solent enim in axibus curruum falces extare, quae incurrentem hostilem populum caedant.'

22*. Metrophanes promeruit gratiam Mithridatis obsequendo.

App. (II p. 39 et 657 Br.) — Isidor. orig. II 11, 1, ibid. II 21, 14 (*rhet. lat. ed. Halm p. 513 et 519*): sententia est dictum impersonale 'obsequium amicos, veritas odium parit'. Huic si fuerit persona adiecta, chria erit e. q. s. ‖ obsequendo] obsequendum *A pr. loco.*

Comm. Iniuria editores omnes fere fragmentum a Sallustio abiudicasse videntur; namque verba ab Isidoro allata cum e scriptore aliquo procul dubio sumpta esse alterum enuntiatum illud e Terentio laudatum doceat, neminem scio equidem omnium scriptorum, qui de Metrophane ac Mithridate talia scribere potuerit, nisi Sallustium, cuius vel nomine non appellato permultas in Isidoro extare reliquias nemo est qui nesciat; accedit, quod similis argumenti est Sallustii fr. II 78, neque vero obsequendi verbum a Sallustiano sermone abhorret. Sed apposui haec verba, ubi prima Metrophanis illius mentio facta esse videtur.

23†. At illi, quibus vires aderant, cuncti ruere ad portas, inconditi tendere.

App. (II 58 D, 67 K, 90 G, II p. 459 Br.) — Servius ad Bucol. II 4. — Sallustius in libro V *H,* in LV *LPM, om. R, tertio assignavi libro*

propter rem. ‖ vires aderant] res incognita erat *ex Ursini coniectura pessime Kritz.* — cuncti ruere] ruere cuncta *L*, reuere cuncti *M*. — inconditi] incondita *M, Thilo.* — tendere] temnere *P*, tempnere *LHMR, corr. Gerlach*, tenere *coni. Heinse*, temnere *Thilo*, incondito itinere *Mähly*.

Comm. Fugam hoc fragmento illustratam quadrare quam accuratissime ad cladem Romanis Chalcedone illatam, cum acie pulsi celerrime laxoque ordine intra muros confugerent, acute Dietsch vidit, cf. App. Mithr. c. 71: ἔφυγεν ἐπὶ τὰς πύλας τῆς Χαλκηδόνος διὰ θριγκίων πολλῶν πάνυ δυσχερῶς, ἀμφὶ δὲ τὰς πύλας ὠθισμὸς ἦν ἐσπηδώντων ὁμοῦ. ὅθεν οὐδὲν τοῖς διώκουσιν αὐτοὺς βέλος ἠτύχει.

24. Dedecores inultique terga ab hostibus caedebantur.

App. (III 74 D, 91 K, 81 G, II p. 80 Br.) — Priscian. VI (II p. 236). ‖ dedecores] decores *RK*. — inultique] multique *RDKH*.

Comm. Optime haec congruere cum Romanorum militum condicione ad Chalcedona devictorum unus iam Debrossius recte intellexit, cf. App. c. 71.

25. Quod ubi frustra temptatum est, socordius ire miles occipere, non aptis armis, ut in principio, laxiore agmine.

App. (III 71 D, 86 K, 94 G, II p. 308 Br.) — Nonius IV p. 235. ‖ socordius] socerdius *codd.* — occipere] obcepere *LHGGen., corr. Mercier*, milites occoepere *coni. Junius (ita Kritz)*, milites occepere *Dietsch*. — et *ante* laxiore *inserit Junio auctore L. Müller.*

Comm. Quoniam soluta quae in agmine observari solet disciplina milites incedere describuntur, egregia est Kritzii coniectura seditiosum hunc esse exercitum opinati. Atque is, qui aliquid *temptasse* dicitur, hostis esse nequit, quippe quo propinquo ne seditiosi quidem milites socordes esse soleant. Quid igitur temptarunt milites? Nempe imperatorem, suam ut sequeretur sententiam voluntatemque, permovere studuerunt; cum vero minus vellet, seditione incepta sequi imperatorem desierunt. Sed hanc ipsam rem militesque hos seditiosos optime convenire puto cum Luculli rebus in Phrygia tum gestis atque cum militibus Valerianis.

26. Ad Cyzicum perrexit firmatus animi.

App. (III 17 D, 15 K, 57 G.) — Arus. p. 475. ‖ firmatus] firmatum *N*, *corr. Maius.*

Comm. Perperam Lucullum subaudierunt editores omnes et nunc Jürges, cf. Memn. 40: τρεπομένου δ' ἐπὶ Κύζικον σὺν μεγάλῳ φρονήματι Μιθριδάτου; contra de Lucullo, qui omnino non

sua sponte, sed regem tantum secutus Cyzicum profectus est, vix talia enuntiari potuerunt.

27. Nam tertia luna erat et sublima nebula caelum obscurabat.

App. (III 15 D, 14 K, 84 G, I p. 378 et 524, II p. 82 et 238 Br.) — Nonius VIII p. 489. ‖ luna] tunc *codd., corr. Mähly,* luna *post* tunc *inseruit L. Müller, at* tunc *valde superfluum.* — tertia] incerta *coni. Madvig.*

Comm. Collato Plutarcho c. 9: *βουλόμενος οὖν λαθεῖν τὸν Λούκουλλον εὐθὺς ἀπὸ δείπνου νύκτα δυσφανῆ καὶ νοτερὰν ἔχων ἐκίνει* bene fragmentum hoc illustravit Kritz; sane tertiam lunam (i. e. noctem tertiam, postquam luna incohavit) obscuram esse patet.

28. Castrisque collatis pugna tamen ingenio loci prohibebatur.

App. (III 18 D, 17 K, 87 G, II p. 360 Br.) — Nonius IV p. 323.

Comm. Ad Cyzicena Luculli castra condicionemque, quae tunc inter utrumque erat exercitum, apte verba rettulit Kritz.

29*. Serv. ad Aen. XI 421: 'hoc est, unde laudat Sallustius duces, qui *victoriam incruento exercitu* reportaverunt.'

App. (III 16 D, K, I 133 G, I p. 424, 580, II p. 95 Br.) — *Servium excripsit* Isidorus orig. XVIII 2, 1.

30. Unde pons in oppidum pertinens explicatur.

App. (III 20 D, 21 K, 57 G, II p. 85 et 103 Br.) — Arus. p. 503.

Comm. Descriptioni Cyzici oppidi hoc fragmentum attribuendum esse refutata Kritzii Gerlachiique falsa opinione — qui naves turritas illas in oppugnando oppido a Mithridate adhibitas dictas esse autumaverant — iure post Debrossium Dietsch defendit.

31. Exaudirique sonus Bacchanaliorum.

App. (III 79 D, 97 K, 31 G, II p. 128 Br.) — Nonius VIII p. 489. — *Praeterea* Macrob. sat. I 4, 6: 'nam et Sallustius in tertia Bacchanaliorum ait' etc. — Charis. p. 62: 'ut Bacchanaliorum Sallustius et Volcanaliorum.'

Comm. Res, in qua haec verba commemorata sunt, similis videtur esse ei, quam in fr. II 87 D, 19 legimus, ubi in monte aliquo Magnae Matri sacro credebatur epulari dea et exaudiri sonores videbantur Baccharum Gallorumque. Itaque de simili monte regioneve Baccharum cultu insigni Sallustium hoc fragmento esse locutum haud absonum esse existimo. Atque iam intelligitur, quis ille fuerit, scilicet Dindymus mons, cuius tertio libro in enarranda Cyzici

obsidione saepius mentionem factam esse constat (cf. Amm. Marc. XXII 8, 5: 'Dindyma, religiosa Matris Magnae delubra'). Haec si ita sunt, ibi commemoratas esse Dindymenae Dindymique fabulas eoque simul hoc fragmentum referendum esse veri simile videtur, ubi de situ Cyzici urbis Sallustius egisse videtur.

32. Coniuratione claudit.

App. (III 80 D, 98 K, 8 G, II p. 331 Br.) — Priscian. X (II p. 514).

Comm. Perpernae coniurationem contra Sertorium susceptam dictam esse Gerlach existimat, quod quamquam a veri specie non prorsus abhorret, tamen ei assentiri nequeo; illa enim ex coniuratione Sertorii opes non solum claudicabant aut per tempus quoddam minus vigebant, sed omnino fractae contusaeque sunt mortuo imperatore; quare malui ad Cyzicenam obsidionem verba referre et ad illos coniurationum defectionumve conatus, qui inter Mithridatem Valerianosque acti sunt (cf. Comm. ad fr. 33), quibus rebus belli vigorem aliquamdiu iacuisse non est quod negemus.

33. Quarum unam epistulam forte cum servo nacti praedatores Valeriani scorpione in castra misere.

App. (III 36 D, 41 K, 60 G, II p. 94 Br.) — Nonius XIX p. 553. | quarum] quorum *coni. Quicherat.* — unam epistulam] una epistula *codd.* — scorpione] scorpionem *codd.*

Comm. Varia neque utilia hoc de fragmento cogitaverunt editores. Ac castra Mithridatis esse per se intelligitur; deinde epistula a Pontico aliquo scripta videtur; etenim si a Romano quodam homine bona fide ad Ponticos data esset, servo illi milites omnino non eripuissent, sin proditionis consilia aliqua epistula illa exposita essent, certe aut delessent eam vel ad Lucullum dedissent aut, si consiliorum participes fuissent, non miro illo modo ad Mithridatem litteras transmisissent. Itaque remiserunt, ut consilia Ponticorum frustrarentur illosque simul eluderent; et talia fere iam Dietsch e fragmento elicuit. Qui de auxiliis vel commeatu a Mithridate postulatis expectatisque hac epistula actum esse opinatus est, consentientem nuper nactus Jürgium p. 53. Sed certius definiri posse rem, de qua agitur, existimo; etenim scimus apud Cyzicum de defectione actum esse a militibus Romanis cum Mithridate, quod etsi diverse ab auctoribus Appiano c. 73, Memnone c. 40 narratur, tamen consentit uterque in Valerianarum legionum nomine urgendo; et hoc quoque inter utrumque convenit, putasse quidem Mithridatem Valerianos ad sese esse transituros sive edoctum per tribunos Romanos sive per L. Magium. Quae si nostro cum fragmento comparamus, veri fit simile Mithridatis epistulam ea de re scriptam et ad quosdam Romanorum viros iam infidos missam a militibus inter-

ceptam esse; et ipsi milites Luculli severitatem quamvis aegre ferentes tantum afuisse videntur a proditionis conatu, ut vel eluderent regis consilia litterasque nuntio ereptas remitterent.

34*. Et onere turrium incertis navibus.

App. (III 23 D, 24 K, 58 G, II p. 105 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. I 576.

Comm. Naves turribus onustas ad Cyzicum appulisse regem fusius narrat Appianus Mithr. c. 73—74.

35. Manus ferreas et alia adnexu idonea inicere.

App. (III 21 D, 22 K, 92 G.) — Arus. p. 487.

Comm. Cyziceni significati sunt, qui machinas adversum moenia admotas diruunt atque intra muros rapiunt, cf. App. c. 74.

36. Saxaque ingentia et orbes axe iuncti per pronum incitabantur axibusque eminebant in modum erici militaris veruta binum pedum.

App. (III 22 D, 23 K, 56 G, I p. 563 Br.) — Nonius XIX p. 555. — Servius ad Aen. IX 503: 'in modum . . . militaris.' — *Idem e Servio* Isidorus orig. XVIII 12, 6. ‖ ingentia et orbes axe] ingentia turbae saxae *codd., corr. Turnebus.* — eminebant] *H,* minebant *LG,* minabant *Bamb.* — erici] erigi *LH,* erigo *Bamb.,* ehirci *G Nonii,* irici *LF,* iricii *ASM,* hirci *R Servii,* ericii *Isidorus.*

Comm. Ad Cyzici oppugnationem recte haec rettulit Kritz, falso ad Calagurrim aliudve oppidum spectare ratus est Dietsch, nam Calagurris circumsessa, non oppugnata est. Sane ex ipsius fragmenti verbis elucere in montibus pugnatum esse Dietschio concedo, at etiam Cyzici urbis partem in edito sitam esse (sicut fortasse ipsam urbis arcem) iure nuper monuit Jürges p. 57 collato Strabonis hist. fr. 80: *τῆς δὲ πόλεως τὸ μέν ἐστιν ἐν ἐπιπέδῳ, τὸ δὲ πρὸς ὄρει, καλεῖται δ' Ἄρκτων ὄρος,* mihique eadem affirmaverat testis ac spectator W. Ruge, cf. *Petermanns Mitteilungen 1892 p. 226.*

37. Duos quam maximos utris levi tabulae subiecit, qua super omni corpore quietus invicem tracto pede quasi gubernator existeret; ea inter molem atque insulam mari vitabundus classem hostium ad oppidum pervenit.

App. (III 19 D, 20 K, 55 G, II p. 93 Br.) — Nonius II p. 186. ‖ duos] *om. L.* — qua] quam *codd.* — *ante* invicem *inseruit* insidens *Dietsch.* — pede] pedes *codd.* — quasi] quas *LH.* — existeret] extiteret *codd., regeret iter temerarie coni. Dietsch.* — molem] inolem *codd.* — atque] *corr. Junius,* qua *codd., ita Dietsch, excidisse aliqua suspicatus.* — hostium] honestium *LH.* — *ante* mari *excidisse* tranquillo *vel simile quid coni. L. Müller.*

38*. Et morbi graves ob inediam insolita vescentibus.

App. (III 27 D, 28 K, IV 38 G, I p. 529, II p. 110 Br.) — Donat. ad Terent. Hecyr. III 2, 2. ‖ et] *O, om. vulgo.* — insolita] insolitam *O, ed. pr.*

39*. Serv. ad Georg. III 481: 'ordinem secutus est (scil. Vergilius), quem et Lucretius tenuit, et Sallustius primo aerem, inde aquam, post pabula esse corrupta.'

App. (III 28 D, 27 K, inc. 62 G, I p. 528 Br.)

40. Ut sustinere corpora plerique nequeuntes arma sua quisque stans incumberet.

App. (III 72 D, 87 K, 10 G, I p. 595 Br.) — Arus. p. 478. — Serv. ad Aen. IX 227: 'ut fessi arma' e. q. s. ‖ sustinere ... nequeuntes] fessi *Servius aperta interpolatione.* — stans] instans *Arus.*, stantes *Servius, cum illo Keil, cum hoc Carrio, Dietsch; corr. Gerlach, etenim Servio hoc loco nil auctoritatis inesse videtur.* — incumberet] incumbere *Servius,* incumberent *Dietsch,* fessi et sustinere ... stantes incumbere *Keil.*

Comm. Cum hoc fragmento milites magnopere in itinere aliquo defessos describi pateat, duas praecipue huius lassitudinis causas esse potuisse intelligimus, et quod magnis itineribus magnaque festinatione milites conficiuntur et quod tempestate (sive frigore sive calore) affliguntur: at viden utramque quadrare rem ad Luculli milites, quibuscum hostes ad Rhyndacum fluvium persecutus est? cf. Plut. Luc. c. 11: *πρωὶ δὲ χειμῶνος ὄντος ἀναλαβὼν σπείρας δέκα καὶ τὴν ἵππον ἐδίωκε νιφόμενος καὶ κακοπαθῶν, ὥστε πολλοὺς ὑπὸ κρύους ἐνδιδόντας ἀπολείπεσθαι τῶν στρατιωτῶν.*

41*. Paululum requietis militibus.

App. (Inc. 41 D, 7 K, 44 G, II p. 155 et 459 Br.) — Servius ad Bucol. VIII 4. ‖ militibus] *L, om. HMRP.*

Comm. Considerata ea, quae antecedente fragmento describitur, Romani exercitus condicione ad eandem rem a Lucullo gestam etiam hoc fragmentum spectare veri videtur haud dissimile esse.

42*. Plut. Luc. 11: *Σαλουστίου δὲ θαυμάζω τότε πρῶτον ὦφθαι Ῥωμαίοις καμήλους λέγοντος.* Cf. Amm. Marc. XXIII 6, 56: '*cameli* a Mithridate exinde perducti et *primitus in obsidione Cyzici visi Romanis.*'

App. (III 29 D, 30 K, inc. 88 G, II p. 109 Br.)

CAPUT III.

Res minores annis 74 et 73 gestae, fr. 43—51.

Enarratio.

Ineunte anno 74 in Hispania Romanorum quidem exercitus pecunia, supplementis, duabus novis legionibus aucti sunt, Sertorium vero tum permulti exulum deseruerunt atque ad Romanos perfugerunt, ipse autem Sertorius eos, qui secum erant, Romanos proditionis suspectos habere coepit (App. b. c. I 112 usque ad *ὁ μὲν δὴ στρατὸς ὧδε εἶχε Σερτωρίῳ*); quippe morti eius mercedem proposuerat Metellus (Plut. Sert. c. 22 init.). Ac Metellus in citeriore provincia cum Sertorio pugnavit (Strab. hist. fr. 73: *καὶ Σεγοβρίγα δ' ἐστὶ τῶν Κελτιβήρων πόλις καὶ Βίλβιλις, περὶ ἃς Μέτελλος καὶ Σερτώριος ἐπολέμησαν*); simul Pompeius oppida quaedam Celtiberorum aggressus est; at Pallantiae, quam circumsedebat, obsidione abscedere a Sertorio coactus est. Dein uterque Romanorum imperator ad Calagurrim minus prospere cum eodem conflixerunt
(App. b. c. I 112). Eodem tempore*) Perperna in Gallaecia
43 feliciter bellavit (fr. 43), qua in re etiam ad Limaeam flumen
44 (fr. 44) pervenisse videtur. Et hieme incipiente Pompeius in
45 Galliam recessit, Metellus in ulteriore remansit Hispania (fr. 45).
Neque minore, quam anteriore hieme, inopia Pompeius tunc
46 agitatus esse videtur (fr. 46). — Dein anno 73 etiam maiore
cum fiducia successuque Romani Celtiberiae oppida subegerunt
Sertoriumque in montes ac castella sub Pyrenaeis sita reppulerunt (App. c. 113 init.).

Anno 73 consules M. Terentius Lucullus C. Cassius Varus legem frumentariam tulerunt, ex qua quini modii frumenti plebi darentur (Or. Macr. 19). Verumtamen nihilo minus denuo exorta sunt plebis nobiliumque certamina tumque lata est agitantibus maxime Licinio Macro et C. Iulio Caesare lex Plautia
47 de reditu Lepidanorum (fr. 47); et ipsum quidem Licinium
longiore oratione in optimatium dominationem invehentem facit
48 Sallustius (fr. 48).

*) Cf. Prolegom. p. 27.

Praeterea hoc anno triumphus habitus est C. Curionis e
Macedonia provincia reversi. Qui anno 74 bellum Dardanicum optime confecit (fr. 49, 50), ad Danuvium usque pri- 49, 50
mus Romanorum progressus; rebellantes vero Dardanos gravissimis affecerat suppliciis, cf. Amm. Marc. XXIV 5, 22: 'primoribus manus incidit, residuos supplicio capitali multavit, ad aemulationem Curionis, acerrimi illius ducis, qui Dardanorum ferociam in modum Lernaeae serpentis aliquotiens renascentem hoc genere poenarum exstinxit.' — Tum anno 73 M. Lucullus
consul in Macedoniam Thraciamque missus est (fr. 51). Qui 51
atroci ad Haemum montem pugna Thraces vicit, dein complures eorum civitates, velut Eumolpiaden, Uscudamam, Cabylen, expugnavit.

Fragmenta.

43*. Serv. ad Aen. VII 728: 'Cales, civitas est Campaniae .... est et in Gallaecia, quam Sallustius captam a Perperna commemorat.'

App. (Inc. 37 D, 3 K, II 17 G, II p. 183 Br.) ‖ Gallaecia] Gallia *codd., corr. Voss.*

44*. Cui nomen oblivionis condiderant.

App. (I 76 D, 75 K, 114 G, II p. 185 Br.) — Serv. ad Aen. I 267. ‖ condiderant] indiderant *coni. Dietsch.*

Comm. P. Bienkowski nuper (Wiener Studien XIII p. 156) fragmentum ad Metelli quandam expeditionem anno 78 in Lusitaniam factam rettulit; at tum Metellum in inferiorem Lusitaniae partem atque usque ad Limaeam flumen processisse vix credi potest. Quare ad Perpernae res prope Calem gestas equidem spectare verba malui.

45*. Sed Metellus in ulteriore provincia.

App. (II 24 D, 30 K, 23 G, I p. 580 Br.) — Donat. ad Terent. Phorm. I 14, 15: An 'sed' finis superioris sententiae est, ut Sallustius e. q. s. ‖ sed] si *O.* — provincia] provinciam *O.*

Comm. Optime Dietsch, cum fragmentum in fine enuntiati alicuius fuisse secundum Donatum pateat, coniecit de hibernis similive re hoc fragmento agi. Metello nemo fere nisi Pompeius in priore enuntiati huius parte opponi potuit. Sin inquirimus, quo anno Pompeius alibi, sed Metellus in ulteriore Hispania morati sint hibernave fecerint, unum reperimus annum 74; etenim anni 75 et 76 autumnis Metellus in Gallia hiemem degit, per annum autem

75 et 74 non in ulteriore bellavit, antea vero Pompeius omnino nondum cum eo comparari potuit. Quare de hibernis anni 74 fragmentum intelligo tertioque assigno libro.

46. Namque his praeter solita vitiosis magistratibus, cum per omnem provinciam infecunditate bienni proximi grave pretium fructibus esset.

App. (III 1 D, 90 K, 5 G, I p. 620 Br.) — Nonius IV p. 314. ‖ his] eis *B Gen. H,* his *L G,* is *coni. Mercier.* — vitiosis] vitiis *B Gen. H.* — magistratibus] mala tractibus *coni. Gerlach,* magis aestatibus *Havercamp,* magis tractibus *Mähly,* agri tractibus *Dietsch.* — esset] esse *codd.*

Comm. Provinciam aliam nisi Galliam Narbonensem intelligi non posse collata ep. Pomp. 9 iure suo statuit Dietsch; quae cum biennio inopia fatigata esse narretur, i. e. autumnis annorum 75 et 74, fragmento agi mihi videtur de hieme 74/73, quod quidem optime convenit cum libri numero a Nonio laudato; minus igitur recte eidem tempori, quo epistula a Pompeio scripta est, adscripserunt Kritz ac Dietsch editores.

47. Post reditum eorum, quibus senatus belli Lepidani gratiam fecerat.

App. (III 63 D, 85 K, 6 G, I p. 530, II p. 452 Br.) — Arus. p. 476.

Comm. Falso Kritz veniam Lepidanis anno fere 77 concessam, quae quidem nostro hoc fragmento commemoratur, cum lege Plautia confudit: et hanc, quam anno 73 latam esse Proleg. p. 78 auctore Langio exposui, non a senatu decretam, sed ab universo populo lege constitutam esse sane notum est. Sed inde, quod illius senatus decreti tertio libro mentio fit, veri videtur simile esse his fere verbis narrationis de lege Plautia initium sumpsisse Sallustium.

48. Oratio Macri trib. pleb. ad plebem.

1 Si, Quirites, parum existimaretis, quid inter ius a maioribus relictum vobis et hoc a Sulla paratum servitium interesset, multis mihi disserendum fuit docendique, quas ob iniurias et quotiens a patribus armata plebes secessisset utique vindices
2 paravisset omnis iuris sui tribunos plebis: nunc hortari modo relicum est et ire primum via, qua capessendum arbitror liber-

Testimon: 1. Donat. ad Terent. Phorm. I 1, 11: Salustius 'Si ... existimaretis'.

App. (III 61 D, 82 K, p. 104 G, II p. 165 Br., Jord. ed. 3 p. 119.) — 1. existimaretis] existimatis *O Donati* (*at* existimaretis *D*). — docendique] docendumque *ex Pomponii Laeti coniectura Kritz.*
2. relicum] relicuum *V.*

tatem. Neque me praeterit, quantas opes nobilitatis solus im- 3
potens inani specie magistratus pellere dominatione incipiam
quantoque tutius factio noxiorum agat quam soli innocentes.
Sed praeter spem bonam ex vobis, quae metum vicit, statui 4
certaminis adversa pro libertate potiora esse forti viro, quam
omnino non certavisse. Quamquam omnes alii creati pro iure 5
vestro vim cunctam et imperia sua gratia aut spe aut praemiis
in vos convertere, meliusque habent mercede delinquere, quam
gratis recte facere. Itaque omnes concessere iam in paucorum 6
dominationem, qui per militare nomen aerarium, exercitus,
regna, provincias occupavere et arcem habent ex spoliis vestris,
cum interim more pecorum vos, multitudo, singulis habendos
fruendosque praebetis, exuti omnibus quae maiores reliquere;
nisi quia vobismet ipsi per suffragia, ut praesides olim, nunc
dominos destinatis. Itaque concessere illuc omnes, at mox, si 7
vestra receperitis, ad vos plerique; raris enim animus est ad ea,
quae placent, defendenda, ceteri validiorum sunt. An dubium 8
habetis, num officere quid vobis uno animo pergentibus possit,
quos languidos socordesque pertimuere? Nisi forte C. Cotta,
ex factione media consul, aliter quam metu iura quaedam tribunis plebis restituit; et quamquam L. Sicinius primus de potestate tribunicia loqui ausus mussantibus vobis circumventus erat, tamen prius illi invidiam metuere, quam vos iniuriae pertaesum est.

Quod ego nequeo satis mirari, Quirites, nam spem frustra 9
fuisse intellexistis. Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat
servitium, finem mali credebatis: ortus est longe saevior Catulus. Tumultus intercessit Bruto et Mamerco consulibus, dein 10
C. Curio ad exitium usque insontis tribuni dominatus est.
Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quintium, 11
vidistis; quantae denique nunc mihi turbae concitantur! Quae
profecto incassum agebantur, si prius quam vos serviendi

Testimon.: 8. Arus. p. 500: Sal. hist. III: 'quam . . . pertaesum est.'

---

5. *Post* praemiis *excidisse participium Dietsch ratus est.*
6. ipsi] ipsis *V, Kritz, corr. Corte,* vosmet ipsi *Aldus.*
7. at mox] et mox *V, corr. Kritz.* — placent] iacent *coni. Mähly.*
8. et quamquam] scilicet quamquam *coni. Dietsch.* — metuere] mutuere *V.*

finem, illi dominationis facturi erant, praesertim cum his civilibus armis dicta alia, sed certatum utrimque de dominatione
12 in vobis sit. Itaque cetera ex licentia aut odio aut avaritia in tempus arsere, permansit una res modo, quae utrimque quaesita est et erepta in posterum: vis tribunicia, telum a maiori-
13 bus libertati paratum. Quod ego vos moneo quaesoque, ut animadvertatis neu nomina rerum ad ignaviam mutantes otium pro servitio appelletis; quo iam ipso frui, si vera et honesta flagitium superaverit, non est condicio: fuisset, si omnino quiessetis. Nunc animum advertere et, nisi viceritis, quoniam omnis iniuria gravitate tutior est, artius habebunt.

14 'Quid censes igitur?' aliquis vestrum subiecerit. Primum omnium amittendum morem hunc, quem agitis, impigrae linguae, animi ignavi, non ultra contionis locum memores libertatis.
15 Deinde — ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunos plebei, modo patricium magistratum, libera ab auctoribus patriciis suffragia maiores vestri paravere — cum vis omnis, Quirites, in vobis sit et quae iussa nunc pro aliis tolerate pro vobis agere aut non agere certe possitis, Iovem aut alium quem deum
16 consultorem expectatis? Magna illa consulum imperia et patrum decreta vos exequendo rata efficitis, Quirites, ultroque licentiam
17 in vos auctum atque adiutum properatis. Neque ego vos ultum iniurias hortor, magis uti requiem cupiatis, neque discordias, uti illi criminantur, sed earum finem volens iure gentium res repeto et si pertinaciter retinebunt, non arma neque secessionem, tantum modo ne amplius sanguinem vestrum praebeatis

---

Testimon.: 12. Arus. p. 486: in tempus, id est processu temporis. Sal. hist. III: 'Itaque . . . arsere.'

14. Arus. p. 453: Sal. hist. III: 'amittendum . . . . agitis.'

17. Arus. p. 477: Sal. hist. III: 'Neque vos . . . . hortor.'

---

11. in vobis] in vos *coni. Dietsch, falso ad* dominatione *hoc referens, at* utrimque, *i. e. etiam a plebe, de* dominatione *in plebem exercenda certari nequiit.*

12. *Interpunctionem ante* vis *sustulerunt Madvigio auctore Jordan et Wirz.*

13. omnino] omnino ⟨non⟩ *coni. Mähly.* — advertere] advortere *V.*

14. amittendum] *N Arusiani,* omittendum *V, sed cf. fr. inc. 5.*

15. quo] quod *coni. Dietsch.* — *Ante* patricium *inseruit* tum *Dietsch, qui* modo *cum antecedente* tribunos plebei *coniungit.* — cum] qum *V.* — iussa] iussi *coni. Dietsch.*

17. ego] *om. N Arusiani.*

censebo: gerant habeantque suo modo imperia, quaerant trium- 18
phos, Mithridatem, Sertorium et reliquias exulum persequantur
cum imaginibus suis, absit periculum et labos, quibus nulla
pars fructus est. Nisi forte repentina ista frumentaria lege 19
munia vestra pensantur; qua tamen quinis modis libertatem
omnium aestimavere, qui profecto non amplius possunt ali-
mentis carceris. Namque ut illis exiguitate mors prohibetur,
senescunt vires, sic neque absolvit cura familiari tam parva
res et ignavi cuiusque tenuissimas spes frustratur. Quae tamen 20
quamvis ampla quoniam servitii pretium ostentaretur, cuius
torpedinis erat decipi et vestrarum rerum ultro iniuriae gratiam
debere? Cavendus dolus est; namque alio modo neque valent
in universos neque conabuntur. Itaque simul comparant dele- 21
nimenta et differunt vos in adventum Cn. Pompeii, quem ipsum
ubi pertimuere, sublatum in cervices suas, mox dempto metu
lacerant. Neque eos pudet, vindices uti se ferunt libertatis, 22
tot viros, sine uno aut remittere iniuriam non audere aut ius
non posse defendere. Mihi quidem satis spectatum est Pom- 23
peium, tantae gloriae adulescentem, malle principem volentibus
vobis esse quam illis dominationis socium, auctoremque impri-
mis fore tribuniciae potestatis.

Verum, Quirites, antea singuli cives in pluribus, non in 24
uno cuncti praesidia habebatis. Neque mortalium quisquam
dare aut eripere talia unus poterat. Itaque verborum satis dictum 25
est; neque enim ignorantia claudit res, verum occupavit nescio 26
quae vos torpedo, qua non gloria movemini neque flagitio cuncta-
que praesenti ignavia mutavistis, abunde libertatem rati, scilicet

Testimon.: 20. Arus. p. 488: Sall. hist. III: 'kavendus dolus est.'
25. Donat. ad Terent. Eun. I 2, 84: Sallustius: 'neque . . . res.'
26. Serv. ad Aen. I 211: ut Sallustius: 'scilicet . . . abstinetur.'

18. labos] *sic V.*

19. modis] *sic V.* — illis] illic *coni. Madvig.* — absolvit] absolvi *V.* — ignavi cuiusque] ignam quiusque *V, corr. Gronovius.* — spes frustratur] perfrustratur *V, corr. Gronovius,* ignaviam cuiusque tenuissima spe *coni. Orelli.*

20. quae] qua *ex Faerni coniectura Dietsch, Jordan.* — iniuriae] iniuria *V, corr. Kritz,* ultra iniuriam *Contarenus,* inulta iniuria *Mähly.* — cavendus dolus est *post* conabuntur *in V, transposuit Faber.*

23. restituendae *post* potestatis *add. Dietsch.*

24. mortalium quisquam] quisquam mortalium *mavult Weinhold.*

25. claudit res] *sic Donatus,* res claudit *V.*

26. nescio quae] nescio qua *V, corr. Carrio.* — scilicet quia] *sic Servius,* scilicet *om. V.*

quia tergis abstinetur et huc ire licet atque illuc, munera
27 ditium dominorum. Atque haec eadem non sunt agrestibus,
sed caeduntur inter potentium inimicitias donoque dantur in
28 provincias magistratibus. Ita pugnatur et vincitur paucis,
plebes, quodcumque accidit, pro victis est et in dies magis erit, si quidem maiore cura dominationem illi retinuerint, quam vos repetiveritis libertatem.

27. Atque] atqui *coni. Dietsch.*

49. Atque eum Curio laudatum accensumque praemiorum spe, quibuscum optavisset, ire iubet.

App. (III 8 D, 54 K, 23 G, II p. 189 Br.) — Nonius IV p. 358. ‖ eum] cum *LG, om. B Gen. H.* — Curio] cupio *codd., corr. Lipsius.* — spe] spes *LG.* — quibuscum] cum *om. B Gen. H.*

50†. Curio religione Volcanaliorum diem ibidem moratus.

App. (IV 68 D, 70 et 71 K, III 29—30 G, I p. 636 Br.) — Nonius VIII p. 489. — Pompei. comm. in Don. (V p. 168): 'Curio ibid. mor. relig. Volc.' — Id. p. 196: 'relig. Volc. impeditus.' — Charisius p. 62: 'ut Bacchanaliorum Sallustius et Volcanaliorum.' — historiarum lib. IV *codd. Nonii, corr. Gerlach, cf. Comm.* ‖ religione] *om. Nonius,* religionem *posteriore,* regione *priore loco codd. Pompeii.* — diem] die *codd. Nonii* (di *G*), *om. Pompeius, corr. Dietsch.* — moratus] moratur *H Nonii,* ibidem moratus *pr. loco transposuit Pompeius, posteriore in* impeditus *corruptum praebet.* — *Duos esse locos a Pompeio perperam in unum conflatos putarunt editores, recte Dietsch unum eundemque esse intellexit. Nam Curionis nomen et Volcanalium mentio docent ad eandem rem utriusque grammatici verba spectare, mirum vero esset, si Sallustius eadem in occasione simillima attulisset verba.*

Comm. Cum Curio commemoratus sit, scilicet cum exercitu iter faciens, fragmentum bello Dardanico libroque tertio attribui necesse est; triumphum Curionis, ad quem Kritz referre id voluit, anno 71 fuisse, quarto igitur libro fuisse narrandum Zumpt in editione Cic. Verrin. I p. 64 errore dixerat quidem, neque vero demonstrare studuit. Curio igitur diem Vulcanalium festum observaturus (i. e. a. d. decimum Kal. Sept.) noluit progredi, at quidnam tum ab eodem actum sit, dein ubi ille fuerit, quo loco modoque res anteriore fragmento narrata acciderit, sane nescimus.

51*. Aenum et Maroneam viamque militarem.

App. (Inc. 72 D, 38 K, III 24 G, I p. 431—433 Br.) — Servius ad Aen. III 16.

Comm. Duo haec oppida alibi dici non potuisse, nisi in bello Thracico M. Luculli, probabiliter Dietsch coniecit; neque enim Appius

Claudius neque Curio umquam illam in regionem pervenerunt. Tertio, non quarto libro eam ob causam inserendum esse fragmentum putavi, quoniam iis, quae libro quarto enarrantur, temporibus non iam prope mare Aegaeum, sed ultra Haemum Danuviumque bellasse Lucullus videtur.

CAPUT. IV.

Bellum Mithridaticum, fr. 52—60; subiungitur Situs Ponti expositio, fr. 61—80.

Enarratio.

L. Lucullus hieme Cyzici acta ineunte vere in mare Aegaeum
vectus ‘classem magnam et ornatam, quae ducibus Sertorianis
(scil. M. Mario) ad Italiam studio atque odio inflammata rapie-
batur’ (Cic. de imp. Pomp. 21), cum ad insulam aliquam moran-
tem reperiret, circumvenit (fr. 52) depressitque. Sed Mithri- 52
dates persequente Voconio Barba legato Nicomedia cessit atque
in Pontum vectus (fr. 53) subita tempestate ingentique nau- 53
fragio oppressus est (fr. 54, 55); quin ipse regia navi demersa 54, 55
(fr. 56) per praedonum myoparonem vix Heracleam confugit 56
(Plut. Luc. c. 13 usque ad *παραβόλως εἰς τὴν Ποντικὴν Ἡρά-
κλειαν ἐξεσώθη*). Ac mox Lucullus, Cotta, Triarius Romanorum
duces Bithyniam occupavere captis in ea Apamea ac Prusa
oppidis, dein tripertito ita belli munere, ut Cotta urbes Graecas
ad mare sitas adoreretur, Lucullus in Mithridatis regnum in-
vaderet, Triarius cum navibus reliquias regiae classis adversus
Hispaniam antea missae exciperet, Lucullus in Galatiam Pon-
tumque nullo fere resistente ingressus est (Plut. Luc. c. 14).
Ibi circumsessis Themiscyra et Amiso oppidis (fr. 57) hiemem 57
in castris obsidioneque egit neque milites iratissimos in sese
esse omnino curavit (Plut. ib., fr. 58). Sed Cotta inter haec 58
ad Heracleam Ponticam accessit, cuius in obsidione cum P. Oppio
quaestore rixa ei orta est, *τοῦ γοῦν Κόττα τοῦ Μάρκου τὸν
μὲν ταμίαν Πούπλιον Ὄππιον ἐπί τε δώροις καὶ ἐπὶ ὑποψίᾳ
ἐπιβουλῆς* (fr. 59) *ἀποπέμψαντος* (Dio XXXVI 40, 3, fr. 60); 59, 60
ac postea Oppius ex epistula Cottae Romae reus factus est.

Fragmenta.

52. Fine inguinum ingrediuntur mare.

App. (III 77 D, 94 K, 50 G, II p. 119 Br.) — Arus. p. 475. — Schol. Vatic. (Phylarg.) ad Georg. III 53.

Comm. Miro modo Dietsch, qui suspicatus est de piscatoribus Byzantinis (cf. fr. 66) verba dicta esse, errasse mihi videtur; namque piscatores aut e lintribus piscantur aut ex terra, sed num ipsi in Bosporum ingressi sint, vehementer dubito; potius de pugna aliqua agi apparet in litore commissa. Quare non alienum esse puto, si ad pugnam a Lucullo cum classe Pontica commissam haec referimus, qua milites navibus egressi circumvectique insulam naves hostium ad litus appulsas a tergo aggressi sunt.

53. Postquam egressus angustias.

App. (III 33 D, 36 K, 22 G, II p. 126 Br.) — Arus. p. 469.

Comm. Angustiae quoniam non minus freti, quam montium intelligi possunt, cum Kritzio ad Bosporum spectare verba Sallustii malim quam ad montes Cabirenses, quod putavit Dietsch; neque enim Cabiram per angustias Lucullum profectum esse memoriae traditum est.

54. Nam qui enare conati fuerant, icti saepe fragmentis navium aut adflicti alvos undarum vi mulcato foede corpore postremo interibant tamen.

App. (III 24 D, 25 K, 62 G, II p. 105 Br.) — Nonius IV p. 406. — Arus. p. 456: 'adflicti .... interibant.' ‖ fragmentis] frumentis *codd., corr. Mercier.* — aut] ut *Gen. H.* — alvos] asuis *codd. Nonii,* alveos *N Arusiani, Kritz, corr. Dietsch,* alveis *Mercier.* — vi] vim *L Nonii, om. Arusianus.* — mulcato] malcato *N Arus.* — foede] fide *L H Gen. Nonii, om. Arusianus.* — postremo] postremum *L H Bamb. Nonii, om. Arusianus.* — interibant] *Arusianus,* interent *codd. Nonii,* interiere *Mercier, vulgo.*

Comm. Ad Cyzicenum nescio quod naufragium vulgo refertur fragmentum; sed ad Mithridatis naufragium in Ponto exortum, quod unum Sallustius narravit, spectare verba, quamquam per se intelligitur, *fragmentis navium* commemoratis etiam veri similius videtur, cf. Plut. c. 13: *τὰ μὲν ἀφηρπάγη, τὰ δ' ἐβυθίσθη τῶν σκαφῶν, πᾶσα δ' ἡ παραλία τῶν ναυαγίων ἐκφερομένων ὑπὸ τοῦ κλύδωνος ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἦν περίπλεως.*

55*. Triplici fluctu.

App. (IV 23 D, 38 K, 18 G, II p. 209 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. I 116: 'quod Graeci *τρικυμίαν* appellant, ut Sallustius' e. q. s.

Comm. Spreta Servii interpretatione editores ad Charybdim verba pertinere existimant, quae ter quoque die fluctus respuisse et absorbuisse fertur. Minime vero scholiastae fides deneganda est; etenim quid est, cur dubitemus, quin Sallustius Graecam vocem τρικυμία (h. e. unda tertia eademque gravissima), quam Romani vulgo *fluctum decumanum* appellavere, verbo fere tenus transtulerit, qui idem cantum nautarum in remigando usitatum Graecorum κέλευμα secutus *iussa nautarum* fr. inc. 13 nominavit. Sane hanc similemve neque vero, quam vulgo postulant, vim inesse voci grammaticus vel e sententiarum nexu omnique re, quae hic enarrata est, concludere potuit. Quae si ita sunt, ad Mithridatis naufragium fragmentum haud inepte referri potest et ad verba Plutarchi: ἐν σάλῳ μεγάλῳ καὶ κύματι τυφλῷ.

56. Neque iam sustineri poterat immensum aucto mari et vento gliscente.

App. (III 31 D, 35 K, 97 G, I p. 445 Br.) — Nonius I p. 22.

57*. Probus cathol. (IV p. 28): '(sos) . . unum Graecum legi in Sallustio secundae declinationis, *si* faciens genetivo, haec *Amisos*, huius *Amisi*.'

App. (IV 50 D, 9 K, inc. 21 G, II p. 525 Br.) — *Ex Probo affert* Sacerdos (VI p. 479). ‖ Amisos] Camisos . . . Camisi *B Probi, vulgo,* Amisos *recte Sacerdos, etenim Camisi nusquam apud Sallustium fit mentio.*

Comm. Probus, quoniam etiam nominativum nominis in Sallustio se legisse testatur, non alterum Sallustii fragmentum IV 13, quo Amisos laudatur, in animo habuit, peculiare igitur Sallustii fragmentum accipimus; Amisos autem cum saepius tertio, quarto, quinto libro commemorata sit, ibi fragmentum apponere, ubi primum urbs a Sallustio appellata esse videtur, satis habemus.

58. Castella, custodias thesaurorum, in deditionem acciperent.

App. (III 35 D, 42 K, IV 43 G, II p. 379 Br.) — Charisius p. 107. — Serv. ad Aen. XI 801: 'secundum Sallustium, qui ait castella custodias thesaurorum pro custodiae, ita enim etiam Asper intelligit, licet alii custodias accusativum velint.' ‖ custodias] custodiae *F Servii.* — acciperent] acciperentur *Charisius, corr. Gerlach. Corruptela iam Asperi temporibus extitit, quam ille ita defendere studuit, ut* custodias *genetivum esse interpretaretur.*

Comm. Legatos Luculli his verbis dictos esse ad subigendum Mithridatis regnum emissos editores existimaverunt, at haec res quarto, non tertio libro continetur. Cum vero id ipsum, quod huius

fragmenti caput est, a militibus Valerianis postulatum sit teste Plutarcho c. 14, ad illorum fremitus tumultusque ad Amisum ortos fragmentum rettuli.

59. At Oppius, postquam orans nihil proficiebat, timide veste tectum pugionem expedire conatus a Cotta Volscioque impeditur.

App. (III 37 D, 39 K, 48 G, II p. 134 Br.) — Nonius p. 553. ‖ timide] tumide *Bamb.* — Volscioque] Vulcioque *HGBamb.*, Vulscio *L, de nomine cf. Liv. III 13.*

60*. Dicit se eius opera non usurum eumque ab armis dimittit.

App. (III 38 D, 40 K, 49 G, II 643 Br.) — Serv. ad Aen. XII 844: Sallustius de Oppio, ubi eum Cotta in contione ab exercitu cogit abscedere, 'dicit' e. q. s. ‖ dicit] *vulgo Servio attribuitur, verum apud eum minime necessarium, in Sallustio contra dicendi verbum desideratur.* — opera] operi *AS.*

Comm. Dionis loco supra allato, dein Servii verbis satis luminis fragmenta accipiunt.

Situs Ponti.*)

Enarratio.

Initium sumitur ab Hellesponto ac commemorantur Troia,

*) Ad Sallustianam Pontici situs enarrationem celeberrimam reciperandam — de qua egregia nunc extat Müllenhoffii disputatio *Deutsche Altertumskunde* III p. 75—76, praeterea cf. Jürges p. 65 sq. — praesto nobis sunt Mela I 93—II 15, Plinius IV 75—91, VI 1—22, Ammianus Marcellinus XXII 8, 4—48, Valerius Flaccus IV 714—732; atque tres illos, cum eodem fere ordine easdem res referre pateat, eodem ex antiquo periplo hausisse approbavit Müllenhoff, qui idem num iure coniecerit Melam ex Nepote, e Varrone Plinium huius peripli memoriam sumpsisse, alii diiudicent. Itaque si illis ex auctoribus peripli narrationem restituerimus, etiam Sallustii, qui raro tantum ab eo recessit, narrationem reciperabimus, dummodo fragmentis adhibitis ea, quae omisisse Sallustius videtur, removeamus. Ammianus quidem nonnullis rebus ex aliis, ut videtur, auctoribus additis complura commutavit, etiam Plinio pauca cum Sallustio sunt communia, Melae vero Sallustiique saepius inveniuntur congruentiae, quamquam plura Melam quam Sallustium rettulisse apparet. Valerius denique de ipsius tantum maris forma naturaque agit, ubi et cum Sallustio, quod scimus, et cum ceteris bene consentit. Ceterum Ammianum et alias et hoc loco Sallustium legisse constat, Melam autem, cum Sallustiani sermonis esset amator (cf. Vogel, *acta semin. Erlangens. I p. 317,* Frick. *edit. praef. p. 5—7*), complura secundum ipsum Sallustium formasse consensu fragmentorum ostenditur. Itaque et in ordine et in rebus narrationis constituendis Melam potissimum sequar ducem, collatis etiam aliorum interdum locis et omissis iis partibus, quarum nullum in

quae Dardania*) etiam dicitur (fr. 61), Sigeum, Ida mons, 61
Scamander Simoisque flumina, dein (Mela I 96) 'Rhoetea litora,
Rhoeteo et Dardania claris urbibus, Aiacis tamen sepulcro
maxime illustria. Ab his fit artius mare (fr. 62) nec iam ad- 62
luit terras, sed rursus dividens angusto Hellesponti freto litus obvium findit facitque, ut iterum terrae, qua fluit, latera sint. (97) Interius Bithyni sunt et Mariandyni, in ora Graiae urbes Abydus et Lampsacum et Parium et Priapus .... (98) Tum rursus fit apertius mare Propontis; in id Granicus effunditur, ... trans amnem sedet in cervice paene insulae Cyzicum; *nomen* Cyzicus *indidit*, quem a Minyis imprudentibus, cum Colchos peterent, fusum acie caesumque accepimus .... (101) Dein priores terrae iterum obiacent exiturique in Pontum pelagi canalis angustior Europam ab Asia stadiis quinque disterminat Thracius, ut dictum est, Bosporus.... (102) Hic iam**) sese ingens Pontus aperit, nisi qua promunturia sunt, huc atque illuc longo rectoque limite extentus, *sinuatus cetera*, sed quia contra minus, quam ad laevam et dextram abscessit, mollibusque fastigiis donec angustos utrimque angulos faciat inflectitur, *ad formam Scythici arcus* maxime incurvos; *brevis, atrox, nebulosus*, raris stationibus, non molli neque harenoso circumdatus litore, *vicinus aquilonibus* (fr. 64) et quia non profundus est fluctuosus atque fervens.'

Val. Fl. IV 727:
'atque hac Europam *curvis anfractibus* urget,
hac Asiam *Scythicum specie sinuatus in arcum* (fr. 63). 63
Illic *umbrosae semper stant* aequore *nubes*
Et non certa dies.'

Amm. 46: Omnis autem ....
Pontus et *nebulosus* est et *dul-* 64
cior aequorum ceteris et vadosus,

reliquiis Sallustianis vestiguum apparet quasque omisisse Sallustium credi potest. Sed hunce fuisse peripli illius ordinem constat, ut primum per Hellespontum Bosporumque auctor veheretur, dein ipse Pontus describeretur, tum terrae Ponto adiacentes exponerentur; qua in re auctor ab occidente ad orientem, tum septentrionem versus litora praetervehentem se fecit, postremo iuxta oram septentrionalem in Europam revertit.

*) Ex Theopompo hoc hausisse Sallustius videtur collato Ammiano XXII 9, 7.

**) Ipsius Ponti descriptionem optime acutissimeque restituit Müllenhoff.

Isidor. XIII 16, 4: 'quod mare *ex multitudine fluminum*
65 *dulcius, quam cetera* (fr. 65), *nebulosumque et brevius est.*'

quod et concrescit aer ex umorum spiramine saepe densatus et *irruentium undarum magnitudine* temperatur.'

Amm.: 'Et constat ab ultimis nostri finibus maris agminatim ad hunc secessum pariendi gratia petere pisces, ut aquarum suavitate salubrius fetus educant in receptaculis cavis .... securi voracium beluarum: nihil enim in Ponto huius modi aliquando est visum praeter innoxios delphinas et paucos.'

Isid.: 'atque praeter phocas et thynnos atque delphinos alias beluas maiores non patitur.'

Pisces vero (Iuven. IV 42)

'Quos operit glacies Maeotica ruptaque tandem
66 Solibus effundit torrentis ad ostia Ponti (fr. 66),
Desidia tardos et longo frigore pingues.'

Amm. 48: 'Quicquid autem eiusdem pontici sinus aquilone caeditur et pruinis, ita perstringitur gelu, ut nec amnium cursus subtervolvi credantur nec per infidum et labile solum gressus hominis possit vel iumenti firmari.

Valer.: 'flumineo sic agmine fregit amari
Vim salis hinc Boreae cedens glaciantibus auris
Pontus et exorta facilis concrescere bruma.
Utque vel immotos ursae rigor invenit amnes
Vel freta versa vadis, hiemem sic unda per omnem
Aut campo iacet aut tumido riget ardua fluctu.'

Mela: 'Olim *ex colentium saevo* admodum *ingenio Axenus,*
67 post commercio aliarum gentium mollitis aliquantum moribus dictus Euxinus.'

Amm. 33: 'immani diritate terribiles .... *indidere mari nomen inhospitali*' (fr. 67).

Primi autem Graecorum, qui in Pontum invecti sunt, Iason
68, 69 (fr. 68) Argonautaeque atque Achilles (fr. 69) erant.

Solin. 42, 1: '*Bithynia in Ponti exordio* ad partem solis orientis adversa Thraciae .... *ante Belrycia dicta, deinde Myg-*

Amm. 14: 'Dextram igitur inflexionem Bospori Thracii *excipit Bithyniae litus, quam veteres dixere Mygdoniam,*' in qua

donia, mox a Bithyno rege Bithynia' (fr. 70).

Thyria et Mariandena sunt regiones.' 70

Mela 103: 'In eo *primum Mariandyni urbem habitant* ab Argivo, ut ferunt, Hercule datam.' .... (104) 'Tum *Tios oppidum*, Milesiorum quidem colonia, sed iam *soli gentisque Paphlagonum* (fr. 71); quorum in litori- 71
bus paene mediis promunturium est Carambis, citra Parthenius amnis .... (105) Chalybes proximi clarissimas habent Amisum et Sinopen .... amnium Halyn (fr. 72) et Thermodonta, secun- 72
dum Halyn urbs est Lycasto, ad Thermodonta *campus, in eo fuit Themiscurum oppidum, fuere et Amazonum castra* (fr. 73), ideo 73
Amazonium vocant.' Complures abhinc Armeniae gentes commemorantur, Tibareni, Mossynoeci, Macrocephali, Colchi, adhoc Phasis flumen, montes Ceraunii Caucasusque, oppidum Cycnus. (Mela 110:) 'reliqua eius ferae incultaeque gentes vasto mari adsidentes tenent' (fr. 74). — (112) 'Obliqua tunc regio et in 74
latum modice patens inter Pontum paludemque ad Bosporum excurrit, ... (113) ingressos lacus accipit longe lateque diffusus, qua terras tangit, incurvo circumdatus litore, qua mari propior est, nisi ubi aperitur, quasi margine obductus, citra magnitudinem prope Ponto similis. (114) Oram, *quae a Bosporo ad Tanain usque* deflectitur (fr. 75), Maeotici incolunt 75
(115) Ipse Tanais ex Riphaeo monte deiectus adeo praeceps ruit, ut cum vicina flumina, tum Maeotis et Bosporus, tum Ponti aliqua brumali rigore durentur, solus *aestus hiememque iuxta ferens* idem semper et sui similis incitatusque decurrat.

(116) Ripas eius Sauromatae et ripis haerentia possident, una gens, aliquot populi et aliquot nomina.'

Amm. 29: 'Ultra Tanain panduntur in latitudinem Sauromatae.'

Postea (Mela II 1) 'per eundem amnem in Maeotida remeantibus .... (2) hominum primi sunt Scythae .... ab iis Essedones usque ad Maeotida. Huius flexum Buces amnis secat, Agathyrsi et Sauromatae ambiunt, quia *pro sedibus plaustra habent*, dicti Amaxobioi (fr. 76). Obliqua tunc ad Bosporum plaga 76
excurrens Ponto ac Maeotide includitur .... (3) Sinus portuosus et ideo Calos limen appellatus promunturiis duobus inclu-

ditur; alterum *Criu metopon*
vocant, *Carambico*, quod in Asia
77 diximus, *par et adversum*, Par-
thenion alterum; oppidum ad-
78 iacet Cherronesus' (fr. 78).

Plin. IV 86: 'promunturium *Criumetopon adversum Carambico*, Asiae promonturio' (fr. 77).

Praeterea sinus Carcinites, Carcine et Olbias oppida, Dromos Achilleos, Borystenes fluvius, Peuce insula nominata, sunt. (Mela 8:) 'At ille, qui Scythiae populos a sequentibus dirimit, apertis in Germania fontibus, alio quam desinit nomine exoritur; nam *per immania magnarum gentium diu Danuvius est*
79 (fr. 79), deinde aliter eum appellantibus accolis fit Hister, acceptisque aliquot amnibus, ingens iam et *eorum, qui in No-*
80 *strum mare decidunt*, tantum *Nilo minor* (fr. 80) totidem quot ille ostiis, sed tribus tenuibus, reliquis navigabilibus effluit.'

Fragmenta.

61*. Serv. ad Aen. II 325: 'Dardaniae, Troiae, aut a Dardano Iovis et Electrae filio aut secundum Sallustium *a rege Dardanorum Mida*, qui Phrygiam tenuit.'

App. (III 39 D, 33 K, 26 G, I p. 637, II p. 227 Br.)

62*. Serv. ad Aen. II 312: 'lata autem ideo, quia se *angustiae Pontici oris* illic *dilatant*, ut Sallustius dixit.'

App. (III 43 D, 50 K, 46 G, II p. 205 Br.) — *E Servio* Isidorus orig. XIV 7, 2: 'Sigeum promunturium Asiae, ubi Hellespontus apertius dilatatur.' ‖ Pontici] Ponti *LH*, Hellesponti *C*.

63*. Speciem efficit Scythici arcus.

App. (III 44 D, 49 K, 41 G, II p. 208 Br.) — Serv. ad Aen. III 533: 'sic de Ponto Sallustius' etc. ‖ nam *ante* speciem *habet C, vulgo in Sall., sed aperta est interpolatio.*

64*. Crebritate fluctuum, ut aquilone solet.

App. (III 42 D, 52 K, 64 G, II p. 209 et p. 415. — Serv. ad Aen. I 116. ‖ aquilone] aquilo *CPM*. — solet] sonet *H*. — *Post* aquilone *excidisse quaedam Dietsch suspicatus est.*

Comm. Ad Ponti descriptionem haec verba apta esse, quod recte senserat iam Debrossius, ex Mela et Valerio nunc comprobatur; contra in piscium captura, qui e Ponto in Propontidem nant, commemoranda, quam ad rem rettulit fragmentum Kritz, nihil est, cur *crebritas fluctuum* laudata sit.

65*. Utque ipsum mare Ponticum dulcius, quam cetera.

App. (III 45 D, 51 K, 38 G, II p. 210 et 215 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. I 228. — Serv. ad Aen. XII 143. — Macrob. sat. VII 12, 34 (*p. 443 Eyssenhardt*). — Donati ars (IV p. 374). — Serv. comm. in Don. (IV p. 431). — Pompei. comm. Don. (V p. 155). — Diomedes (I p. 325). — Prisc. III (II p. 92). — Ib. XV (III p. 74). — Cledon. (V p. 38). — Consentius (V p. 342). — Ars anon. Bern. (VIII p. 78). ‖ utque ipsum] *solus habet schol. Danielis,* utque *deest vulgo.*

66*. Qua tempestate vis piscium Ponto erupit.

App. (III 41 D, 53 K, 40 G, II p. 216 Br.) — Serv. ad Aen. IV 132. — Schol. ad Iuven. IV 42. — Glossa e codice Vaticano *ed. Ang. Mai auct. class. VII p. 586 (cf. Schmitz mus. Rhen. XVIII 478).* ‖ Qua] *Servius,* quia *glossa,* itaque *S schol. Iuven., ubi* ita *scholiastae potius verbis adnumerandum esse conicio* (Sallustius ita: Qua e. q. s.). — vis piscium] piscium vis *schol. Iuven.* — Ponto] *schol. Iuven., glossa,* ex Ponto *Servius, vulgo.* — erupit] erumpit *NLH Servii, Dietsch.*

67*. Mari nomen inhospitali quaesierant.

App. (*Deest in editionibus.*) — Adnot. ad Luc. IX 960 (*deest in G*). — Comm. Bern. ibid. — hoc Sall. ait *adn., ubi* sallait *C,* fallait *W,* ait *V; om. comm. Bern.* ‖ nomen] *om. V.* — inhospitali] inospitalia *C,* inhospitabila *W,* inhospitabile *V,* inhospitale *comm. Bern., dativum in Sallustio legerat Ammianus loco supra allato.* — quaesierant] *om. V,* quaesiverunt *comm. Bern.,* inhospitali acquisiverant *coni. Jürges p. 74,* inhospitales accolae fecerant *olim Usener.*

68. Namque primum Iasonem novo itinere maris Aeetae hospitis domum violasse.

App. (III 50 D, IV 21 K, IV 57 G, II p. 218 Br.) — Prisc. VI (II p. 246). — in IIII hist. *K, vulgo ante Hertzium.* ‖ itinere] itenere *GL,* itenire *K.*

Comm. Prava deceptus lectione Kritz ad res Mithridaticas fragmentum pertinere ratus est, rectius dein Dietsch situi Pontico id inseruit, quod iam Debrossium antea fecisse adnotaverim. Eo, quo exhibui, conexu et hoc et quod sequitur fragmentum coniunctum esse testari videtur Lucani adnotator loco ad fr. 67 laudato: 'hoc autem ideo dicitur propter iniurias Iasonis vel propter Medeam et pellem auream et propter Achillem, qui illuc praedatum venit ex Ilio.'

69*. Primum Graecorum Achillem.

App. (III 40 D, 32 K, 36 G, II p. 61 et p. 285.) — Serv. ad Aen. I 96.

70*. Igitur introrsus prima Asiae Bithynia est, multis antea nominibus appellata. Nam prius Bebry-

cia dicta, deinde Mygdonia, mox a Bithyno rege Bithynia nuncupata.

App. (III 46 D, 43 K, 42 G, II p. 223 Br.) — Serv. ad Aen. V 373: Bebrycia autem ipsa est Bithynia. Sallustius: 'igitur ... appellata.' — Id. ad Aen. V 203: 'igitur ... Bithynia.' Isid. orig. XIV 3, 39: 'Prima Asiae minoris Bithynia ... multis' e. q. s.

Comm. Enuntiatum illud, quod Servius laudat, necessario vel per se continuandum esse iis, quae Isidorus nomine quidem non laudato exhibet, nemo erit qui neget. Accedit, quod alteram fragmenti partem, quae in Servii, ut nunc est, commentario non iam extat, Servius luculenter ipse testatur a sese lectam esse, quoniam nomen Bebryciae ex eodem affert; praeterea et Solinus et Ammianus plenum legisse fragmentum videntur. Quare, cum ne color quidem Sallustiani sermonis verbis desit, non dubito pro Sallustianis ea habere. At scholiastae Isidorique verba, quae statim secuntur, 'ipsa enim est et maior Phrygia', antea Sallustii fragmento adnexa grammatici esse, non Sallustii, iure affirmavit Dietsch.

71*. Porphyr. ad Horat. carm. I 17, 18: 'ab urbe Teio, quam in Paphlagonia esse Sallustius iudicat, cum de situ Pontico loquitur.'

App. (III 47 D, 44 K, 47 G, II p. 234 Br.)

72. Per hos ⟨Halys⟩ fluit, qui quondam Lydiae regna disiunxit a Persicis.

App. (*Deest in editionibus.*) — Adnot. ad Luc. III 272 (*deest in V et G*). — *Eadem excerpsit* Isidor. XIV 3, 37. ‖ quondam] quandam *C.* — Halys] *add. Usener.* — Persicis] Persis *Isidorus.*

73*. Dein campi Themiscyrei, quos habuere Amazones, ab Tanai flumine, incertum quam ob causam, digressae.

App. (III 49 D, 46 K, 39 G, II p. 239 Br.) — Serv. ad Aen. XI 659. — *Excerpsit* Isidor. XIV 3, 37. ‖ campi] capi *R,* campo *F.* — Themiscyrei] Themescyrei *AS,* themescirei *R,* Threniscyrei *H,* Threisci *M,* theniscyrsei *F.* — digressae] digressi *HF.*

74*. Namque omnium ferocissimi ad hoc tempus Achaei atque Tauri sunt, quod, quantum ego conicio, locorum egestate rapto vivere coacti.

App. (III 52 D, 48 K, 43 G, II p. 265 Br.) — Schol. ad Iuven. XV 115.

75*. Quem trans stagnum omnis usque ad flumen.

App. (Inc. 17 D, III 19 K, inc. 34 G, II p. 107 et 228 Br.) — Schol. Vatic. (Philarg.) ad Georg. IV 293. ‖ usque ad flumen] a flumine *coni.*

Thilo ob scholiastae explicationem dicentis hic ergo usque e loco est, non in locum. *At haec ad Vergilii verba, non ad Sallustium spectare existimo, cum* usque a flumine *addito illo* trans stagnum *ferri non possit.*

Comm. Difficillimum hoc fragmentum Debrossio auctore Kritz ad Cyzici obsidionem rettulit; ego equidem putaverim ad vocem *omnis* inter *stagnum* et *flumen* interpositam veri simillime regionem, oram, terram vel tale quid subaudiendum esse, agi autem hoc fragmento de terrae alicuius descriptione. Sed stagnum illud aliud nisi Maeotim esse nego, quippe quae palus a Mela, stagnum ab Ammiano, similiter ab aliis appellari soleat; itaque flumen Tanain esse haud falso conicias. Reliqua quomodo supplenda sint, incertum, relativum *quem* fortasse ad populum spectat; eiusmodi igitur fuerit forsitan sententia: *populus, quem trans stagnum omnis usque ad flumen ora gignit, Maeotici appellantur,* vel simile quid. Atque haec de fragmenti huius natura conexuque coniectura confirmari videtur Melae loco supra apposito. Ceterum si *quem* vel *cum* scribamus, nexum paullo aptiorem facilioremque fieri patet.

76*. Scythae nomades tenent, quibus plaustra sedes sunt.

App. (III 51 D, 47 K, 44 G, II p. 281 Br.) — Porphyr. ad Hor. carm. III 24, 9. — Schol. Horat. (Ps. Acr.) ibid.: 'quibus . . . sunt.'

77*. Nonius XII p. 524: '*Proximum* dicebant veteres non solum adhaerens et adiunctum, verum etiam longe remotum, si tamen inter duo discreta nihil medium extitisset . . . . ita et Sallustius in situ Ponti de promunturiis Paphlagonum et ⟨eo,⟩ quod Criumetopon appellavit, posuit.

App. (III 48 D, 45 K, G, II p. 207 Br.) ‖ eo] *add. L. Müller.*

Comm. Duos ad locos situs Pontici hoc testimonium referri potest, aut ubi de Asiae litore Carambicoque promunturio agebatur aut cum de Cherroneso Taurica et Criumetopo Sallustius loquebatur. Illic posuerunt fragmentum editores, hic collocandum esse ex Mela Plinioque sequi mihi quidem videtur; et sane proxime alterum ab altero situm esse tum demum dici potuit, postquam alterius situs antea iam expositus est.

78*. Quia prominens aquilonibus minus gravescit quam cetera.

App. (*Deest in editionibus.*) — Adnot. ad Luc. VI 104 (*deest in C*). ‖ aquilonibus] *G, Usener,* aquilo *WV.*

Comm. Ex ipsis Sallustii verbis elucet agi hoc loco de promunturio vel paeninsula aliqua ad meridiem e continenti ita prosiliente, ut ipse continens a ventis eam tueatur, eo autem agi de

mari, in quo aquilones saepius saeviant. Utrumque ad nullam regionem a Sallustio quidem descriptam quadrare mihi videtur, nisi ad Cherronnesum Tauricam.

79. Nomenque Danuvium habet, ⟨q⟩uoad Germanorum terras adstringit.

App. (III 9 D, 55 K, 99 G, II p. 186 et 291 Br.) — Porphyr. ad Horat. carm. IV 4, 38. — Schol. (Ps. Acr.) ad art. poet. 18 *usque ad* habet. — Arus. p. 494 *eadem.* ‖ Danuvium] Danubium *M Porphyrionis.* — habet quoad] habet *scholion Horat., Arusianus,* hab .... ut ad *M Porphyrionis, ubi plures litterae quam* et *syllabam ante* ut *evanuisse W. Meyero visae sunt, corr. Christ.*

Comm. Non in bello Moesiaco Curionis enarrando Sallustium de Danuvio esse locutum, quod auctore Debrossio affirmaverunt editores, sed Danuvium in situ Ponti commemoratum esse e Mela atque Ammiano sequitur quod recte nuper defendit Müllenhoff.

80*. Gellius X 7, 1: 'Omnium *fluminum,* quae in maria, *qua imperium Romanum est, fluunt* .... maximum esse Nilum consentitur. *Proxima magnitudine esse Istrum* scripsit Sallustius.

App. (III 10 D, 56 K, 100 G, II p. 291 Br.)

CAPUT V.

De belli Sertoriani exitu, fr. 81—89.

Enarratio.

Anno 72 in Hispania proscripti, qui cum Sertorio erant, invidentes Sertorii potestati Perperna imprimis auctore maledicere imperatori et ad defectionem Celtiberos permovere coeperunt, Sertorius autem occisis obsidibus vel venditis gravissime in deficientes animadvertit (Plut. Sert. c. 25). Qua de causa Perperna cum decem viris ad necem Sertorii coniuravit, sed patefacta coniuratione alii poenas dederunt, alii, in quis ipse Perperna erat ac Tarquitius quidam, non deprensi sunt (App.
81, 82 b. c. I 113, adde fr. 81 et 82). Attamen denuo coniuratione facta, ne iterum res apertae fierent, Perperna maturandum sibi ratus Sertorium ad cenam invitavit ibique cecidit (Plut. c. 26,
83 fr. 83), dein exercitum de caede ducis magnopere iratum lenire studuit atque tandem, ut imperatorem se gerere posset, perfecit

(App. c. 114). Ac mox, ubi cum Pompeio congredi festinavit,
undique circumventus devictusque est (App. c. 115, Front.
II 5, 32, adde fr. 84), ipse vero 'a frutectis (Ammian. Marc. 84
XXVI 9, 9), ubi latebat, extractus (fr. 85) oblatusque Pom- 85
peio eius iussu est interfectus' (App. ibid., Plut. c. 27); etiam
reliqui Sertorii percussores turpiter perierunt (Plut. l. l.).
'Postea Pompeius .... Auxumen, Cluniam, Calagurrim civitates
delevit' (Exup. p. 5), Calagurritani vero (Val. Max. VII 6, ext. 3),
'quia nullum iam aliud in urbe eorum supererat animal, uxores
suas natosque ad usum nefariae dapis verterunt (fr. 86), quo- 86
que diutius armata iuventus viscera sua visceribus suis aleret,
infelices cadaverum reliquias sallire non dubitavit' (fr. 87). — 87
Sic bello ad finem perducto Pompeius ambitione commotus
atque aemulatione Magni Alexandri (fr. 88) 'factis in Pyrenaeo 88
tropaeis (fr. 89) Romam regressus est' (Exup. ibid.). 89

Fragmenta.

81*. Hanc igitur redarguit Tarquitius.

App. (III 3 D, 64 K, 20 G, II p. 336 Br.) — Donat. ad Terent. Adelph. III 2, 14: 'ut Salustius de scripto Celtiberi ait' e. q. s. ‖ hanc] *D, ed. pr.*, hunc *O, vulgo; substantivum, quod longius afuisse existimo,* epistula *fuisse e Donato fere sequi videtur.* — Tarquitius] Tarquinus *OD, corr. Carrio.* — descriptionem Celtiberiae hanc igitur *coni. Klotz.*

Comm. Hoc atque quod sequitur fragmenta ad coniurationem in Sertorium factam referenda esse consentiunt fere editores, qui iidem ad alteram celebremque illam coniurationem, qua ipse interfectus est, spectare iubent. Atque ad unam eandemque rem utrumque fragmentum spectare, id quod Dietsch quidem negavit, ex Celtiberi illius mentione in utroque facta veri simile videtur, hanc vero esse priorem coniurationem existimo, scilicet quam proditam Sertorio prohibitamque esse constat. Sane cum epistula Celtiberi, gentis Sertorio amicissimae, aliquod detegatur, id esse coniurationis illius consilium videtur; quod redarguisse proditionis opprobrium Tarquitius dicitur perfidumque Celtiberum appellasse narratur, cum eo convenit, quod non omnes coniurationis participes detectos esse scimus.

82. Cavere imperatorem perfido a Celtibero.

App. (III 2 D, K, 13 G.) — Arus. p. 488. ‖ imperatorem] imperatore *N, correxi.* — perfido a] *conieci,* perkaga *N,* perfuga *vulgo,* cavete ab imperatore *cum Lindemanno Kritz,* caveret imperator *coni. Dietsch, Keil, sed faciliorem esse mutationem iudico, modo verbo iubendi sententiam regi statuamus.*

Comm. Qui Kritzii interpretationem iure explosit, Dietsch ipse res hariolavit plane incognitas neque credibiles. Atque quoniam imperator, qui quin Sertorius sit dubitari nequit, ne Celtibero illi confidat admonetur, eum, qui haec dicat, neminem nisi Tarquitium aliumve e coniuratis esse unusquisque mihi concedet, ubi *scripti* illius Celtiberi, quod Tarquitius redarguisse refertur, meminerit.

83. Igitur discubuere: Sertorius inferior in medio, super eum L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis, in summo Antonius et infra scriba Sertorii Versius, et alter scriba Maecenas in imo medius inter Tarquitium et dominum Perpernam.

App. (III 4 D, 3 K, 17 G, II p. 331 Br.) — Serv. ad Aen. I 698. — Nonius IV p. 281: ‘alter scriba’ e. q. s. ‖ L(ucius)] tucius *BK,* tutus *L,* titus *M.* — alter] alteri *LHGen. Nonii.* — Maecenas] *LM,* accenas *B,* maccennas *HServii,* scribam et cenas *codd. Nonii.* — Tarquitium] Tarquinium *codd. Servii et Nonii, corr. Kritz.* — Perpernam] perpenna *M Servii, codd. Nonii.*

84. Diversa, uti solet, rebus perditis capessivit, namque alii fiducia gnaritatis locorum occultam fugam sparsi, ⟨pars⟩ globis eruptionem temptavere.

App. (III 68 D, 78 K, 7 G, I p. 608 Br.) — Nonius II p. 116. — Prisc. inst. X (II p. 534) *usque ad* capessivit. ‖ capessivit] lacessivit *GLK Prisciani,* capessunt *coni. Kritz.* — sparsi] *in* pars *mutavit Mercier,* pars *post* sparsi *rectius inseruerunt Coler ac Mähly.*

Comm. Falso rettulit verba Kritz ad Crixi cladem mortemque, neque enim *gnaritas locorum,* qua quidem Kritz, ut ita fragmentum interpretaretur, commotus erat, cum fugitivis in Italia inferiore palantibus convenit, quod docent fr. 99 et 102, neque omnino res fragmento illustrata ad illam pugnam apta est; scilicet hic agitur de exercitu undique circumvento moxque perituro, Gellius autem consul Crixum ἐξαίφνης ἐμπεσὼν delevit. Itaque ad Perpernae cladem fragmentum refero, qua circumventi undique esse Sertoriani dicuntur; etiam gnaritatem locorum optime in Sertorianis militibus laudari posse haud quisquam negaverit.

85*. Perpernam forte cognoscit mulio redemptoris.

App. (III 5 D, K, 19 G, II p. 343 Br.) — Porph. ad Hor. ep. II 2, 72.

86*. Ubi multa nefanda esca super ausi atque passi.

App. (Inc. 62 D, 28 K, IV 25 G, II p. 389 Br.) — Prisc. XIV (III p. 46). ‖ nefanda esca super] nefandae casu super *DHLGK,* nefande etc. *B,*

nefanda *R, vulgo, quae cum inepta essent, optime corr. Bernays collato Sulpicio Severo II 31, 3:* 'omnia nefanda esca super ausi ne humanis quidem corporibus pepercerunt.'

Comm. Iure de Calagurris oppidi obsidione haec dicta acceperunt Gerlach et Kritz, quod confirmatur nunc Sulpicii loco, deinde Thucydidis II 70: *ἄλλα τε πολλὰ ἐπεγεγένητο αὐτόθι ἤδη βρώσεως περὶ ἀναγκαίας καί τινες καὶ ἀλλήλων ἐγέγευντο,* quem imitatum esse Sallustium observavit Usener.

87. Parte consumpta reliqua cadaverum ad diuturnitatem usus sallerent.

App. (III 6 D, 7 K, 83 G, I p. 566, II p. 421 Br.) — Prisc. inst. X (II p. 546). — Diomedes p. 375 *inde a* reliqua e. q. s. — in I historiarum *G,* in II *K Prisciani,* in III *rell.,* ut Sallustius historiarum quarto *Diomedes.* || cadaverum] cadavera *Diomedes, sed Priscianum praebere memoriam meliorem e Valerio Maximo concluditur, cf. etiam Aurel. Vict. Caes. 21:* 'corporis reliqua luctu publico relata Romam.' — ad diuturnitatem usus] ad diuturnitatis usum *Dietsch, e typothetae vel calami puto errore.*

88. Sed Pompeius a prima adulescentia sermone fautorum similem fore se credens Alexandro regi, facta consultaque eius quidem aemulus erat.

App. (III 7 D, 6 K, 11 G, II p. 656. — Nonius IV p. 239. — Ibid. IX p. 502, *ubi inde a* facta etc. *exciderunt in libris.* || aemulus] aemulatus *codd.,* aemulator *coni. Dietsch,* aemulus *scripsi, quod utroque loco ipse Nonius legisse se lemmate testatur.*

Comm. Res narrata videtur esse in commemorando Pompeii aliquo facto, quo ille ambitione commotus Alexandrum imitatus est; etenim ei loco, quo de Pompeii ingenio moribusque Sallustius loqueretur, haec non inserenda esse e libro tertio utrimque a Nonio affirmato sequitur. Sed rem, quae Sallustio, ut haec scriberet, ansam daret, fuisse tropaeorum a Pompeio in Pyrenaeo positorum mentionem existimo, cf. Arriani anab. V 29 et Diodor. XVII 95.

89*. De victis Hispanis tropaea in Pyrenaei iugis constituit.

App. (IV 29 D, 53 K, 27 G, II p. 422 Br.) — Serv. ad Aen. XI 6: Sallustius de Pompeio e. q. s. || de victis] devictis *codd., disiunxit voces Dietsch.*

Comm. Quartum in librum cur haec verba reiecerint editores, sane nescio, cum et e reliquis fragmentis et ex Exuperantio elucere videatur et Hispaniam plane subactam et Pompeii reditum narratum esse libro tertio.

CAPUT VI.

Tumultus fugitivorum, fr. 90—106.

Enarratio.

Anno 73 e Lentuli cuiusdam ludo Capuano gladiatores
nonnulli cum erupissent, uti poterant, armati ad Vesuvium
90 montem sese receperunt (Plut. Crass. c. 8, adde fr. 90) tres-
que sibi duces elegerunt, *ὧν πρῶτος ἦν Σπάρτακος* (cf.
fr. 90), *ἀνὴρ Θρᾷξ τοῦ Νομαδικοῦ γένους, οὐ μόνον φρόνημα*
91 *μέγα καὶ ῥώμην ἔχων* (fr. 91), *ἀλλὰ καὶ συνέσει καὶ πρᾳό-
τητι τῆς τύχης ἀμείνων καὶ τοῦ γένους ἑλληνικώτερος.* Qui
primos Capuanos reppulerunt, dein P. Clodium, qui in Vesuvio
92, 93 eos obsidebat (fr. 92, 93), 'per fauces cavi montis vitineis de-
lapsi vinculis' circumvenerunt necopinantem atque fugarunt
(Plut. c. 9 usque ad *φυγῆς γενομένης ἔλαβον τὸ στρατόπεδον*).
Iam undique fugitivis, latronibus, pastoribus ad eos confluen-
tibus P. Varinius Glaber praetor cum Cossinio collega adver-
sus Spartacum missus est; sed fugitivi et Furium legatum et
Cossinium oppresserunt (Plut. ibid. usque ad *φόνῳ πολλῷ τὸ*
94 *στρατόπεδον εἷλεν*, fr. 94), qua ex clade in ipsius Varinii exer-
95 citu magna exorta videtur omnium desperatio fugaque (fr. 95).
Attamen Varinio decertare cum fugitivis properante primum
quidem illi loco temporeque minus oportuno proelium evita-
runt, postea vero consulem castra sua aggressum plane devi-
96 cerunt (fr. 96), mox Thoranium quoque legatum superarunt.
Quis bene gestis 'totamque pervagantur Campaniam' (Flor. II 8,
97,98,99 adde fr. 97) et Lucaniam saevissime devastant (fr. 98, 99) 'nec
villarum atque vicorum vastatione contenti Nolam atque Nuce-
riam, Thurios atque Metapontum terribili strage populantur'.
Nihilominus id ante omnia studuit Spartacus, ut hieme aptius
100, 101 fugitivi armarentur (fr. 100, 101); quare '*adfluentibus in diem
copiis,* cum iam esset iustus exercitus, *e viminibus pecudumque*
102, 103 *tegumentis* inconditos sibi clipeos (fr. 102, 103), e ferro erga-
stulorum recocto gladios ac tela fecerunt; ac ne quod decus
iusto deesset exercitui, domitis obviis etiam gregibus paratus
equitatus, captaque de praetoribus insignia et fasces ad ducem
detulere'.

Postero dein anno 72 Cn. Lentulus et L. Gellius consules adversus fugitivos missi sunt, *ὧν Γέλλιος μὲν τὸ Γερμανικὸν ὕβρει καὶ φρονήματι τῶν Σπαρτακείων ἀποσχισθὲν ἐξαίφνης ἐμπεσὼν ἅπαν διέφθειρε* (fr. 104, 105), *Λέντλον δὲ τὸν Σπάρ-* 104, 105
τακον μεγάλοις στρατοπέδοις περιλαβόντος ὁρμήσας ὁμόσε καὶ μάχην συνάψας ἐκράτησε μὲν τῶν πρεσβευτῶν, ἔλαβε δὲ τὴν ἀποσκευὴν ἅπασαν (Plut. l. l.). Devictis consulibus caesi Crixi funera amplissime egit 'captivosque circa rogum iussit armis depugnare, quasi plane expiaturus omne praeteritum dedecus, si de gladiatore munerarius bustum fecisset' (Flor. ibid.). Iam ipsam aggredi Romam ausus est, iam consules duos in agro Piceno sibi denuo restantes fudit (fr. 106), tamen conatu 106
destitit et ad septentrionem sese convertit atque 'apud Mutinam Publi Cassii castra delevit'. Mox in inferiorem Italiam praedatum recessit.

Fragmenta.

90. Schol. ad Horat. epod. 16, 6: '*Spartacus princeps gladiatorum* de illis quattuor et septuaginta, qui *ludo egressi,* ut Sallustius in tertio historiarum refert, grave proelium cum populo Romano gesserunt.'

App. (*Deest in editionibus.*) — *Ed.* Kurschat, *Unedierte Horazscholien des codex Parisinus etc., progr. Tilsit (1884) p. 51.*

Comm. A Sallustiano sermonis genere cum valde abhorreant illud *grave proelium* (!) *cum populo Romano* (!) *gesserunt* illudque *de illis LXXIV,* haec e suo dedisse scholiastam sequitur; itaque non erat, cur Jürges p. 15 nisus hoc loco e variis Flori, periochae Livianae, Orosii, Eutropii, Velleii, Frontini, aliorum locis novum fragmentum contexeret ac putaret hos e Sallustio hausisse, numerum vero fugitivorum apud Plutarchum exhibitum (cf. Prolegom. p. 42) corruptum esse iudicaret: immo ad Livium illos redire notum conclamatumque est. Et contaminasse grammaticum diversorum memoriam docet ipse locus, scilicet Sallustianum *Spartacus, princeps gladiatorum,* quocum conferas Plutarchum l. s. l., cum alterius suisve *Spartacus, unus de illis 74,* foedissime consarcinavit.

91. Ingens ipse virium atque animi.

App. (III 13 D, 10 K, 85 G, I p. 503 Br.) — Arus. p. 480.

Comm. Quoniam simillime Sallustius Mithridatem descripsit (cf. fr. II 74 et 77), ad eundem etiam hoc fragmentum spectare Kritz coniecit; equidem putaverim neque Sallustium haec repetiisse

neque omnino in tertio libro denuo de Mithridate disserendum ei fuisse; contra ad Spartacum verbaque Plutarchi supra proposita optime pertinere fragmentum videtur.

92*. Radicem montis accessit.

App. (Inc. 40 D, 6 K, 49 G.) — Schol. ad Stat. Theb. III 116. ‖ accessit] excessit *p, vulgo,* accessit *ex M et F iam Wölfflin Philol. XXIV p. 157 proposuerat.*

Comm. Cum Clodio ad Vesuvii obsidionem accedente bene haec convenire mihi videntur.

93*. Sin vis obsistat, ferro quam fame aequius perituros.

App. (Inc. 21 D, III 67 K, inc. 42 G, II p. 416 Br.) — Serv. ad Aen. III 265.

Comm. Spartaci esse hanc sententiam in Vesuvio obsessi et ad furtivam eruptionem fugitivos adhortantis acute Kritz coniecit; etenim e verbis *sin vis obsistat* iure elicias antecessisse quaedam, quibus doli alicuius consilia continerentur.

94*. Cossinius in proxima villa fonte lavabatur.

App. (III 65 D, 75 K, G, II p. 153 Br.) — Cledonius (V p. 59). ‖ Cossinius] Cossutius *B, corr. Kritz.* — fonte] forte *coni. Dietsch.*

Comm. Spectat fragmentum ad Plutarchi verba: *Κοσσίνιον .... ἐπιτηρήσας ὁ Σπάρτακος λουόμενον περὶ Σαλίνας μικρὸν ἐδέησε συναρπάσαι.*

95. Ac tum maxime, uti solet in extremis rebus, sibi quisque carissimum domi recordari cunctique omnium ordinum ⟨munia⟩ extrema sequi.

App. (III 73 D, 89 K, 54 G, II p. 103 Br.) — Nonius II p. 137. ‖ recordari] recordavi *LHG.* — munia] *e Nonii lemmate suppl. Junius.* — extrema] strenue *coni. L. Müller.* — sequi] exsequi *coni. Dietsch, sed cf. fr. V 9.*

Comm. De summa exercitus (scilicet Romani) desperatione agi certum est, simili ei, quam Caesari contra Ariovistum bellanti in exercitu coortam esse scimus. Sed tale quid accidisse non certiores facti sumus, nisi quod in Variniano exercitu eiusmodi quaedam fuisse videntur; namque sequentis fragmenti initio non solum fuga militum commemoratur, sed etiam eos, qui fugerant, ad signa redire noluisse, reliquos militiam detrectasse refertur; quare hanc ad rem pertineat forsitan fragmentum.

96. ⟨hastas ig⟩'ni torrere, quibus praeter | speciem bello necessariam | haud multo secus, quam | ferro, noceri poterat. At | Varinius, dum haec agun'tur a fugitivis, aegra par'te militum autumni gra'vitate neque ex postrema | fuga, cum severo edicto | iuberentur ullis ad sig'na redeuntibus et qui reli'qui erant, per summa fla'gitia detractantibus mili'tiam, quaestorem suum | C. Thoranium, ex quo prae'sente vera facillime nos'cerentu⟨r, Roma⟩m miserat. Et ta|men interim cum vo'lentibus numero quattuor ⟨milium iuxta illos castra | poni⟩t va⟨llo, fossa, permag⟩'nis operibus commun⟨ita⟩. | Deinde fugitivi con⟨sump⟩'tis iam alimentis, ne p⟨rae⟩'dantibus ex propin⟨quo hos⟩'tis instaret, soliti m⟨ore mi⟩'litiae vigilias stat⟨iones⟩que et alia munia ex⟨equi⟩, | secunda vigilia ⟨silentio⟩ | cuncti egrediu⟨ntur re⟩'licto bucinato⟨re in cas⟩'tris; et ad vigil⟨um speciem⟩ | procul visen⟨tibus palis ere⟩'xerant fulta ⟨ante

Testimon.: Frontin. I 5, 22: ʻIdem (scil. Spartacus), cum a P. Varinio proconsule praeclusus esset, *palis* per modica intervalla fixis *ante portam erecta cadavera,* adornata veste atque armis, *alligavit, ut procul intuentibus stationis species* esset, *ignibus* per tota castra *factis;* imagine vana deluso hoste copias *silentio noctis eduxit.*'

Fragmentum Vaticanum insertum Vaticano Reginensi 1283. — Ed. III 67 D, 77 K, 76 G, II p. 152 sq. et p. 307 Br., Jordan Sall. op. ed. 3 p. 134 sq. — Constat quattuor unius folii columnis, quarum quaeque vicenos singulos habuit versus ab 18 ad 23 litteras complexos, quorum bini priores desecti sunt. Fragmentum hoc eidem antiquo Sallustii codici deberi, ex quo Aurelianensia ac Berolinense sunt fragmenta, Hauler l. i. l. ac P. Krüger (in *Jordani editione p. 134*) cognoverunt. Antiquiores Kreyssigio ut omittam, egerunt de fragmento: Kreyssig *commentatio de C. Sallustii Crispi Historiarum libri tertii fragmento, Meissen 1735,* Jordan *Hermae vol. V p. 396 et XIV, p. 634,* Hauler *Wiener Studien X p. 136.* — Quae ante Kreyssigium vel ab eo ipso correcta propositave sunt, plerumque nominatim nolui afferre.

A. *Prima folii columna fere integra.* — 2. hastas igni] *supplevi ex Servio ad Aen. IX 740:* ʻnam hastae igni plerumque torrentur'; sudes *coni. Kritz.* — 12. iuberentur] iuverentur *V.* — 13. redeuntibus] deeuntibus *V, defendit Hauler.* — 17. praesente] pre'sente *V.* — 19. noscerentur Romam] noscerentum *V, corr. Jordan secundum Douzam,* noscerent ad senatum *Dietsch.* — miserat] miserant *V.* — 20. cum] quom *V.*

B. *Columna secunda, cuius margo exterior abscissus est.* — 2. *Prima incerta, fortasse* A, M, X, I, E, T, *secunda* U, *tertia non* M, *sed* A; *supplere conatus sum Haulerum fere secutus, qui* quattuor | milium loco tuto castra | ponit vallo aliisque mag'nis *proposuit; castra haec munitissima Variniana esse idem demonstravit, fugitivorum autem mentionem fieri necesse est, quare — exiguo coactus spatio —* illos *scripsi.* — 14. palis erexerant] procul visentibus erexerant *vulgo, quo spatium non expleri intellexit iam Dietsch.* — 15. fulta ante portam] fulta arboribus *Kreyssig, Jordan,* palis fixis *Kritz,* palis *illic, hic* ante portam *ex Frontino addidi.* —

portam⟩ | recentia ca⟨davera et cre⟩bros igni⟨s fecerant, ut for⟩midine f⟨ugarentur Va⟩|rini ⟨milites .... i⟩ter .... *(quattuor desunt versus, quibus etiam de fugitivorum itinere agitur)* .... inviis convertere. At | ⟨Var⟩inius multa iam luce | ⟨desi⟩derans solita a fugi|⟨tivis⟩ convicia et in cas|⟨tra c⟩oniectus lapidum, | ⟨ad ho⟩c strepitus tumul|⟨tusque e⟩t sonores undique | ⟨urgent⟩ium, mittit equites | ⟨in tumul⟩um circum pro|⟨minentem⟩, ut explorarent, | ⟨insequente⟩s propere vesti|⟨gia. Sed fugitiv⟩os credens lon|⟨ge abesse muni⟩to tamen ag|⟨mine insidia⟩s pavens se | ⟨recipit, ut exercitu⟩m dupli|⟨caret novis militibus. At⟩ Cumas | .... *(quinque desunt versiculi, quibus, quomodo Varinius exercitum restituerit, exponitur)* .... ⟨post⟩ | aliquot dies contra morem fiducia augeri nos|tris coepit et promi lingua. | Qua Varinius contra s|pectatam rem incaute | motus novos incognitosque et aliorum casibus per|culsos milites ducit tamen ad castra fugitivorum | presso gradu, silentis iam | neque tam magnifice sumen|tis proelium, quam postulaverant. Atque illi certamine consilii inter se iux|ta seditionem erant, Cri|xo et gentis eiusdem Gallis atque Germanis obviam | ire et ultro ⟨of⟩ferre pugnam | cupientibus, contra Sparta|(co *impetum dissuadente*).

18. *Postrema* F *incerta,* formidinis causa, ne Varini milites egredientis opprimerent *suppl. Jordan.* — 20. *Initio versiculi* TE, *tum fortasse* R *lectae sunt,* iter *suppl. Hauler.*

C. *Columna tertia, cuius exterior margo abscissus est.* — 2. *Duae litterae secundo in versu apparuerunt, prima* O *vel* D, *altera* A; (agmine citat)o a(tque tramitibus) inviis *suppl. Jordan.* — 3. at] ad *V.* — 8. *Prima* C *incerta.* — 9. et] *Prima fortasse* E, *secunda* T, *non* I, *suppl. Hauler,* tumultuosi *vulgo.* — 10. urgentium] *suppl. Hauler,* ruentium *Kreyssig,* inruentium *Jordan, quae ad spatium non quadrare docuit Hauler.* — 13. insequentes] *supplevi,* fugitivos *Kritz,* insidiatores *Hauler, novem vel undecim litteras desiderari ostendens.* — 14. sed fugitivos] *supplevi,* vestigia secutos *Kreyssig, minime spatio satis faciens,* vestigata re etsi illos *Hauler.* — lon|ge] *Post ultimam* O *virgulam fuisse Haulero veri simile erat.* — 15. munito] *suppl. Hauler,* toto *Kreyssig* — 16. insidias pavens] *Prima secundaque* (SP) *perincertae, quibus antecedere litterae* U, O *vel* N *particula Haulero visa est, itaque fortasse* impetus *scribendum est,* agmine est secutus *suppl. Hauler, reliqua supplere quodammodo studui.* — 19. *Fine versiculi undevicesimi duae apparent litterae, prior* G, C *vel* P, *altera* A.

D. 3. aliquot] aliquod *V.* — 7. incaute] incautae *V.* — 16. iuxta] ius|ta *V.* — 20. offerre] ferre *V, defendit Jordan, corr. Kreyssig.*

Comm. Res fragmento Vaticano narratae quo ordine acciderint, quaeritur. Nam Kritz omnia post cladem Varinii, qua fasces equumque praetor amisisse fertur, evenisse putat, Jordan quidem

ante famosam illam pugnam, sed post cladem Thoranii. Sed utrumque falsum esse neque priorem fragmenti partem posteriore continuandam esse existimaverim; deceptos vero puto omnes adhuc viros doctos eo casu, quod et columna quarta huius fragmenti et prima insequentis Vaticani folii de fugitivorum principum rixa aliqua refertur. Sed priore loco illos dubitare legimus, utrum impetui Romanorum obviam eant an — et hoce subaudiri necesse est — castris se teneant insidiisve pugnent vel simile quid. Altero vero loco toto caelo distat quaestio: etenim Spartacus in suam quemque patriam ducere ideoque in Galliam aut Thraciam proficisci in animo habet, contra Crixus in Italia maneant ac praedentur monet. Accedit, quod pugna illa, qua victus est Varinius, omnium postrema fuit, (τέλος δὲ τοὺς ῥαβδούχους καὶ τὸν ἵππον αὐτοῦ λαβών), antecedebat autem cladi Thoranii et vastatae Campaniae. Quare sic existimo, celebrem illam cladem Varinianam eam ipsam pugnam esse, quam incipi quarta huius folii columna narratur; dein subsecuta esse capta Thoranii castra vastatamque Campaniam, tum rixam ducum extitisse dissentientium, utrum ad Alpes proficiscendum an Italia exhaurienda sibi esset; huc denique incidere res fragmenti Vaticani altera parte expositas. Itaque folia Vaticani fragmenti non fuisse intimum quaternionis par, sed intercessisse inter utrumque duo fere folia conicio.

97. Incidere in colonos Abellanos praesidentis agros suos.

App. (III 66 D, 76 K, 98 G.) — Arus. p. 498.

98. ⟨ali⟩|enis et ei . . . . | ne, qua ⟨ratione vagarentur a⟩d | id temp⟨oris . . . . tu⟩m que seclu⟨derentur itinere ia⟩m et extin⟨guerentur . . . . simu⟩l | curam . . . . is set hau⟨d . . . . i⟩taque | quam c⟨elerrime abirent. H⟩aud | aliam f⟨ugae rationem c⟩api endam ⟨sibi esse pauci⟩ pru dentes p⟨robare,

Fragmenti Vaticani alterum folium (cf. fr. 96) duas in partes ita discissum, ut primae quartaeque columnae media eaque maior pars perierit.
A. *Columna prima. — Sententiam, quae hac columna contineri videtur, bene restituerunt Kritz ac Dietsch. Quos Jordanumque secutus etiam verba quodammodo restituere conatus sum, quamquam laceri fragmenti verba ubique suppleri posse nemo sane contendet. Id quidem certum videtur, initio Spartaci consilia, post Crixi exposita esse.* — 3. *Prima* E *ante Haulerum non lecta est, septima* E *potius quam* I, *octava veri simillime* I, *fortasse* L, P, D, alieni *coni. Hauler.* — *Fine versiculi una littera, fortasse* B, *conspicitur.* — 4. qua ratione] *suppl. Dietsch.* — 6. 7. secluderentur itinere] *item* extinguerentur *Dietschii sunt.* — 8. *Paenultima* I *aut* M, *non* A *neque* U *videtur.* — 9. itaque] *suppl. Hauler.* — 10. *Quinta* C, *fortasse* G, Q, O. — *Alterius partis prima incerta,* A, R, M, P *apparuit.* — 11. capiendam] capie endam *V.* — 13. *Septima* B, P *vel* D *fuisse videtur,* docilis-

liberi ani⟩mi | nobiles⟨que, ceteri⟩ . . . . lau|dantque, q⟨uod ille iubet fac⟩ere, | pars sto⟨lide copi⟩is ad fluenti⟨bus ferocique inge⟩nio fi dens, ali⟨i inhones⟩te patri¦ae immem⟨ores, at plu⟩rimi | servili ⟨indole nihil⟩ ultra | prae⟨dam et crudelit⟩atem B, 3 ¦ ⟨appetere⟩ *(desunt duo fere versus)* . . . . cons⟨ilium . . . . op⟩ timum videbatur. Dein¦ceps monet in ⟨l⟩axiores | agros magisque pecuarios ¦ ut egrediantur, ubi priu⟨s⟩¦quam refecto exercitu | adesset Varinius, auger⟨e⟩¦tur numerus lectis vir⟨is⟩; et propere nactus ido¦neum ex captivis ducem | Picentinis, deinde Eburi¦nis iugis occultus ad N⟨a⟩|ris Lucanas atque inde pri ma luce pervenit ad An|ni forum ignaris culto|ribus. Ac statim fugitivi co⟨n⟩|tra praeceptum ducis | rapere ad stuprum virg⟨i⟩¦nes matr⟨ona⟩sque et alii . . . . *(duo versus desunt)* . . . . C, 3. 5 n⟩unc res|tantes et eludebant, simul | nefandum in modum per¦verso volnere, et inter dum lacerum corpus se¦mianimum omittentes; ¦ alii in tecta iaciebant ig¦nis multique ex loco ser¦vi, quos ingenium soci os dabat, abdita a domi¦nis aut ipsos trahebant | ex occulto; neque sanctum | aut nefandum quicquam fuit irae barbarorum | et servili ingenio. Quae | Spartacus nequiens pro¦hibere, multis precibus cum | oraret, celeritate prae¦verterent . . . . nuntios . . . . *(duo desunt versus)* . . . . tur neque | e

Testimon.: B. 18. Nonius p. 456: Sallustius hist. lib. III: 'Ac statim . . . . matronasque.'

que *temptat Hauler.* — liberi animi] *supplevi,* ingenuique animi *Hauler.* — 14. *Ante posterioris partis primam* (L) *litterae* L, P, C *vel* A *vestigium superest.* — 15. *Sexta* Q, G, C, O, quod suaserat facere *iam Kritz.* — 16. 17. stolide etc.] stolide nimis adfluentium numero *coni. Jordan.* — 18. inhoneste] longinquae *Jordan.* — 19. immemores, at plurimi etc.] *suppl. Jordan.* — immemores] inmemores *V.* — plurimi] (plu)rumi *V.* — 21. praedam et crudelitatem] *suppl. Hauler,* praedam caedesque petere *Jordan.*

B. *Columna secunda fere integra.* — 3. *Fine versiculi trium litterarum reliquiae exstant, prima* R, B *vel* D, *secunda* A *vel* R, *tertia* R *vel* A, *dein duarum fere litterarum spatium.* — 5. laxiores] (l)axioris *V.* — 10. nactus] nanctus *V.* — 21. *Fine versus littera* C, G, O *vel* Q *apparuit.*

C. *Columna tertia.* — 3. *Post quattuor fere litterarum spatium item quattuor reliquiae extant, quarum prima* R *vel* A, *secunda* O, U *vel* C, *tertia certo* S, *postrema* O *vel* U *lectae sunt.* — *Idem hac columna atque antecedente enuntiatum etiam continuari recte docuit Jordan, quod quomodo restituendum sit, non invenio.* — 19. precibus] praecibus *V.* — cum] quo m *V.* — 20. praeverterent] *Dein quattuor litterarum spatium, quarum prima* D, B, P *vel* R, *postrema* E *fuisse videtur,* de re *suppl. Hauler,* praevertere mittere *antea.*

D. *Columna quarta, qua continuari narrationem de caedibus rapinisque fugitivorum apparet, singula quomodo reddenda sint, minime patet.* — 3. tur] *sic probabiliter esse legendum Haulero visum est,* qua neque *antea.*

.... ⟨odiu⟩m in se | c⟨onvertere. Qu⟩os cru|del⟨iter caedibus occ⟩upatos | a⟨c⟩ .... gravis ple|r⟨ique .... A⟩t illum di|em ⟨atque proximam⟩ noctem | ib⟨idem commoratu⟩s dupli|ca⟨to iam fugitiv⟩orum nu|me⟨ro castra movet p⟩rima cum | luc⟨e et consedit⟩ in campo | sati⟨s lato, ubi colo⟩nos aedifi|cis e⟨gressos videt⟩; et tum | mat⟨ura in agri⟩s erant | autu⟨mni frume⟩nta.

Sed inc⟨olae iam ple⟩no die gna|ri ex f⟨uga finit⟩imorum fugi⟨tivos ad se a⟩dventa|re, p⟨roperant cum o⟩mnibus | (*suis in montes vicinos vel similia*).

Testimon.: D. 16. Porphyr. ad Hor. ep. II 1, 140: 'nam et autumni frumenta Sallustius dixit.'

— 4. odium] *vel* iram in se convertisse *fugitivos incolarum conicio.* — 5. *Prima* O, C, G *vel Q fuit.* — *Alterius partis prima plane incerta, secunda certa* S. — 6. crudeliter caedibus occupatos] cr. in caedendo occupatos *suppl. iam Dietsch.* — 9. diem atque proximam noctem] *suppl. fere Kreyssig.* — 10. 11. duplicato iam fugitivorum numero] *haec fere iam Kritz supplevit.* — 12—15. castra e. q. s.] *supplevi.* — 14. *Quartae* (I) *hasta extat.* — satis lato *et* colonos *Kritzio debetur.* — aedificis] edifi cis *V.* — 18. *Sexta* O, C, G *vel* Q. — incolae e. q. s.] *suppl. Kritz.* — 19. finitimorum] (finit)umorum *V.* — 20. ad se] *suppl. Kritz, cetera Kreyssigio debentur.* — *Quartae* (I) *hasta reliqua est.* — *Alterius versus partis prima aut* D *aut* C. — properant cum] *suppl. Hauler.*

99. Unus constitit in agro Lucano gnarus loci, nomine Publipor.

App. (III 69 D, 79 K, 69 G, II p. 431 Br.) — Prisc. VII (II p. 236). — Probus cath. (IV p. 16): 'legi unum novo modo figuratum apud Sallustium, Publipor, Publiporis.'

Comm. Non ad rem brevi post Crixi cladem quandam gestam, quod Kritz ac Dietsch arbitrati sunt, fragmentum spectare ea ex re elucet, quod Crixus ad Gargarum montem, scilicet in Apulia situm, caesus est neque omnino illo anno fugitivi in Lucaniam venerunt.

100. Locum nullum, nisi quo armati constitissent, ipsis tutum fore.

App. (III 64 D, 69 K, 86 G, II p. 430 Br.) — Arus. p. 481.

Comm. Quoniam ea huius enuntiati vis est, ut admoneantur quidam, quam celerrime optimeque sese armentur, recte mihi Kritz videtur haec verba Spartaco attribuisse, quem ante omnia id spectasse, ut militum modo fugitivos suos exornaret, notissimum est.

101*. Exuant armis equisque.

App. (Inc. 22 D, III 68 K, 73 G, II p. 144 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. XI 80.

Comm. A Spartaco hoc praeceptum fugitivis esse iam Debrossius intellexit. Ceterum *mortuos* subaudiendum esse, quod negare non debuit Dietsch, vel e scholiastae interpretatione efficitur.

102†. Hi locorum perignari, et soliti nectere ex viminibus vasa agrestia ibi tum, quod inopia scutorum ferebat, ea arte se quisque in formam parmae equestris armabat ⟨scuto⟩.

App. (IV 1 D, 22 K, 4 G, II p. 145 Br.) — Nonius XVIII p. 554. — hist. lib. IV *codd., vulgo; libro tertio fragmentum assignavi, cum et e Floro Appianoque eluceat hieme 73/72 hasce res accidisse et ex fr. 100 tertio libro easdem contineri sequatur.* ‖ perignari] pergnari *ex Douzae coniectura vulgo, at cf. fr. 99.* — ferebat] fuere ad *codd.,* fuerat *vulgo, corr. L. Müller, sane plusquamperfectum tolerari nequit.* — scuto] *ex Servii loco infra laudato ac Frontino Nonioque addidi,* clupeo *suppl. Dietsch.*

103*. Coria recens detracta quasi glutino adolescebant.

App. (IV 2 D, 23 K, 5 G, II p. 100 et 145 Br.) — Serv. ad Georg. III 156. — *Praeterea* Charisius p. 88 *inde a* quasi e. q. s.; ibid. p. 131 *et* schol. Vatic. (Philarg.) ad Georg. IV 40: 'glutino adolescebat.' — Beda de orth. (VII p. 274): 'glutinum Sallustius dixit .... glutino.' — *Verba Sallustii cum Servii ad Aen. VII 632 scholio foede contaminavit ibidem F, in quo extant:* qui de vimine facti scuta recentibus detractis coriis quasi glutino adolescebant. ‖ quasi] *Charisius, F Servii ad Aen. VII 632,* veluti *Servius ad Georg.*

Comm. Ad utrumque fragmentum spectat Servii quoque testimonium ad Aen. VII 632: 'ut dicit Sallustius de Lucanis, qui de vimine facta scuta coriis tegebant.'

104*. Germani intectum renonibus corpus tegunt.

App. (Inc. 18 D, III 57 K, III 27 G, I p. 640 Br.) — Isidor. orig. XIX 23, 4. ‖ intectum] intecti *coni. Coler,* cetera *ante* intectum *add. Dietsch.*

105*. Servius ad Georg. III 383: 'nam, ut Sallustius dicit in historiis, vestes de pellibus *renones* vocantur.

App. (Inc. 19 D, III 58 K, 28 G, I p. 641 Br.) — *Similiter Schol. Bern. ad eundem locum.*

Comm. Ampliorem Germaniae Germanorumque in historiis fuisse descriptionem editores duobus his e fragmentis concluserunt, quam exhibuisse Sallustium in Curionis expeditione enarranda ad Danuvium usque progressi plerique putarunt. Verumtamen neque ad Danuvium omnino Germanos Curio conspexit, neque Scythae supra Pontum habitantes neque Bastarnae, Mithridatis auxilia, pro Germanis habiti umquam sunt (utrumque enim antea proposuerat Gerlach); de Ariovisto vero Germano, de quo praeterea cogitavit

Dietsch, Sallustium egisse ne minimo quidem vestigio apparet. At certe Germani et fuerunt in fugitivorum exercitu et a Sallustio saepius in eodem appellati sunt: itaque fugitivos hisce fragmentis dictos esse haud negandum est. Accedit, quod non ex ampliore Germanorum morum ingeniique descriptione fragmenta sumpta sunt, sed de tegumentis tantum eorum utroque loco agitur: quibuscum si fragmenta, quae modo antecedebant et quibus de scutis armisque fugitivorum relatum est, comparaverimus, vel magis elucebit Germanos, quos nominat his locis Sallustius, in fugitivorum fuisse numero. Apposui vero fragmenta, ubi maxime hi Germani commemorandi erant, scilicet in proelio eo, quo Crixo duce Germani a consule devicti caesique sunt; nempe ad pugnam aliquam fragmenta spectare ex nuditate Germanorum memorata, qua in proeliis eos uti solitos esse constat, etiam confirmatur.

106. Et eodem tempore Lentulus duplici acie locum editum multo sanguine suorum defensum, postquam ex sarcinis paludamenta extare et delectae cohortes intellegi coepere.

App. (III 70 D, 80 K, 77 G, II p. 311 Br.) — Nonius XIV p. 538. locum] longum *codd., corr. Bentinus.* — defensum] defensus *L H G,* defessus *Bamb., corr. Kritz,* defensas *coni. L. Müller.* — sarcinis] arenis *coni. Madvig,* angustiis *L. Müller, sed exercitu Romano proficiscente primum sarcinae, quippe quae longis perticis super humerum ferri soleant, conspiciuntur, tum quasi perlucent appropinquantium paludamenta armaque; itaque non est, cur verba* ex sarcinis *immutemus.* — extare] ostari *G Bamb.,* astari *L H, corr. Dietsch,* ostentari *coni. Kritz,* hastati *Coler.*

Comm. Falso Dietsch ad eam pugnam hoc fragmentum rettulit, qua Spartacus Crixo mortuo ad septentrionem conversus Lentulum, mox Gellium vicit. At illis proeliis non Lentulus Gelliusque simul interfuerunt, sed singulos oppressit Spartacus, hoc vero fragmento alter consul Lentulo collegae opem tulisse aperte ostenditur; deinde Lentulus ea, quam dictam esse Dietsch voluit, pugna non *locum editum* occupavit defenditque, sed munitionibus Spartacum circumsessum, ne in Galliam transpadanam evaderet, prohibere studuit. Quare verba ad alterum proelium refero hoc anno gestum, quo Spartaco Romam proficiscenti duo consules in agro Piceno occurrerunt victique sunt.

Fragmenta incerta, 107—110.

107. Perculsis et animi incertis succurritur.

App. (III 75 D, 92 K, 93 G.) — Arus. p. 487.

108. Muros successerant.

App. (III 76 D, 93 K, 12 G, II p. 103 Br.)

109. Contra ille calvi ratus quaerit, extnisne an somnio portenderetur thesaurus.

App. (III 78 D., 96 K, 82 G, II p. 5 Br.) — Eutyches (V p. 485). — *Praeterea:* Nonius I p. 7 *et* Priscianus X (II p. 506): 'contra .... ratus'; Prisc. VIII (II p. 431) 'calvi ratus'. ‖ contra ille] contrullae *codd. Nonii.* — quaerit extnisne] quaerit extis (*omisso* ne) *P,* ratusque retextisne *B,* querere tectis ne *T,* ratusque rite textis *F.* — an somnio] *P,* an *om. B,* asomno *T,* netui *pro* ne an *F.* — portenderetur] portenderet *T,* ostenderetur *B Dietsch.* — thesaurus] thesauris *B,* thesauros *T.*

110. Dubius consilii.

App. (III 81 D, 99 K, 21 G, II p. 82, 416, 549 Br.) — Arus. p. 468.

LIBER IV.

ARGUMENTUM.

Quarto historiarum libro praeter eas anni 72 res, quae libro tertio nondum enarratae erant, quattuor annos 71—68 contineri e fragmentis elucet. Atque primum sane locum obtinent res urbanae anno 72 actae; reliquis e rebus, quae annis 72, 71, 70 gestae sunt, etiam *primo* posui *capite* res navales a Triario maxime gestas et bellum Mithridaticum; huic autem res a M. Lucullo in Thracia gestas subsecutas esse putaverim; etenim rerum, quae domi anno 70 acciderunt, consulatusque Pompeii et Crassi narrationem vestigia pressisse belli Spartacii exitus e conexu, quo utrumque Appianus ac Plutarchus et in Crassi et in Pompeiana vita exhibuerunt, sequitur; bello autem Spartaci brevi antecessisse finem belli Moesiaci Lucullique in Italiam reditum inde intelligitur, quod Sallustius testibus Appiano I 120 et Plutarcho Crass. c. 11 in Spartaci rebus enarrandis illius belli ita mentionem fecerat, ut antea idem apud Sallustium iam expositum esse putandum esset. Itaque Spartaci exitum *secundum*, *tertium caput* Pompeium Crassumque consules complectitur. — *Postrema* libri huius parte res a Lucullo, Mithridate, Tigrane in Armenia gestae memoratae sunt; et usque ad anni 68 autumnum, i. e. ad Mithridatis invasionem in Pontum subito factam, narrationem deduxisse Sallustium fragmentis ostenditur neque non apud Dionem Cassium conspicitur. Atque ex eodem concludas ea, quae annis 69 et 68 Romae acciderunt, suo loco narrationi belli Armeniaci intermixta esse.

CAPUT I.

Res annis 72—70 in Asia gestae, fr. 1—19.

Insunt fr. 1 et 17 de rebus urbanis, de M. Luculli bello Thracio fr. 18 et 19.

Enarratio.

Anno 72 consules fuerunt L. Gellius Poplicola Cn. Cor-
nelius Lentulus Clodianus, quorum hic legem tulit, ut ii, quibus
bonorum publicatorum pretium remiserat Sulla, tunc rursus in
1 aerarium id referrent (fr. 1); cuius legis non perlatae loco
mox senatus consulto suo eadem decrevit. — Sed Mithridatis
classis, quae anno antea ad Italiam Hispaniamque profecta erat
et cuius partem Lucullus in mari Aegeo devicerat, brevi et
tempestatibus afflicta et a Romanis dissipata est, quin ipsi
duces (velut L. Fannius et Metrophanes) 'tamen ultimum ad
Romanos prodito ex magna parte Mithridate redierunt' (Ps.
2 Ascon. ad Verr. II 1, 87 p. 183 Or., adde fr. 2). Reliquias
vero classis Triarius ad Tenedum insulam excepit ac plane
3 delevit (fr. 3).

Sed L. Lucullus hieme ad Amisum oppidum acta vere
anni 72 in interiora Pontici regni progressus ad Cabiram oppi-
dum iter fecit, ubi Mithridates cum exercitu denuo congre-
gato constiterat. Quo cum pervenisset equitatus Romanorum,
qui in planitiem descenderat, cum Ponticis congressus victus
4 est (fr. 4); qua commotus clade Lucullus apertos latosque
campos evitaturus hostiumque equites veritus in montes
regressus est, mox tamen loco tuto super Cabiram sito castra
5 posuit (fr. 5) proeliumque quam maxime defugere constituit.
At nihilominus brevi post militibus quibusdam per casum sibi
occurrentibus mox pugna accensa est, qua primum Pontici,
tum vero Lucullo subveniente Romani victoriam reportaverunt
(Plut. Luc. c. 15 inde a γνώμην μὲν οὖν οὐδέτερος εἶχεν,
6, 7 adde fr. 6 et 7). Eodem hoc tempore Olthacus Scytha pro-
ditionis causa ad Lucullum transfugit, ut eum occideret, sed
a conatu, cum casu quodam impediretur, abscessit (Plut. Luc.
c. 16, Frontin. II 5, 30). — Iam hieme exorta Lucullus e

Cappadocia commeatum sibi parare studuit (fr. 8), Mithridaticos 8
vero id prohibere conatos primum Sornatius, dein M. Fabius
Hadrianus legati reppulerunt; sed hac clade tanta in castris
regis orta est omnium desperatio, ut omnis exercitus subita
formidine dispergeretur, ipse autem Mithridates vix persequentes
Romanos castrisque potitos effugeret (Plut. c. 17, adde fr. 9—11). 9, 10, 11
Postea vero etiam Cabiram ceteraque regis castella Lucullus
cepit (Plut. c. 18 init., fr. 12), ipsum e Ponto Armeniaque 12
minore expulit, tum ad Amisi urbis obsidionem revertit (fr. 13). 13
Quae cum expugnata esset, et Ponticorum et militum Romanorum culpa incendio diruta fere est (Plut. c. 19, adde
fr. 14—15). Dein postero anno 70 reliqua Ponti oppida, velut 14, 15
Amasiam, Amastrim, Sinopen Lucullus cepit.

Iisdem annis M. Cotta, Luculli collega, Heracleam Ponticam
circumsedit, quam vere anni 70 ut caperet, ei contigit. Quae
dum obsidetur, ingenti terra mareque motu concussa sunt
(fr. 16); qui terrae motus non solum in Asia minore, sed etiam 16
in Italia Romaeque observatus est (fr. 17). — Atque haec 17
dum in Asia geruntur, M. Lucullus, Lucii frater, Thracibus devictis etiam Moesiis bellum intulit (fr. 18) urbesque ad oram 18
Ponti sitas subegit; in quis etiam Bizone oppidum fuisse videtur
(fr. 19). 19

Fragmenta.

1. At Cn. Lentulus patriciae gentis, collega eius, cui cognomentum Clodiano fuit, perincertum stolidior an vanior, legem de pecunia, quam Sulla emptoribus bonorum remiserat, exigenda promulgavit.

App. (IV 35 D, 50 K, 28 G, II p. 304 Br.) — Gellius XVIII 4. ‖ at] *om. Z.* — Clodiano] Claudiano *OZ.*

Comm. Rem fragmento hoc narratam actam esse anno 72 a consule Lentulo, non anno 70 a censore eodem, contendi Prolegom. (fasc. I) p. 79.

2. Eum atque Metrophanem senatus magna industria perquirebat, cum per tot scaphas, quas ad ostia cum paucis fidis percuntatum miserant ....

App. (III 11 D, 8 K, 35 G, II p. 39 Br.) — Nonius XIII p. 535. — hist. lib. IV *codd. Nonii,* lib. III *vulgo.* ‖ senatus] Sertorius *coni. Dietsch,*

temerarie. — cum paucis] sum *Bamb.* — fidis] fides *codd.* — percuntatum] percunctatur *codd.* — miserant] miserat *coni. Quicherat.*

Comm. Falsissime Debrossio auctore omnes editores (quibus etiam P. Jürgium p. 43 nuperrime adstipulatum esse vehementer sane dolemus) rati sunt hoc fragmento dictam esse legationem illam de pace inter Sertorium et Mithridatem facienda missam. At legati certe fuerunt Lucii Fannius Magiusque, minime vero Metrophanes; sin Metrophanes iis interfuisset, non *eum* sed *eos* in fragmento expectaremus. Verumtamen hac de re omnino non libro quarto, sed secundo libro locutus est Sallustius; accedit, quod Dianii, quo legatos illos contendisse scimus, non sunt fluminum *ostia,* quae tamen hoc fragmento commemorantur, neque si *senatum* nominat Sallustius, aliud quicquam, nisi Romanum senatum putasse habendus est. Atque Metrophanem anno 74 cum L. Fannio in Asia contra Mamercum pugnasse notum est; uterque vero in rebus bello Mithridatico gestis postea non iam commemoratur, immo postremo ad Romanos Fannium descivisse Ciceronis scholiasta testatur (v. p. 158). Iam vero animadvertas hoc fragmento Metrophanem classi esse praepositum, agere cum senatu (Romano scilicet), itaque prope Italiam versari, alterum praeterea appellari classis illius ducem, quem Fannium esse facile subaudimus. Quid igitur? Nonne Metrophanes et Fannius regiae classi ad occidentem versus missae praefecti esse videntur? Et tunc ad Romanos transiisse eosdem putaverim. Itaque hic fere erit ordo rerum: venerunt cum classe regia illi ad Italiam, contusae sunt opes et ventis et Romanorum armis, iam duces deficere ad eos cogitant et cum senatu hac de re egerunt; sed senatus diligenter inquirere in eos instituit, cum fidei eorum credere nollet, sane scaphas regias metuit insidiasque atque proditionem veritus est.

3. Demissis partem quasi tertiam antemnis.

App. (IV 41 D, 49 K, 2 G.) — Arus. p. 499.

Comm. Cum antemnae et in tempestatibus et ubi navibus pugna incipitur, demitti soleant (id quod nostrates '*die Segel bergen*' appellant, cf. praeterea bell. Alex. c. 45 et Breusing, *Die Nautik der Alten,* p. 64), equidem hunce locum ad pugnam navalem referri iubeam; etenim de tempestate aliqua hic agi minus veri simile videtur esse, quoniam libro quarto tempestatis vel naufragii similisve rei fusius apud Sallustium fieri mentionem non scimus. Quae si ita sunt, ad pugnam a Triario ad Tenedum factam fragmentum afferre licebit.

4†. Turmam equitum castra regis succedere et prope rationem explorare iubet.

App. (II 50 D, 61 K, 99 G.) — Arus. p. 507. — hist. II *N, vulgo, sed cf. Comm.* ‖ prope rationem] properationem *N,* stationem *coni. Bon-*

dam, idem Wölfflin, proeli rationem *Dietsch,* prope nationem *Mähly, iure defendit Keil,* locorum *vel simile quicquam secutum esse ostendens.*

Comm. Quoniam res aliqua contra regem, scil. Mithridatem, bello gesta commemoratur, fragmentum libri secundi esse nequit; neque vero e tertio libro sumptum esse veri simile est, cum grammaticus haec verba alteri exemplo Sallustiano e tertio libro laudato verbis *idem hist. II* subnectat. At aperte agitur de Romanis Ponticisque iuxta sese castra habentibus; cum vero speculatores adversus hostes missos esse legamus, successisse mox pugnam equestrem e similitudine talium rerum concludam; ac totam hanc condicionem ad res apud Cabiram gestas bene quadrare putaverim: quibuscum congruunt et equites Romani adversus Mithridatem missi et castra regis vicina Romanis et ratio locorum, qui prope sunt, Romanis incognita difficilisque, itaque hanc ad pugnam equestrem fragmentum refero. At perperam nuper Jürges fragmentum de Lucullo dictum intellexit collata Livii per. 94: 'L. Licinius Lucullus cos. adversus Mithridatem equestribus proeliis feliciter pugnavit.' Verumtamen equestres illae pugnae, de quibus Livius libro 94 egit, non cum rege ipso, sed cum M. Mario, regio duce, factae sunt (cf. Plut. Luc. c. 8).

5. Igitur legiones pridie in monte positas arcessivit.

App. (IV 16 D, 43 K, 41 G, I p. 404, II p. 310 Br.) — Priscian. X (II p. 535). ‖ arcessivit] lacessivit *coni. Kritz.*

Comm. Ut Debrossii Gerlachiique absonas plane coniecturas omittam, Kritz — cui Dietsch cunctanter adsentitus est — ad pugnam, qua Castus Gannicusque, fugitivorum duces, devicti sunt, spectare fragmentum coniecit. At duodecim illae Romanorum cohortes (vel sex milia militum) *legiones* appellari nequeunt neque omnino cum pugnae illius descriptione Sallustiana, quam quidem apud Plutarchum extare consentiunt viri docti (cf. Proleg. p. 41—42 et 46), haec Sallustii verba conveniunt. Melius autem eadem congruere mihi videntur cum rebus ad Cabiram gestis. Namque tum in montibus sedisse Lucullum, mox in planum descendisse, at brevi ad montes denuo recurrisse hostium equitatum veritum notum est. Atque ibi cum haud exiguo in discrimine versaretur, reperta subito via loco tuto castra posuit; huc autem incidere nostrum fragmentum arbitror: iam Lucullus Graeculos illos repperit, iam viam ab iisdem sibi ostentatam secutus est locumque cum paucis occupavit: tunc vero legiones ex prioribus castris arcessivit.

6*. Serv. ad Aen. XII 282: '[Sic omnes amor unus habet, decernere ferro.] Sic, i. e. dum paullatim suis invicem subveniunt, omnes in bellum coacti sunt; sic Sallustius.'

App. (Inc. 24 D, III 71 K, IV 45 G, I p. 276 Br.)

Comm. Duae sunt pugnae, quas tali modo exortas esse Sallustius narravit, altera ad Cabiram facta (Plut. Luc. c. 15), altera qua Spartacus interiit (Plut. Crass. 11). Ad illam cum Gerlachio malim verba Servii referre, quoniam artius ea ad Plutarchi Luculli locum quam ad Crassi vitam adaptari possunt, cf.: *ἐκ δὲ τούτου συμπεσόντας ἀγωνίζεσθαι πλειόνων ἑκατέροις ἀεὶ προσγιγνομένων.*

7*. Quo cupidius in ore ducis se quisque bonum et strenuum ostentantes.

App. (Inc. 63 D, 29 K, II 55 G, I p. 608 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. X 370: Sallustius e. q. s. 'non dicit proconsulis'. — *Ex eodem sumpsit* Isidorus orig. IX 3, 22 *usque ad* bonum.

Comm. Ad Cabirense proelium bene pertinere puto fragmentum, quo non nisi ipso Lucullo interveniente militesque fugientes adhortante bene res Romani gesserunt; et animadverte secundum ea, quae scholiasta addit, de Romano imperatore eoque proconsule esse apud Sallustium sermonem.

8†. At Lucullum regis cura machinata fames brevi fatigabat.

App. (III 34 D, 38 K, II 96 G, II p. 192 Br.) — Priscian. VIII (II p. 382). — Sallustius in II historiarum *codd., tertio libro assignatur inde a Kritzio.*

Comm. Falso fragmentum a Kritzio ad iter a Lucullo in Pontum factum atque ad Plut. c. 14 refertur; illius enim temporis inopiam non rex, sed ipsa regio effecit; contra ad id temporis spatium, quo apud Cabiram actum est, verba spectare rebus ab Appiano c. 81 narratis confirmatur. Itaque non tertii, sed quarti est libri hoc fragmentum.

9*. Qua nocte ipse fiebat anceps.

App. (*Deest in editionibus.*) — Schol. ad Stat. Theb. III 2 (*animadvertit primus* Müller *Herm. X p. 118*). ‖ fiebat] fidebat *P.*

Comm. Mithridates, qui omnibus circum se de salute desperantibus accepto de clade suorum nuntio ipse timere coepit atque e castris effugere constituit, aptissime ita appellari potuisse mihi videtur.

10. Ita castra sine volnere introitum.

App. (IV 45 D, 3 K, 71 G, I p. 599, II p. 366 Br.) — Arus. p. 488. — Serv. ad Aen. X 628. — Ibid. XI 230. ‖ ita] *solus habet Arusianus.* — castra] in castra *coni. Dietsch ex lemmate, quod in N ita legitur:* introitum in illa loca; *sed lemma potius ex exemplo corrigendum esse iure reliquis viris doctis visum est.*

Comm. Castra esse Mithridatica post fugam Pontici exercitus sine vulnere a Romanis capta ex Debrossii coniectura iure Kritz affirmavit.

11. Et reversi postero die multa, quae properantes deseruerant in castris, nacti, cum se ibi vino ciboque laeti invitarent.

App. (IV 4 D, 26 K, 6 G, II p. 308 Br.) — Nonius IV p. 321. ‖ et reversi] et versi *codd., corr. Dietsch,* reversi (*om.* et) *Junius.* — multa quae] multoque *codd.* — vino ciboque] cibo vinoque *L G vulgo.*

Comm. Milites victores, qui castris hostium potiti tam acriter eos persecuti sunt, ut thesauros arripiendi tempus iis deesset, iidem vero postea laetissimi copiis hostium utentes, dein castra illa divitiis, ut videtur, copiisque plena, milites vero cibo vinoque iam diu egentes: omnia cum victoria Cabirensi optime congruunt; sane tum diripiendorum castrorum potestatem militibus a Lucullo factam esse e Plutarcho scimus. Quonam vero argumento commoti editores fugitivos dictos esse opinati sint, nescio.

12*. Tenuit Lucullus thesauros, custodias regias.

App. (IV 47 D, 5 K, 42 G.) — Pompei. comm. Don. (V p. 180). — *Eadem* Ars anonym. Bernens. (VIII p. 94).

Comm. Mire Jürges p. 80 verba a Pompeio allata non pro peculiari fragmento habuit, sed, cum 'ex memoria aut neglegenter' laudata essent, partim ad alterum fragmentum (fr. III 58) pertinere, partim ab ipso grammatico ficta esse contendit. At quod ab illo argumentis non prolatis iactum est, refutare non cogimur; sane legimus eadem haec verba translata etiam apud Plutarchum Luc. c. 18: *θησαυρούς τε μεγάλους εὗρε καὶ δεσμωτήρια.*

13. Amisumque assideri sine proeliis audiebat.

App. (IV 42 D, 1 K, 44 G, II p. 455 Br.) — Priscian. VIII (II p. 435). ‖ assideri] absideri *G K.*

Comm. Mithridatem subaudiri, quod Debrossio auctore vulgo putatur, admodum dissimile veri mihi videtur. Eo enim loco, quo ab editoribus fragmentum collocatur, scilicet in rebus hieme 73/72 ad Amisum gestis enarrandis (Plut. Luc. c. 14—15), de Mithridate omnino non loquitur auctor, cf.: *ὁ Λούκουλλος περί τε τὴν Ἀμισὸν διέτριψε μαλακῶς τῇ πολιορκίᾳ χρώμενος*; atque sane Amisum haud acriter oppugnatam esse ibi memorandum fuit, ubi de ipso Lucullo eiusque rebus gestis agebatur. Sin ad Lucullum verba pertinere conceditur, ad hunc Plutarchi locum, quem modo laudavi, i. e. ad hiemis 73/72 narrationem ea referre impedimur voce *audiebat*; accedit, quod illo de tempore iam tertio libro, non quarto, actum est. Quare et Lucullum subiectum fragmenti subaudio idque ad tempus spectare puto, quo Lucullus pulso ad Cabiram Mithridate denuo in Pontum et Amisum revertit, cf. Plut. c. 19: *αὐτὸς δ' ἧκε πρὸς Ἀμισὸν ἔτι πολιορκουμένην.*

14. Scalas pares moenium altitudine.

App. (IV 55 D, 14 K, 37 G, II p. 457 Br.) — Arus. p. 500: 'Par hac re. Sal. hist. IV' e. q. s.

Comm. Verba non in Tigranocertorum aliusve illarum regionum oppidi expugnatione lecta esse — quod Kritz coniecerat — e Memnone c. 45 elucet, quo loco sequitur scalis ad muros adiectis captam tum esse Amisum. Ceterum *altitudine* non antiquiorem dativi formam habere licet (quod iussit praeter Dietschium nuper Kraut *progr. Blaubeurensi anni 1881* p. 8), sed ablativum (sive mavis instrumentalem) eum cum Arusiano interpretor.

15. Quia praedatores facibus sibi praelucentes ambustas in tectis sine cura reliquerant.

App. (IV 43 D, 69 K, 75 G.) — Arus. p. 503. ‖ quia] qui *N*, quia *corr. iam codex Leidensis,* quum *Lindemann,* quae *Keil.* — praedatores] pretores *N, corr. Linker et Wagner.* — ambustas in tectis] ambustis tectis *coni. Keil, sed ambustis tectis quidnam nocuerunt faces a militibus relictae?*

Comm. Ad Amisi expugnationem Plutarchique cap. 19 fragmentum collocandum esse constat, cf.: *πάντα γὰρ ἐξερευνῶντες ὑπὸ λαμπάδων καὶ πανταχοῦ φῶς ἐπιφέροντες αὐτοὶ τὰ πλεῖστα τῶν οἰκημάτων καθεῖλον.*

16. Quasi par in oppido festinatio et ingens terror erat, ne ex latere nova munimenta madore infirmarentur; nam omnia oppidi stagnabant redundantibus cloacis adverso aestu maris.

App. (III 26 D, K, 53 G, II p. 105 Br.) — Nonius II p. 138. — Priscian. VI (II p. 235): 'munimenta madore infirmarentur.' — Excerptum Charis. Bobiense (I p. 352): 'mador *ὑγρασία*, ut Sallustius in Historiis.' — histor. lib. IV *Nonius,* Sallustius in IIII historiarum *Priscianus,* lib. III *vulgo.* quasi] evasit *vel* queis *coni. L. Müller.* — cloacis] cluacis *L H, L. Müller.*

Comm. Inepte hanc rem in Cyzici obsidione accidisse Debrossio auctore omnes adhuc editores autumarunt; quos sequi vetamur libri numero ab utroque grammatico confirmato. Neque quisquam omnino scriptorum similem rem apud Cyzicum factam esse rettulit, ne Appiani quidem c. 74, quod post ceteros laudat etiam nunc Jürges p. 57, minima de tali inundatione vox est. At aperte agitur de oppido ad mare sito obsessoque; ac quoniam etiam maior terror obsidentibus inicitur, intelligimus classe maxime eos oppidum illud oppugnare, namque terra aestus ille vix adeo eos terrere potuit. Res igitur in obsidenda Ponti urbe aliqua evenit, veri simillime autem apud Heracleam, quam magna classe Triarius circumsedit. Accedit, quod tempestas illa, si quidem terrae motu, ut videtur, commota est, vere anni 71 accidit, hoc vero tempus

ad unius Heracleae obsidionem aptum est. Et tum in Asia vehementi motu et terram et aquas concussas esse e Nicolai Damasceni fr. 80 (F. H. G. III p. 416) scimus.

17. Atque hiavit humus multa vasta et profunda.

App. (IV 37 D, 51 K, 82 G, I p. 524, II p. 294 Br.) — Nonius IV p. 318. ‖ multa etc.] lacuna vasta atque profunda *coni. Madvig*, multa vastum et profundum *L. Müller, sed duo nominativi praedicativi, ut dicunt, esse videntur.*

18*. Serv. ad Aen. VII 604: 'Getarum fera gens etiam apud maiores fuit; nam ipsi sunt Moesii; quos Sallustius a Lucullo dicit esse superatos.'

App. (IV 38 D, 46 K, 51 G, II p. 520 Br.)

19*. Bizone.

App. (IV 39 D, 47 K, 55 G, II p. 294 et 521 Br.) — Probus cathol. (IV p. 11): 'zo .... unum barbarae civitatis lectum in Sallustio Bizo, Bizonis.' ‖ Vizzo *B.* — *Nomen oppidi fuisse* Bizone *constat; quare putaverim apud Sallustium fuisse ablativo casu positum* Bizone, *quam formam Probus a nominativo* Bizo *derivare potuit.*

CAPUT II.

Fugitivorum seditionis exitus, fr. 20—41.

Inest Italiae inferioris fretique Siculi descriptio, fr. 23—29.

Enarratio.

Devictis consulum praetorumque exercitibus Spartacus
Thuriis castra habuit eaque, quae circum erant, oppida diripuit
(Appian. b. c. I 117 inde a *τὰ δ' ὄρη τὰ περὶ Θουρίους κτλ.*, et
fr. 20). Sed Romae C. Licinius Crassus*) pro praetore ad- 20
versus fugitivos cum exercitu denuo comparato missus est
(fr. 21). Qui cum Mummio legato turpiter fugato severe 21
supplicium de militibus sumpsisset (fr. 22) atque ita discipli- 22
nam militarem redintegrasset, Spartacum ad infimum usque
Bruttii paeninsulae angulum reppulit (Plut. Crass. c. 10 usque
ad *ὁ δὲ Σπάρτακος ὑπεξεχώρει διὰ Λευκανίας εἰς τὴν θάλατταν*).

*) Crasso anni 72 autumno imperium esse mandatum iure Mommsen disputasse mihi videtur, cf. append. III.

Hic fere de situ Italiae inferioris fretique Siculi Sallustius plura exposuisse videtur. Namque Italia (Mela II 58) '*in duo cornua finditur* respicitque altero Siculum pelagus, altero Ionium'
23, 24 (fr. 23). Dein duo illa cornua, Apulia (fr. 24) et Bruttium
25 (fr. 25), breviter describuntur.

Mela II 115: '*Sicilia aliquando, ut ferunt, continens* et agro Bruttio adnexa *post freto*
26 *maris Siculi abscissa est* (fr. 26).

Id *angustum* et anceps alterno cursu modo in Tuscum, modo in Ionium pelagus perfluit, atrox, saevum et Scyllae Charybdisque *saevis nominibus inclutum.*'

Iustin. IV 1, 1: '*Siciliam ferunt angustius quondam* faucibus Italiae *adhaesisse diremptamque* velut a corpore maiore *impetu superi maris.*'

Isid. orig. XIIII 18, 3: 'est autem *artissimum* trium milium spatio .... *fabulosis infame monstris,* quibus hinc Scylla et inde Charybdis ostenditur.'

'Hinc igitur *fabulae Scyllam et Charybdim* peperere, hinc *latratus auditus*, hinc *monstri credita simulacra*, dum navigantes .... latrare putant undas, quas *sorbentis aestus vorago col-*
27 *lidit*' (Iustin. l. l., fr. 27); atque item Charybdis descripta est
28 (fr. 28).

Sicilia 'ipsa ingens et tribus promunturiis in diversa procurrens Graecae litterae imaginem, quae delta dicitur, efficit. Pachynum vocatur, quod Graeciam spectat; Lilybaeum, quod in Africam' (Mela l. l.).

'Proximum Italiae promunturium *Rhegium dicitur*, inde *quia Graece abrupta hoc nomine pronuntiantur*' (Iustin. IV 1, 7).

'Et inde *Rhegium nominatum, quia Graece abruptum hoc nomine nuncupatur*' (Isidor. l. l.).

Atque eidem promunturio etiam Peloriae nomen fertur; 'causa nominis Pelorus, gubernator *ab Hannibale ibidem con-*
29 *ditus* (fr. 29); quem idem vir profugus ex Africa et per ea loca Syriam petens, quia *procul intuenti* videbantur continua esse litora et non pervium pelagus, proditum se arbitratus occiderat' (Mela II 116).

Atque fugitivi praedonum ope, quibuscum societatem fecerant, transgredi in Siciliam constituerunt, tamen cum decepti ab illis tum fluctibus impediti depulsique a C. Verre praetore abiecto hoc consilio rursus in saltus recesserunt (Plut. Crass. c. 10 ad ἐκάθισε τὸν στρατὸν εἰς τὴν Ῥηγίνων χερρόνησον, adde
fr. 30—33). Et Crassus magnis operibus eos circumdedit, ut 30, 31, 32, 33
fame fatigaret, sed illi noctu per munitiones perruperunt (Plut.
l. l. inde ab ἐπελθὼν δὲ Κράσσος ad fin. cap., fr. 34—36). 34, 35, 36
Tum vero dissensionibus inter fugitivos ortis (fr. 37) cum 37
Gallis ad lacum Lucaniae quendam (fr. 38) congressus est 38
Crassus, et mox appropinquantibus M. Lucullo Cn.que Pompeio, quos hieme arcessendos censuerat senatus (fr. 39), iterum 39
eosdem insidiis aggressus (fr. 40) plane fere delevit. Atque 40
iam Spartacus, quamquam legatum Crassi superavit, ubi cum imperatore conflixit, ipse occisus (fr. 41), exercitus omnis fere 41
deletus ac dispersus est (Plut. c. 11). Reliquias autem belli ut profligaret, Pompeio Alpes modo transgresso contigit.

Fragmenta.

20. Rursus iumenta nacti ad oppidum ire contendunt.

App. (IV 3 D, 24 K, 60 G, II p. 145 Br.) — Nonius IV p. 258.

Comm. Quoniam aperte de militibus agitur, qui in oppido aliquo morantur et inde rapinas faciunt eoque dein se recipiunt, ad fugitivos fragmentum referre non dubito et ad id temporis spatium, cum Thuriis castra habebant et ex oppido *θαμινὰ ἐπὶ λεηλασίας ἐξῄεσαν.* Et fugitivos hoc loco dictos esse consentiunt editores.

21. Omnis, quibus senecto corpore animus militaris erat.

App. (IV 63 D, 64 K, 12 G, II p. 322 Br.) — Priscian. IX. X (II p. 484 et 512).

Comm. Spectare haec verba ad dilectum quendam videntur, tunc habitum, cum ingens militum virorumque inopia in civitate orta est; quare in iisdem explicandis Debrossium sequi iubeo et ad autumnum anni 72 refero, quo Crassus contra fugitivos imperator creatus exercitum Romae comparavit. Neque enim aptius novi temporis momentum, quam illud, quo Romanos bellis in Hispania, Asia, Thracia, Creta omnique mari saevientibus compluribusque exercitibus a fugitivis caesis recurrere ad maiores natu homines coactos esse perquam credi potest.

22*. Sorte ductos fusti necat.

App. (IV 5 D, 27 K, 10 G, II p. 324 Br.) — Serv. ad Aen. II 201. — Schol. Dan. ad Aen. VI 22. ‖ sortes] sortes *FG schol. Dan.* — ductos] ductus *codd. Servii.* — fusti] furtis *L*, furti *HME Servii,* susti *G schol. Dan.* — necat] negat *LH Servii.*

Comm. Crassum dictum esse docet Plutarchus Cr. c. 10: *πεντακοσίους δὲ τοὺς πρώτους .... εἰς πεντήκοντα διανείμας δεκάδας ἀφ' ἑκάστης ἀπέκτεινεν ἕνα τὸν κλήρῳ λαχόντα.*

23*. Omnis Italia coacta in angustias finditur in duo promunturia, Bruttium et Sallentinum.

App. (IV 18 D, 33 K, 13 G, II p. 392 Br.) — Serv. ad Aen. III 400. ‖ finditur] funditur *FLE,* scinditur *vulgo a Carrione ad Kritzium,* finditur *etiam Mela legisse videtur.* — in] inter *FC.*

24*. Italiae plana ac mollia.

App. (IV 17 D, 32 K, 15 G, II p. 401 Br.) — Serv. ad Aen. III 522: 'naturam provinciae ostendit, quod verum est in illo transitu. Ut Sallustius' e. q. s. ‖ plana] plena *LM,* plano *H.* — ac mollia] atque humilia *coni. Hagen,* Italia .... mollis *Stephanus.*

Comm. Significatam esse Calabriam et Apuliam e Servio elucet; quare sequitur Kritzii fragmentorum ordinem esse mutandum.

25. Ad Siciliam vergens faucibus ipsis non amplius patet milibus quinque et triginta.

App. (IV 19 D, 34 K, 14 G, II p. 408 Br.) — Arus. p. 500.

26*. Italiae Siciliam coniunctam constat fuisse, sed medium spatium aut per humilitatem obrutum est aut per angustiam scissum. Ut autem curvom sit, facit natura mollioris Italiae, in quam asperitas et altitudo Siciliae aestum relidit.

App. (IV 20 D, 35 K, 15 G, II p. 400 sq. Br.) — Serv. ad Aen. III 414. — *E Servio hauserunt* Schol. ad Stat. Theb. III 597 (*ubi deest locus in M*), Isidorus orig. XIII 18, 3, *praeterea* id. XIV 6, 34: 'Sallustius autem Italiae dicit coniunctam fuisse Siciliam, sed medium impetu maris divisum et per angustiam scissum.' ‖ Siciliam] Siciliae *P schol. Stat.* (*in quo* Italiam Siciliae *vulgo editur*). — coniunctam] iunctam *schol Stat.* — per humilitatem] propter *schol. Statii.* — obrutum] obruptum *HE Servii, P schol. Stat., quidam Isidori libri,* abruptum aquis *vulgo in Isidoro,* abruptum *Isidorus scripsisse videtur, cum haece confunderet cum illis, quae mox de Rhegio dicta a Sallustio sunt.* — ut autem] ut dum *P schol. Stat.,* aut dum *vulgo in Statio,* ut autem tam *post Fabricium Gerlach.* — *ante* molliores *add.* humilioris et *Dietsch.*

27*. Scyllam accolae saxum mari imminens appellant simile celebratae formae procul visentibus. Et monstruosam speciem fabulae illi dederunt, quasi formam hominis caninis succinctam capitibus, quia collisi ibi fluctus latratus videntur exprimere.

App. (IV 21 D, 36 K, 19 G, II p. 409/11 Br.) — Isidor. orig. XIII 8, 4 (*nomine Sallustii non laudato*). — Serv. ad Aen. III 420: 'Scylla ... Sallustius saxum esse dicit simile formae celebratae procul videntibus; et lupi ob hoc ex ea nati esse finguntur, quia ipsa loca plena sunt monstris et saxorum asperitas illic imitatur latratus.' ‖ visentibus *Isidorus*, videntibus *Servius*, cf. Iustin.: 'neque experientibus modo terribile, verum etiam procul visentibus.'

Comm. Verba ab Isidoro allata omnia Sallustiana esse recte vidit Dietsch. Etenim et ea Sallustii sermonem redolent et illa, quae Servius e Sallustio brevius excerpsit, plane fere cum Isidori loco ita consentiunt, ut genuina quidem scriptoris verba Isidorus servasse videatur; quod confirmatur Iustini loco in enarratione apposito.

28. Charybdis, mare verticosum, quod forte illata navigia sorbens gurgitibus occultis milia sexaginta Tauromenitana ad litora trahit, ubi se laniata naufragia fundo emergunt.

App. (IV 22 D, 37 K, 17 G, II p. 411 sq. Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. I 117 *usque ad* verticosum. — Seneca nat. quaest. VII 8, 2: 'Turbinum motus vagus est et disiectus et, ut Sallusti utar verbis, verticosus.' — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. III 425: 'quod .... trahit.' — Serv. ad Aen. III 420: 'secundum Sallustium ea circa Tauromenitanum egerit litus.' — Arus. p. 472: 'ubi .... emergunt.' *Praeterea nomine auctoris quidem non laudato testimoniis sunt:* Plinius nat. hist. III 87: 'item Charybdis, mare verticosum'; Pacatus paneg. (XII) 26 (*cf. Vogel act. semin. Erlangen. II p. 411*): 'Charybdim loquar? Quae cum plena navigia sorbuerit, dicitur tamen reiectare naufragia et contortas fundo rates Tauromenitanis litoribus exponere.' Isidorus orig. III 18, 5: 'Charybdis dicta, quod gurgitibus occultis naves absorbeat; est enim mare verticosum, unde laniata naufragia profundo emergunt.' ‖ verticosum] *sic Seneca, Isidorus, Plinius,* verticulosum *C Servii.* — quod] quo *FT Thilo, corr. Daniel.* — illata navigia] naufragia *FT schol. Dan.,* navigia *Pacatus,* naves *Isidorus, qui idem* navigia *legisse videtur.* — ubi] *Arusianus,* unde *Isidorus, cuius codd. aut* unde *aut* et inde ibi *praebent.* — laniata naufragia] navigia *N Arusiani,* naufragia *Isidorus, Pacatus, cf. Strabon. VI* p. 268: καταποθέντων δὲ καὶ διαλυθέντων τὰ ναυάγια παρασύρεται πρὸς ἠόνα τῆς Ταυρομενίας. *Atque idem nunc proposuit Jürges p. 9.* — fundo] *Arusianus, Pacatus,* profundo *Isidorus.*

Comm. Tres locos a Servio Arusianoque laudatos in unum coniungendos esse fragmentum intellexit primus Kritz. Ceterum Seneca nil, nisi ipsam *verticosus* vocem e Sallustio laudat, sed falso editores ante Dietschium pro novo id fragmento acceperunt.

29*. Serv. ad Aen. III 411: 'Pelorum promunturium Siciliae est, secundum Sallustium dictum a gubernatore Hannibalis illic sepulto.'

App. (IV 24 D, 39 K, 21 G, II p. 407 Br.) — *Servium excerpsit* Isidorus XIV 7, 4.

30. Dolia cum sub trabes locata vitibus aut tergis vinciebant.

App. (IV 8 D, 29 K, 1 G.) — Arus. p. 509. — Serv. ad Aen. IX 410: 'tergis vinciebant.' ‖ cum] quae *coni. Lindemann,* quoque *Keil.* — tergis] virgis *vulgo e Gudiano, Serviique testimonium falso pro altero fragmento habitum est.*

Comm. Fugitivos dictos esse docet Florus II 8, 13: 'cum fugam in Siciliam pararent neque navigia suppeterent *ratesque ex trabibus et dolia conexa virgultis* rapidissimo freto frustra experirentur' etc.

31. Implicatae rates ministeria prohibebant.

App. (IV 9 D, 30 K, 3 G.) — Priscian. IX (II p. 473). ‖ implicatae] *RHL, ipse legit Priscianus,* implicitae *DGKB.*

Comm. De fugitivorum transgrediendi freti Siculi conatu agi hoc loco consentitur.

32*. C. Verres litora Italia propinqua firmavit.

App. (IV 10 D, 31 K, I 128 G.) — Arus. p. 500. — *Liberi numerum om. N.* ‖ C. Verres] G G Verris *N.* — Italia] Italiae *coni. Dietsch contra lemma Arusiani, cf. praeterea Iug. 18 et 19.*

Comm. Verrem, Siciliae praetorem, litora contra fugitivorum impetum defendisse vel munivisse negavit quidem Cicero Verrin. V 5; at Sallustio potius, quam accusatori fides habenda videtur.

33*. In silva Sila fuerunt.

App. (IV 7 D, 28 K, 78 G, II p. 395 Br.) — Serv. ad Aen. 715: 'Sallustius de fugitivis' e. q. s. ‖ fuerunt] fugerunt *R,* ficerunt *H,* in silvam Silam fugerunt *coni. Dietsch.*

Comm. Fragmentum Plutarchi loco illustratur: *οὕτω δὴ πάλιν ἀπὸ θαλάσσης ἀναζεύξας ἐκάθισε τὸν στρατὸν εἰς τὴν Ῥηγίνων χερρόνησον.*

34*. Diu noctuque laborare, festinare.

App. (*Deest in editionibus.*) — Serv. ad Georg. I 287. — Schol. Bern. ibid. ‖ festinare] *om. schol. Bern.*

Comm. Agi mihi videtur hoc fragmento de exercitu quodam, qui summa virium contentione opus aliquod extruit, idque optime

convenit cum Crassi exercitu magnis munitionibus fugitivos circumvallante, cf. Plut. c. 10: *μέγα μὲν οὖν ἦν καὶ χαλεπὸν τὸ ἔργον, ἤνυσε δὲ καὶ κατειργάσατο παρὰ δόξαν ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ κτλ.*

35*. Frigida nocte.

App. (*Deest in editionibus.*) — Schol. Bern. ad Georg. IV 104.

Comm. Ad illam spectare haec noctem, qua Crassi munitiones Spartacus perrupit, veri videtur simile esse Plutarchi verbis collatis: *νύκτα νιφετώδη καὶ πνεῦμά τι χειμέριον παραφυλάξας κτλ.*

36. Infrequentem stationem nostram incuriosamque tum ab armis.

App. (IV 65 D, 66 K, 23 G.) — Arus. p. 487. ‖ tum] tam *N, corr. Gerlach,* iam *coni. Keil, Gerlachii vero emendationem iure tuetur P. Jürges p. 13 collato Dict* Cret. II 42: 'at Grai infrequentes tum incuriosique ab armis.'

Comm. Mithridatem subito anno 68 in Pontum invadere his verbis enarratum esse Dietsch coniecit; cum vero ea res quinto, non quarto libro contineretur, ad Spartacum fragmentum referre malui; ac sane in obsidione aliqua similive re stationem illam neglegentem commemoratam esse multo propius ad veri speciem accedit, quam si de militibus, quos Ponti finium custodes fuisse vult Dietsch, fragmentum interpretaremur.

37. Dissidere inter se coepere neque in medium consultare.

App. (IV 12 D, 40 K, 8 G, II p. 303 Br.) — Arus. p. 482. ‖ coepere] cepere *N.*

Comm. Ad Plutarchi cap. 11: *ἐθάρρησε δὲ πολλῶν ἐκ διαφορᾶς ἀποστάντων αὐτοῦ καὶ στρατοπεδευσαμένων καθ' αὑτούς* haec spectare patet.

38. Sapor iuxta fontis dulcissimos.

App. (IV 13 D, 41 K, 77 G.) — Arus. p. 510. ‖ dulcissimos] dulcissimus *coni. Keil.*

Comm. Pertinent Sallustii verba ad Plut. ib.: *ἐπὶ Λευκανίδος λίμνης, ἥν φασι τρέπεσθαι διὰ χρόνου γιγνομένην γλυκεῖαν κτλ.*

39. Avidior modo properandi factus.

App. (IV 14 D, 44 K, 61 G, I p. 403 Br.) — Arus. p. 450.

Comm. P. Crassus subaudiendus est, cf. Plut.: *καὶ πρὶν ἥκειν ἐκείνους ἔσπευδε διαπράξασθαι τὸν πόλεμον.*

40. Cum interim lumine etiamtum incerto duae Galliae mulieres conventum vitantes ad menstrua solvenda montem ascendunt.

App. (IV 15 D, 42 K, 3 G, II p. 418 Br.) — Nonius VIII p. 492. ‖ Galliae] Gallae *coni. post Pium Nipperdey, iure defendit Kritz.* ‖ mulieres e. q. s.] mulieris .... vitantis *codd.* — ad menstrua solvenda] ad struem movendam *coni. Dietsch.*

Comm. Satis explicatur locus Plutarchi verbis: *οἱ δ' ἐπειρῶντο μὲν τὴν αἴσθησιν ἀποκρύπτειν, τὰ κράνη καταμπέχοντες, ὀφθέντες δ' ὑπὸ δυεῖν γυναικῶν προθυομένων τοῖς πολεμίοις ἐκινδύνευσαν κτλ.*

41*. Haud impigre neque inultus occiditur.

App. (Inc. 29 D, IV 45 K, inc. 10 G, II p. 430 Br.) — Donat. ad Terent. Andr. I 2, 34. ‖ impigre] impigro *P*, pugnans *add. Dietsch.* — inultus] multus *O.* — haud] *seclusit Vogel collato Floro I 38, 18, sed falsissime verba Donati interpretatus; logicum autem illud mendum non librariis, sed ipsi auctori esse tribuendum recte defendit W. Heraeus allatis exemplis et nostrorum scriptorum et Livii XXXII 16, 11:* 'oppidani primo haud impigre tuebantur moenia.'

Comm. Spartacum his verbis intelligendum esse egregie coniecit Debrossius accepitque Kritz, cf. Plut.: *τέλος δὲ φυγόντων τῶν περὶ αὐτὸν αὐτὸς ἑστὼς καὶ κυκλωθεὶς ὑπὸ πολλῶν ἀμυνόμενος κατεκόπη.*

CAPUT III.

Res urbanae, fr. 42—55.

Enarratio.

Extinctis servilis seditionis reliquiis Pompeius Romam profectus est, acri populi desiderio neque non magno nobilium metu expectatus (Plut. Pomp. c. 21 inde ab *ἐν τοσαύτῃ δὲ τιμῇ*
42 *καὶ προσδοκίᾳ τοῦ ἀνδρὸς κτλ.*, adde fr. 42). Sed antea, quam in urbem ingressus est, exercitu nondum dimisso triumphum ac consulatum sibi postulavit, dein nactus, quae petiit, per M. Palicanum, plebei tribunum, contione prope urbem convocata
43, 44 (fr. 43, 44) consilia populo exposuit restiturumque se tribuniciam potestatem ac redditurum equitibus iudicia promisit
45, 46, 47 (fr. 45—47). Tantum vero apud populum valuit eius gratia, ut M. Crassus, in consulatus petitione ut se adiuvaret, Pompeium rogare non dubitaret, et ei sane obsecutus ille est (Plut. Crass.

c. 12 ad ἕξει χάριν ἢ περὶ τῆς ἀρχῆς, fr. 48). Iam reverso ex 48
Hispania Metello (fr. 49) Pompeius una cum eodem trium- 49
phavit postremo mensis Decembris die, antequam consulatum
iniit; et Crassus ovationem nactus est. Sed brevi post Pompeius
ac Crassus consules denuo inimicitiis atque aemulatione infensi
sibi facti sunt, cum ille plebis, hic senatus partes sequeretur
(fr. 50, 51). Quo popularium studio commotus Pompeius cum 50, 51
Crasso tribuniciam potestatem plane restituit; et paulo post
'Aurelius Cotta legem tulit, ut senatores et equites Romani ac
tribuni aerarii simul iudicarent'. Eodem anno etiam censores
creati sunt L. Gellius Cn. Lentulus Clodianus, qui summa cum
severitate munere functi sunt; etenim multos senatu moverunt
aut ordine equestri excluserunt; in quis etiam 'Antonium Gellius
et Lentulus senatu moverunt causasque subscripserunt, quod
socios diripuerit, quod iudicium recusarit, quod propter *aeris
alieni magnitudinem* (fr. 52) praedia mancipavit bonaque sua 52
in potestate non habeat' (Ascon. ad Cic. tog. cand. p. 84 Or.).
Praeterea huius anni aestate C. Verres Siciliae praetor a M. Cice-
rone repetundarum reus factus est (fr. 53—55); cuius in loco 53, 54, 55
anno 70 L. Metellus, 'cum foedissima illa C. Verris praetura Sici-
liam adflictam invenisset, maxime Pyrganione archipirata nefariis
praedis et caedibus dilacerante, qui pulsa classe Romana Syra-
cusanum portum obtinuerat, quem mox navali terrestrique proelio
comminutum Sicilia decedere compulit' (Oros. VI 3, 5). Sed
Romae exeunte tandem anno auctore C. Aurelio equite M. Crassus
Pompeiusque reconciliati sunt (Plut. Pomp. c. 23 usque ad
ἀπέθεντο τὴν ἀρχήν).

Fragmenta.

42*. Multisque suspicionibus volentia plebi facturus habebatur.

App. (IV 31 D, 56 K, 33 G, II p. 174 Br.) — Nonius II p. 186.

Comm. Hoc dictum esse de Pompeio, cum iter Romam faceret, sequitur e Plut. Pomp. c. 21: ἓν αἰτιᾶσθαι τοῖς βασκαίνουσι περιῆν ὑπόλοιπον, ὅτι τῷ δήμῳ προσνέμει μᾶλλον ἑαυτὸν ἢ τῇ βουλῇ.

43*. M. Lollius Palicanus, humili loco Picens, loquax magis quam facundus.

App. (IV 25 D, 57 K, 35 G, II p. 442 Br.) — Quintilian. IV 2, 2

auctore non nominato. — Gellius I 15, 12 *inde a* loquax e. q. s. — M. Lollius] m. ollius *A,* macilius *B, corr. Pighius.*

Comm. Talem tribuni illius descriptionem dedisse Sallustium putaverim, ubi primum hominis mentio facta est; illic igitur, quoad scimus, fragmentum collocandum erit, ubi de contione, in qua Pompeius locutus est, per Palicanum habita agebatur. Ceterum Palicanus non anno 71, quod voluit Kritz, sed anno 70, eodem quo Pompeius consul fuit, tribunatu functus est (Ps. Ascon. p. 103 Or.). Ac scilicet magistratum iniit iam a. d. IV. id. Dec., contio igitur illa fuisse videtur mensi Decembri, brevi antequam Pompeius triumphavit consulatumque ingressus est.

44. Magnam exorsus orationem.

App. (IV 70 D, 73 K, 49 G, II p. 30 Br.) — Arus. p. 472.

Comm. Longiorem orationem quarto historiarum libro commemoratam esse, nisi quam Pompeius in contione locutus est, ignoramus; itaque ad eam fragmentum referendum est. Sed quae oratione illa a Pompeio exposita sint, etsi minus per scriptores Sallustianos certiores facti sumus, ipse tamen Cicero memoriae tradidit Verr. I 45: 'ipse denique Cn. Pompeius, cum primum contionem ad urbem consul designatus habuit, ubi id, quod maxime expectari videbatur, ostendit, se tribuniciam potestatem restituturum, factus est in eo strepitus et grata contionis admurmuratio. Idem in eadem oratione cum dixisset populatas vexatasque esse provincias, iudicia autem turpia ac flagitiosa fieri, ei rei se providere ac consulere velle, tum vero non strepitu, sed maximo clamore suam populus Romanus significavit voluntatem.' Atque tria quae insecuntur fragmenta 45, 46, 47 hac ex oratione — obliqua scilicet oratione reddita a Sallustio — sumpta esse ita fere conieci, ut fr. 45 et 46 duabus orationis partibus a Cicerone commemoratis respondeant, tertium (fr. 47) finem illius praebeat; itaque fr. 45 Pompeius reconciliaturum sese patres plebemque ac redditurum tribuniciam potestatem promisisse, dein fr. 46 de iudiciorum condicione corruptissima egisse mihi videtur.

45. Si nihil ante adventum suum inter plebem et patres convenisset, coram se daturum operam.

App. (IV 30 D, 55 K, 34 G, II p. 174 Br.) — Prisc. XIX (III p. 52).

Comm. Eo, quo haec effatus est, temporis momento, cum ipsam urbem Pompeius nondum ingressus esset neque iam in senatu de his rebus cum patribus agere posset, suo iure *ante adventum* atque *coram* vocabula usurpare ei licuit; neque vero cogimur ob eadem cum Dietschio Pompeio etiam iter Romam ab Alpibus facienti haece tribuere.

46. Qui quidem mos ut tabes in urbem coniectus.

App. (IV 26 D, 59 K, 30 G, I p. 267 Br.) — Festus p. 359 M., p. 542 Th. mos] nos *apogr. F.* — coniectus] coierit *vulgo ex edit. O. Mülleri,* coniectus *iam Aldus.*

Comm. Quoniam his annis vehementissime in iudicia senatoria increpuisse populares corruptisque iudicibus infensissimum fuisse scimus populum (cf. locum Cic. ad fr. 44 laudatum), hac tabis imagine ipsam corruptionem eam intelligendam esse cum Dietschio consentio; ac sane optime ita illa appellari potuit. Ad Pompeii autem orationem eadem pertinere ex illis, quae Cicero narravit, veri simile est.

47. Multitudini ostendens, quam colere plurimum, ut mox cupitis ministram haberet, decreverat.

App. (IV 32 D, 58 K, 29 G.) — Arus. p. 494. ‖ ostendens] obsequens *coni. van Hoeven,* se ostendens *Linker.* — ministram] ministrum *N, corr. van Hoeven.* — haberet] habere *N.*

48. Collegam minorem et sui cultorem expectans.

App. (IV 33 D, 54 K, 9 G, II p. 310 Br.) — Arus. p. 461. ‖ collegam] collega *N.*

Comm. Pompeium enuntiati huius esse subiectum — quod unum Dietschium huncque iusto cunctantius repperisse sane mireris — efficitur Plut. Crass. c. 12: *ἐπεθύμει γὰρ ἁμῶς γέ πως ἀεὶ χάριτός τινος ὀφειλέτην λαβεῖν τὸν Κράσσον.*

49. Exercitum dimisit, ut primum Alpis digressus est.

App. (IV 28 D, 52 K, 26 G, II p. 422 Br.) — Arus. p. 464. ‖ digressus] degressus *coni. Keil.*

Comm. Q. Metellum dictum esse patet, cum Pompeium multo demum postea exercitum dimisisse constet.

50. Quod in praesens modo satis cautum fuerat.

App. (IV 69 D, 72 K, 32 G.) — Arus. p. 487. ‖ quod] quis *vulgo e Lindemanni coniectura.*

Comm. Si rem requirimus quandam quarto libro relatam, quae brevi tantum per tempus constituta dein dirempta est, nihil invenimus, nisi Crassi Pompeiique amicitiam, quae per id modo temporis spatium reconciliata est, quo Crassus Pompeii ope consul creari studuit, at ingresso consulatum Crasso statim nihili rursus erat.

51. Crassus obtrectans potius collegae, quam boni aut mali publici gnavos aestimator.

App. (IV 34 D, 62 K, 72 G.) — Arus. p. 496. ‖ gnavos] gravus *N, corr. Keil,* gravis *vulgo.* ‖ aestimator] exactor *N,* auctor *coni. Kritz,* existimator *vel* aestimator *Dietsch; locum nondum sanatum putaverim.*

52*. Fenoribus copertus est.

App. (Inc. 114 D, 85 K, G.) — Gellius II 17, 7. — Ibid. IV 17, 6.

Comm. Asconii loco supra allato commotus de Antonio haece dicta esse interpretor; et de fenoribus hominis alicuius similibusque rebus anno illo censorio actum esse veri simile est.

53. Suspectusque fuit, incertum vero an per neglegentiam, societatem praedarum cum latronibus composuisse.

App. (IV 11 D, 63 K, 7 G, II p. 348 Br.) — Nonius IV p. 257. — lib. IV *LG, vulgo;* lib. III *H Gen., L. Müller.* ‖ vero] vere *coni. Dietsch.* — an] ac *codd.* — per] propter *coni. Dietsch.* — composuisse] composuisset *codd.*

Comm. Ad Verrem haec spectare bene coniecit comprobavitque Kritz.

54*. Canina, ut ait Appius, facundia exercebatur.

App. (II 37 D, 46 K, III 3 G, II p. 655 Br.) — Nonius I p. 60. — *Commemorat* Lactantius div. inst. VI 18, 26 (p. 551 Br.): ‘quia ipse caninam illam facundiam, sicut Sallustius ab Appio dictum refert, exercuit’, *praeterea* Hieronym. ep. 119, 1; ib. 134, 1.

Comm. Ad Quintium Gerlach, Kritz atque Dietsch ad Sicinium tribunos spectare verba opinati sunt; utrumque vero in contionibus magnopere in optimates invectum atque haud parva usum esse facundia constat, at causarum patronos fuisse eos unde sciunt viri illi docti? De eo potius viro intelligendum esse fragmentum mihi videtur, de quo iisdem utitur verbis Lactantius et quem inde ab adulescentia *canina* illa eloquentia re vera exercitum esse notum est, scilicet de Cicerone. Quem quin Sallustius eo historiarum loco commemoraverit, ubi de Verris lite a Cicerone accusati rettulit, procul dubio est.

55. L. Hostilius Dasianus, inquies animi.

App. (IV 27 D, 60 K, 31 G.) — Arus. p. 488. ‖ Hostilius] hostibus *N, corr. Ruhnken.*

Comm. L. Hostilium in lite Verrina pro reo egisse certiores sumus facti et e Cic. Verr. I 6: ‘itaque cum ego diem inquirendi in Siciliam perexiguam postulavissem, invenit iste, qui sibi in

Achaiam biduo breviorem diem postularet, non ut is idem conficeret diligentia et industria sua . . . . etenim ille Achaicus inquisitor ne Brundisium quidem pervenit . . . . ut perspicuum cuivis esse posset hominem ab isto quaesitum esse, non qui reum suum adduceret, sed qui meum tempus obsideret', dein e schol. Gronov. ad h. l. (p. 388 Or.): 'quidam Dasianum, alii Pisonem dicunt.'

CAPUT IV.

Bellum Armeniacum, fr. 56—80.

Inest de rebus urbanis anni 69 fr. 70 et 71, anni 68 fr. 81.

Enarratio.

L. Lucullus superato ad Cabiram Mithridate expugnatoque Ponti regno in Asia provincia hiemem egit eamque procuratorum atque feneratorum saevitia ingentibusque tributis exemit (Plut. Luc. c. 20). Atque interim Appius Claudius, Luculli legatus, ad Tigranem missus erat, ut Mithridatem exposceret ac simul subiectorum Tigrani populorum fidem corrumperet
(Plut. Luc. c. 21, adde fr. 56, 57); et illud quidem cum a 56, 57
rege non impetraret, tamen hoc optime Appio evenit.

Anno post 69 Q. Hortensio Q. Caecilio Metello consulibus Iovis Capitolini templum refectum a Q. Catulo dedicatum est. Sed vere Lucullus ex Ponto ad bellum Armeniae inferendum
profectus invitis quidem militibus (fr. 58) Euphratem trans- 58
gressus est (fr. 59, 60), dein per Sophenen traiectoque Tigride 59, 60
in regnum Tigranis invasit (Plut. c. 24). Etiam in itinere equites regios cum Mithrobarzane duce per legatum fudit, mox ipsum regem recedere in montes coegit, Tigranocerta, caput
regni, summo opere defensum obsedit (fr. 61—63) legatis simul 61, 62, 63
hostium exercitus appropinquantium impugnare iussis (Plut. c. 25). Sed Tigranes vetante Mithridate, ut sedem imperii sui obsidione solveret, contra Lucullum contendit ingenti fretus exercitu, quem optime instructum frequentemque undique terrarum coegerat (Plut. c. 26): in quo imprimis cataphracti, insolitum antea Romanis militum genus, a Sallustio descripti sunt
(fr. 64, 65). Quas adversus copias nil, nisi quattuor legiones 64, 65

cum Lucullus haberet, tamen Euphratem facile transgressus Armeniosque adortus e colle quodam in cataphractos equites ex latere impetum fecit, quibus fugatis brevissimo omnis Tigranis exercitus cum rege ipso in fugam conversus est (Plut. c. 27,
66, 67 28, adde fr. 66, 67). Atque paulo post pugnam confectam Mithridate Tigrani obviam facto uterque fiduciam suam atque opes redintegrare studuit (Plut. Luc. c. 29 ad *οὗτοι μὲν οὖν*
68 *αὖθις ἑτέρας δυνάμεις συνῆγον*, ad hoc fr. 68), Mithridates autem epistula ad Arsacem, Parthorum regem, missa ad socie-
69 tatem armorum eum permovere conatus est (fr. 69).

At Romae in Lucullum vehementer invecti sunt populares, cf. Plut. c. 24: *ἐν δὲ Ῥώμῃ καταβοᾶν καὶ διαμαρτύρεσθαι τοὺς δημαγωγούς, ὡς πόλεμον*
70 *ἐκ πολέμου διώκει Λούκουλλος οὐδὲν τῆς πόλεως δεομένης ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ στρατηγῶν μηδέποτε καταθέσθαι τὰ ὅπλα μηδὲ παύσασθαι χρηματιζόμενος ἀπὸ τῶν κοινῶν κινδύνων.*

Οὗτοι μὲν οὖν ἐξειργάσαντο χρόνῳ τὴν αὐτῶν ὑπόθεσιν.

Dio c. 2: *καὶ ἀπ' αὐτοῦ καὶ αἰτίαν ὡς οὐκ ἐθελήσας τὸν πόλεμον, ὅπως ἐπὶ πλεῖον ἄρχῃ* (fr. 70), *καταλῦσαι παρά τε τοῖς ἄλλοις καὶ παρὰ τοῖς πολίταις ἔσχε. καὶ διὰ τοῦτο τότε ⟨τε⟩ εἰς τοὺς στρατηγοὺς τὴν ἀρχὴν τῆς Ἀσίας ἐπανήγαγον καὶ μετὰ ταῦθ', ὡς καὶ αὖθις τὸ αὐτὸ τοῦτο πεποιηκέναι ἔδοξε, τὸν ὕπατον αὐτῷ τὸν κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὄντα διάδοχον ἔπεμψαν.*

Quod etiam tum effugisse non videtur Lucullus, nisi cor-
71 ruptis tribunis quibusdam (fr. 71).

Itaque devicto Tigrane ipsa denuo Tigranocerta oppugnavit ac proditione cepit diripuitque, deinde postquam Arabes, Commagenos, Gorduenos in deditionem accepit, in finibus Gordue-
72 norum (fr. 72) hiberna agere constituit (Plut. c. 29, Dio c. 2, 3—5). Qua hieme cum Parthis de foedere belli egit, abnuente vero Arsace rege iam bellum illis inferendum parabat, cum milites seditione coorta tantam belli molem recusaverunt (Plut.
73 c. 30, Dio c. 3, adde fr. 73). Itaque multa demum aestate rursus in Armeniam iter fecit, ut Artaxata, caput terrae, everteret; cui Tigranes cum ad Arsaniam flumen occurreret, iterum a Lucullo ingenti clade superatus est (Plut. c. 31, adde
74, 75, 76 fr. 74—76). Attamen Lucullus longius progredi frigore fame-

que impeditus est, quibus commoti milites omnino non iam in obsequio permansere regredique eum coegere (Plut. c. 32); quare in Mesopotamiam reversus — quam terram breviter de-
scripsit Sallustius (fr. 77, 78) — Nisibim urbem aggressus est 77, 78
a fratre Tigranis Gura defensam; ac noctu subito oppressam
expugnavit (Dio. c. 6—7, fr. 79, 80), tum ibidem hiberna habuit. 79, 80

Sed Romae anno 68 consul fuit unus Q. Marcius Rex collega L. Metello subito mortuo. Cum vero comitia insequentis anni haberentur, C. Piso consul creatus, at mox ambitus reus factus est; quod crimen corruptis pecunia accusato-
ribus ille effugit (fr. 81). 81

Fragmenta.

56. Tetrarchas regesque ⟨ex⟩territos animi firmavit.

App. (IV 49 D, 7 K, 46 G, II p. 482 Br.) — Arus. p. 470. ‖ exterritos] territos *N, corr. Dietsch ex lemmate.*

Comm. Appium Clodium legatum dictum esse sequitur e Plutarchi verbis c. 21: *πολλοὺς μὲν ᾠκειώσατο τῶν ὑπούλως ἀκροωμένων τοῦ Ἀρμενίου δυναστῶν.*

57*. Insolens vera accipiendi.

App. (IV 48 D, 6 K, 58 G, II p. 483 et 499 Br.) — Donat. ad Terent. Andr. V 4, 4.

Comm. Pertinet locus ad Plut. Luc. c. 21: *ὥστε τὸν Τιγράνην .... μὴ λαθεῖν τοὺς παρόντας ἠλλοιωμένον τῇ παρρησίᾳ τοῦ νεανίσκου, φωνῆς σχεδὸν ἐλευθέρας ἀκούοντα διὰ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτῶν.*

58. Dein lenita iam ira postero die liberalibus verbis permulcti sunt.

App. (IV 6 D, III 85 K, III 18 G, II p. 326 Br.) — Priscian. IX (II p. 487).

Comm. Ad exercitum a Crasso decimatum aut ad Hispanos nece Sertorii iratos haec verba quadrare refutatis hinc Gerlachio Douzaque, illinc Debrossio iure negavit Kritz; cum vero de hominibus primum iratis moxque lenitis agatur, optime hoc convenit cum militibus primum quidem seditiosis, at tum liberalibus ducis verbis lenitis, itaque ad milites Valerianos Luculli haec refero, quos anno 69, cum novum contra Tigranem Mithridatemque bellum Lucullus subiret, primum militiam detrectasse, dein tamen a duce ad disciplinam revocatos in Armeniam secutos esse constat. Falso vero nuper-

rime P. Jürges p. 84 fragmentum ad res apud Amisum gestas spectare coniecit: namque milites Luculli severitatem aegre ferentes — nequaquam iratos — oratione ducis placatos esse, id quod fingere sibi videtur Jürges, non modo memoriae non traditur, sed contrariam etiam rem refert Plutarchus c. 14: *ἀλλὰ ταῦτα μὲν οὐκ ἂν ὁ Λούκουλλος ἐλπίσας εἰς τοσοῦτον ἀπονοίας τοὺς στρατιώτας παραγαγεῖν, ὅσον ὕστερον ἐξέφηναν, ὑπερεώρα καὶ οὐκ ἐφρόντιζεν.*

59. Quam maximis itineribus per regnum Ariobarzanis contendit ad flumen Euphraten, qua in parte Cappadocia ab Armenia disiungitur; et quamquam naves caudicariae occulte per hiemem fabricatae aderant ....

App. (IV 51 D, 10 K, 52 G, II p. 492 Br.) — Nonius XIII p. 535. ‖ naves] ad naves *LHG*, ad *om. Bamb.*, ad id *Aldus, post* ad *numerum navium excidisse suspicatus est L. Müller.*

Comm. Luculli iter ad Armeniam factum quin hoc fragmento narretur, dubium non est. Neque discrepat ab eo Plutarchus c. 24: *Λούκουλλος δὲ συντόνως ὁδεύσας ἐπὶ τὸν Εὐφράτην .... ἤσχαλλεν, ὡς διατριβῆς αὐτῷ καὶ πραγματείας ἐσομένης συνάγοντι πορθμεῖα καὶ πηγνυμένῳ σχεδίας.* Etenim leves naves illae caudicariae, quibus Tiberim sane transgrediaris, minime aptae esse potuerunt ad Euphratem superandum ingenti rapidoque tum fluctu tumentem: quare licet Lucullus haberet naves illas, tamen in Euphrate maioribus *πορθμείοις* ratibusque ei opus erat; ac tale quid in Sallustio subsecutum esse effici mihi quidem videtur e voce *quamquam.*

60*. Ut tanta repente mutatio non sine deo videretur.

App. (Inc. 97 D, 66 K, II 59 G, I p. 604 Br.) — Donat. ad Terent. Eun. V 2, 36. — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. II 632. — Schol. Veron. ad l. l. ‖ repente] *om. schol. Dan.*

Comm. Quoniam de miro subitoque aliquo naturae eventu aperte agitur, summa veri specie esse Dietschii coniectura mihi videtur, qui haec ad Euphratem Luculli adventu magnopere inundantem tumentemque, at subito noctu dei cuiusdam ope diminutum rettulit; quod eo etiam confirmatur, quod re vera traiecto flumine Lucullus taurum sacrificavit velut *διαβατήρια*, scilicet ut deo illi grates ageret.

61. Naphtas, genus olei cedro simile, *quo .... nutriuntur incendia.*

App. (IV 54 D, 13 K, 83 G, II p. 380 Br.) — Probus p. 29: 'hoc naphtas, huius naphtae, genus .... simile', sicut Sallustius historiarum

libro quarto. — *Idem* Sacerdos (VI p. 480). — Hieronym. comm. in Daniel. III 46: 'Sallustius scribit in historiis, quod naphta sit genus fomitis apud Persas, quo .... nutriantur.' — *Idem* glossa e cod. Vatic. (*ed. Ang. Maius auct. class. VII p. 569*). — naphtas *praeterea commemorat* Probus p. 22. || naphtas] *ipse voluit Probus*, naphta *B Probi p. 29, Hieronymus, glossa;* napta *B Sacerdotis.* — genus .... simile] *iniuria a Sallustio abrogavit Kritz.* — quo .... incendia] *num verba Sallustii sint, nescio; certe sententiam eius exhibent, quippe quae cum Dionis verbis conspirent.* — nutriuntur] *glossa,* nutriantur *Hieronymus.*

Comm. Naphtas in Tigranocertorum obsidione ab Armeniis adhibitum ibique commemoratum esse a Sallustio et breviter descriptum collato sequitur Dione ap. Xiphil. p. 3: *καὶ αὐτὸν οἱ βάρβαροι τῇ τε τοξείᾳ καὶ τῇ νάφθᾳ κατὰ τῶν μηχανῶν χεομένῃ δεινῶς ἐκάκωσαν. ἀσφαλτῶδες δὲ τὸ φάρμακον τοῦτο καὶ διάπυρον οὕτως, ὥσθ' ὅσοις ἂν προσμίξῃ, πάντως αὐτὰ κατακαίειν κτλ.*

62*. In nuda, in tecta corpora.

App. (Inc. 59 D, 25 K, 19 G, II p. 97 et 382 Br.) — Diomedes p. 447. || in tecta corpora] intectato pora *M,* intecta *non distinxerunt vulgo.*

Comm. Res aliqua (nimirum cuius in bello usus est) significata esse videtur, quae eodem eventu et in nudos et in armatos hostes usurpatur. Et hoc bene convenire cum naphta illo acute repperit iam Debrossius.

63. Pluteos rescindit ac munitiones demolitur locoque summo potitur.

App. (IV 56 D, 15 K, 69 G, II p. 96 Br.) — Nonius II p. 95.

Comm. Fragmentum, quo obsessi ex oppido eruptionem facere et magnopere obsidentibus nocere docentur, ad Tigranocertorum obsidionem rettulit Kritz; quem secutus sum, cum ea in obsidione acerrimos sese praestasse oppidanos summaeque fuisse Romanis noxae e Dionis loco ad fr. 61 laudato sequeretur.

64*. Et sequebantur equites catafracti.

App. (IV 58 D, 67 G.) — Servius ad Aen. XI 770. || et] *om. AS.* — equites] equi *codd.,* equites *vulgo,* equi catafractos *coni. Thilo.*

Comm. In longiore exercitus Armenii descriptione etiam equitum cataphractorum mentionem esse factam discimus e Plut. c. 26: *ἱππεῖς δὲ πεντακισμυρίους καὶ πεντακισχιλίους, ὧν ἑπτακισχίλιοι καὶ μύριοι κατάφρακτοι ἦσαν, ὡς Λούκουλλος ἔγραψε πρὸς τὴν σύγκλητον,* ac sane in enumeratione illa verbi *sequebantur* aptus est locus.

65*. Equis paria operimenta erant, ⟨nam⟩que linteo ferreas laminas in modum plumae adnexuerant.

App. (IV 59 D, 17 K, 66 G, II p. 507 Br.) — Serv. ad Aen. XI 770. || namque] quae *codd., praeter quod* que *R, corr. Thilo.* — linteo] lina *R,*

linco *H*, quae lintea *vulgo.* — ferreas laminas] ferreis laminis *codd.* (lamineis *A*), *corr. Thilo.*

66. Qui praegradiebantur, equites catafracti, ferrea omni specie.

App. (IV 57 D, 16 K, 53 G, II p. 506 Br.) — Nonius XIX p. 556. qui] cui (*scil.* Tigrani) *coni. L. Müller.* — praegradiebantur] *sic Bamb.*, praegrediebantur *rell. codd.* — omni] omnes *coni. Coler, iure tuetur Jürges p. 12 collato Ammiano XXIV 2, 42:* 'ferrea nimirum facie omni.'

Comm. Minus ad ipsam equitum descriptionem, ad quam rettulerunt editores, quam ad pugnam Tigranocertanam pertinere fragmentum mihi videtur; et scimus equites in fronte dextri cornus stetisse, *praegradiebantur* igitur dextro aciei Armeniacae cornui; quominus autem in verbis explicandis vulgatam sequamur opinionem, prohibet ipsa haec vox collato fr. 64 initio.

67†. Ruinaque magna pars suismet aut proximorum telis, ceteri vicem pecorum obtruncabantur.

App. (II 52 D, 59 K, 53 G, II p. 79 et 511 Br.) — Nonius IX p. 497. — hist. lib. II *codd., corr. cf. commentarium.* ‖ ruinaque magna pars] ruinaque pars magna *codd., corr. L. Müller,* ruuntque pars magna *Coler* (magna pars *Dietsch*); *recte Müllerum coniecisse edoceri videtur fragm. Aurelianensi II 87, B, 1:* 'ruinaque multorum fossae semipletae sunt.' — *Post* telis *excidisse participium verbumve* (vulnerati, caesi) *Dietsch ac L. Müller coniecerunt.* — vicem] vice *G*, vece *LH*, vete *Bamb., corr. Mercier, quamquam* vice *vel Dictys V 13:* 'ita comprehensi .... trepidantes ac vice pecorum interficiuntur' *et Lactantius V 10 (p. 430 Br.):* 'cum vivos, quos habebat in potestate, vice pecudum iuberet occidi' *legisse videntur;* vicem *habuit Nonius idque Sallustiano respondet sermoni.*

Comm. Rem fragmento narratam aut in Chalcedonis obsidione accidisse aut cum Appiano c. 71 congruere, quocum contulit Debrossio auctore Kritz, iure suo negavit Dietsch. Sed optime Sallustii verba cum Plutarchi de proelio Tigranocertano narratione consentire mihi videntur, quo ingentem fugam stragemque Armeniorum factam esse a Romanis constat; praeterea eam his verbis describi pugnae rationem animadvertas, qua adeo conferta altaque militum acies sit, ut libere armis uti nequeant eoque et ipsi sese vulnerent et ab hoste facile concidantur. Sed ita Tigranocertis factum esse scimus, cf. Mithr. epist. (fr. 69): 'quia multitudinem artis locis pugna prohibuere, imprudentiam Tigranis pro victoria ostentant'; quare ex libro secundo huc fragmentum transferre etiam adversis Nonii codicibus non dubito.

68. Anxius animi atque incertus.

App. (IV 72 D, 75 K, 62 G, I p. 446 Br.) — Arus. p. 456.

Comm. Aptiorem, ad quem spectare hoc fragmentum iudicem, quam Tigranem nescio, cf. Plut. c. 29: (*Μιθριδάτης*) εὑρὼν δὲ

πάντων ἔρημον καὶ ταπεινὸν οὐκ ἀνθύβρισεν, ἀλλὰ καταβὰς καὶ συνδακρύσας τὰ κοινὰ πάθη κτλ.

69. Epistula Mithridatis.

Rex Mithridates regi Arsaci salutem. Omnes, qui secundis 1
rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere, dein quod quaesitur, satisne pium,
tutum, gloriosum an indecorum sit. Tibi si perpetua pace 2
frui liceret, nisi hostes oportuni et scelestissimi, ⟨ni⟩ egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est, neque petere audeam societatem et frustra mala mea cum bonis tuis misceri sperem.
Atque ea, quae te morari posse videntur, ira in Tigranem 3
recentis belli et meae res parum prosperae, si vera existimare
voles, maxime hortabuntur. Ille enim obnoxius, qualem tu 4
voles, societatem accipiet, mihi fortuna multis rebus ereptis usum dedit bene suadendi et, quod florentibus optabile est, ego non validissimus praebeo exemplum, quo rectius tua componas.

Namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis 5
una et ea vetus causa bellandi est, cupido profunda imperii et divitiarum; qua primo cum rege Macedonum Philippo bellum
sumpsere, dum a Carthaginiensibus premebantur, amicitiam 6
simulantes. Ei subvenientem Antiochum concessione Asiae per dolum avertere, ac mox fracto Philippo Antiochus omni cis
Taurum agro et decem milibus talentorum spoliatus est. Persen 7
deinde, Philippi filium, post multa et varia certamina apud Samothracas deos acceptum in fidem callidi et repertores per-
fidiae, quia pacto vitam dederant, insomniis occidere. Eumenen, 8
cuius amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem; post habitum custodiae agri captivi sumptibus et contumeliis ex rege miserrimum servorum effecere, simulatoque impio testamento filium eius Aristonicum, quia patrium

App. (IV 61 D, 19 K, p. 107 G, II p. 527 Br., Jordan. ed. 3 p. 122.) — 2. tibi si .... liceret e. q. s.] licet *V*, tibi perpetua .... liceret *ex Aldi coniectura Kritz*, ni *add. Madvig, qui rectissime sententiam enuntiati huius constituit, sed* tibi si liceret *eiusdem sententiae melius videtur respondere; transpositione loco varie medebantur Douza, Hitzig, Dietsch.*

3. parum] rarum *V, corr. Aldus.* — vera] vere *coni. Madvig.*

4. accipiet] accepiet *V.*

7. Philippi] pilippi *V.* — insomniis] insomnia *coni. Lipsius.*

8. Eumenen] eum en *V*, Eumenem *vulgo.* — effecere] efficere *V.*

9 regnum petiverat, hostium more per triumphum duxere. Asia
ab ipsis obsessa est, postremo Bithyniam Nicomede mortuo
diripuere, cum filius Nysa, quam reginam appellaverat, genitus
haud dubie esset.

10 Nam quid ego me appellem? Quem diiunctum undique
regnis et tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem
neque serviturum esse, per Nicomedem bello lacessiverunt, sce-
leris eorum haud ignarum et ea, quae accidere, testatum antea
Cretensis, solos omnium liberos ea tempestate, et regem Ptole-
11 maeum. Atque ego ultus iniurias Nicomedem Bithynia expuli
Asiamque spolium regis Antiochi recepi et Graeciae dempsi
12 grave servitium. Incepta mea postremus servorum Archelaus
exercitu prodito impedivit, illique, quos ignavia aut prava calli-
ditas, ut meis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissi-
mas poenas solvunt, Ptolemaeus pretio in dies bellum prolatans,
Cretenses impugnati semel iam neque finem, nisi excidio habi-
13 turi. Equidem cum mihi ob ipsorum interna mala dilata proelia
magis quam pacem datam intellegerem, abnuente Tigrane, qui
mea dicta sero probat, te remoto procul, omnibus aliis ob-
noxiis, rursus tamen bellum coepi Marcumque Cottam, Roma-
num ducem, apud Chalcedona terra fudi, mari exui classe pul-
14 cherrima. Apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidio
moranti frumentum defuit, nullo circum adnitente; simul hiems
mari prohibebat. Ita sine vi hostium regredi coactus in patrium
regnum naufragiis apud Parium et Heracleam militum optimos
15 cum classibus amisi. Restituto deinde apud Cabiram exercitu
et variis inter me atque Lucullum proeliis inopia rursus ambos
incessit; illi suberat regnum Ariobarzanis bello intactum, ego
vastis circum omnibus locis in Armeniam concessi, secutique

Testimonium: 15. Charis. p. 119: Sallustius quoque historiarum libro IV: 'inter me ..... incessit.'

10. Cretensis] Cretenses *V.*
11. dempsi] demsi *V.*
12. habituri] habitur *V.*
13. cum] quom *V (sic!).* — Chalcedona] Calchedona *V, Jordan.*
14. coactus] conatus *V, corr. Aldus.* — apud Parium et Heracleam] et apud Heracleam *coni. Dietsch.*
15. Cabiram] Caberam *V, Dietsch, Jordan,* Cabira *Carrio, Kritz.* — proeliis] *V,* prope *N Charisii, quod nescio an ea re ortum sit, quod in Charisii eiusve auctoris exemplari Sallustiano* prope Caberam *extiterit.*

Romani non me, sed morem suum omnia regna subvertendi,
quia multitudinem artis locis pugna prohibuere, imprudentiam
Tigranis pro victoria ostentant.

Nunc quaeso considera, nobis oppressis utrum firmiorem 16
te ad resistendum an finem belli futurum putes? Scio equidem
tibi magnas opes virorum, armorum et auri esse; et ea re a
nobis ad societatem, ab illis ad praedam peteris. Ceterum con-
silium est, Tigranis regno integro, meis militibus belli pruden-
tibus, procul ab domo, parvo labore per nostra corpora bellum
conficere, quo neque vincere neque vinci sine tuo periculo pos-
sumus. An ignoras Romanos, postquam ad occidentem per- 17
gentibus finem Oceanus fecit, arma huc convertisse? Neque
quicquam a principio nisi raptum habere, domum, coniuges,
agros, imperium? Convenas olim sine patria, parentibus, pestem
conditos orbis terrarum, quibus non humana ulla neque divina
obstant, quin socios, amicos, procul iuxta sitos, inopes potentis-
que trahant excindant, omniaque non serva et maxime regna
hostilia ducant. Namque pauci libertatem, pars magna iustos 18
dominos volunt, nos suspecti sumus aemuli et in tempore vin-
dices adfuturi. Tu vero, cui Seleucea, maxima urbium, regnum- 19
que Persidis inclitis divitiis est, quid ab illis nisi dolum in
praesens et postea bellum expectas? Romani arma in omnis 20
habent, accerrima in eos, quibus victis spolia maxima; audendo
et fallendo et bella ex bellis serendo magni facti. Per hunc 21
morem extinguent omnia aut occident * * * quod haud difficile

Testimonia: 16. Charis. p. 196: Sallustius historiarum IV: 'Scio ... conficere.'

17. Serv. ad Aen. VII 303: Sallustius: 'pestem terrarum.'

19. Arus. p. 487: Sal. hist. IV ... idem hist. IV: 'Quid ... expectas.'

16. peteris] *V*, petieris *N Charisii.* — belli prudentibus] *om. V.* — parvo labore] *om. Charisius, delet Linker.* — quo] quom *V, corr. Gerlach,* quando *Aldus.*

17. raptum] partum *V, corr. Ciacconius,* vi partum *coni. Klotz,* armis partum *Douza.* — parentibus] sine parentibus *Aldus.* — pestem] peste *V, Kritz, Jordan,* pestem *A S, ego,* perte *rell. Servii,* pesti *coni. Douza,* cum peste *antea Dietsch.* — conditos] *V Sallustii, A S Servii,* conditor *R H F L,* conditur *M Servii.* — maxime] maxume *V.*

19. expectas] expectans *N Charisii.*

20. omnis] omnes *V.* — maxima] maxuma *V.*

21. *Lacunam iure statuit Kitzig, cum insequente enuntiati parte non* facile Romanos omnia extinguere, *sed* facile illos a Parthis Armeniisque circumventum iri *Mithridates exponeret.*

est, si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur exercitum sine frumento, sine auxiliis, fortuna aut nostris vitiis adhuc
22 incolumem: Teque illa fama sequetur, auxilio profectum magnis regibus latrones gentium oppressisse. Quod uti facias, moneo
23 hortorque, neu malis pernicie nostra tuam prolatare, quam societate victor fieri.

†70. Imperii prolatandi percupidus habebatur, cetera egregius.

App. (V 6 D, IV 8, I 78 G.) — Arus. p. 470. — Sal. Iug. *N; aut excidisse videtur exemplum Iug. 63, ubi* neque tam egregius facta erat (*vulgo* factis) *legisse putaverim Arusianum, aut* IV (G) *ex* IV *numero corruptum esse coniciam.*

Comm. Lucullum dici iure affirmavit Kritz; qui cum dubitet, quarti quintine sit libri fragmentum, ex quarto sumptum id esse ordine rerum supra exposito efficitur.

71*. Schol. Gronov. ad Cic. pr. leg. Man. 28 (p. 441 Or.): 'Ut dicit Sallustius, Lucullus pecuniam Quintio dedit, ne illi succederetur.'

App. (V 9 D, 11 K, inc. 76 G.)

Comm. Minus recte scholiastae locum quinto historiarum libro attribuit Kritz; etenim anno 67 Quintium a Lucullo pecunia corruptum esse minime credi potest; sane tum re vera Lucullo ademptae sunt provinciae atque exercitus idque L. Quintio maxime auctore, cf. Plut. Luc. c. 33: *τοῦτο γὰρ εἰπεῖν φασιν ἕνα τῶν στρατηγῶν Λεύκιον Κοΐντιον, ὑφ᾽ οὗ μάλιστα πεισθέντες ἐψηφίσαντο πέμπειν διαδόχους τῷ Λουκούλλῳ τῆς ἐπαρχίας.* Itaque hanc Quintii corruptionem anni 69 exitu factam esse puto, cum graviter Lucullus Romae a tribunis incusabatur.

72*. Apud Gorduenos amomum et alii leves odores gignuntur.

App. (IV 60 D, 18 K, 80 G, II p. 517 Br.) — Schol. Vatic. (Philargyr.) ad Georg. IV 49.

Comm. Fragmentum, quo Gorduenorum terra describitur, ibi collocandum erit, ubi primum gentis illius mentio est facta, scilicet cum Lucullus captis Tigranocertis hiberna agere narraretur.

73. Impotens et nimius animi est.

App. (IV 71 D, 74 K, 63 G, II p. 302 Br.) — Arus. p. 495.

Comm. Et ipsum hoc crimen bene in Lucullum cadit, praesertim si eo de tempore agi interpretamur, quo bellum Parthis

inferendum ille cogitavit, et feroces voces huic fragmento similes ad milites Valerianos oboedientiam imperatori denegantes referri posse videntur; illa igitur de re agi hoc loco conicio.

74. Tum vero Bithynii propinquantes iam amnem Arsaniam.

App. (IV 62 D, 20 K, 50 G, II p. 79 Br.) — Arus. p. 500. ‖ vero] utro *N.* — Bithynii] Atropateni *coni. Dietsch temere.* — Arsaniam] Tartanium *N, corr. Dietsch.*

Comm. De pugna anno 68 ad Arsaniam flumen commissa hic agi ex veri simili eademque facillima Dietschii emendatione didicimus. *Bithynii* nempe in exercitu Romanorum sunt cohors quaedam aut ala auxiliaris; qui cum e more Romanorum in itinere primum tenerent locum, sane primi ad flumen Arsaniam accesserunt; ac quaerentibus, quidnam *tum vero* acciderit, facile subaudimus subito illos tum hostes trans flumen in planitie dispositos conspexisse.

75*. More equestris proelii sumptis tergis ac redditis.

App. (Inc. 55 D, 21 K, 24 G, II p. 550 Br.) — Serv. ad Aen. XI 619.

Comm. Ad pugnae ad Arsaniam factae exordium fragmentum spectare mihi videtur, cf. Plut. c. 31: *οὐ μὴν ἐπράχθη τι λαμπρὸν ἀπ' αὐτῶν, μικρὰ δὲ τοῖς ἱππεῦσι τῶν Ῥωμαίων διαπληκτισάμενοι τοὺς πεζοὺς ἐπιόντας οὐκ ὑπέμειναν κτλ.*

76. Simul eos et cunctos iam inclinatos laxitate loci plures cohortes atque omnes, ut in secunda re, pariter acres invadunt.

App. (IV 44 D, 2 K, 68 G, II p. 109 Br.) — Nonius II p. 132. *Lacunam post* eos *statuit L. Müller.* — cunctos] cuneos *coni. L. Müller.* — laxitate] laxitas et *codd., corr. Mercier.* — acres] acre *codd., corr. Mercier.*

Comm. Haec minime quadrare ad pugnam Cabirensem, quod voluit Kritz, vel ea re sequitur, quod illa in angustiis, non laxo loco commissa est; et eandem ob rem de Tigranocertis cogitare, velut Gerlach voluit, vetamur. Sed haec laxitas loci optime convenit cum rebus ad Arsaniam gestis; atque notum est post leves equitum pugnas cohortes legionesque hostium equitatum fudisse, dein ipsam mediam Tigranis aciem invasisse; hunc ad impetum si fragmentum referemus, optime quoque explicabitur acritas illa Romanorum, qui *ut in secunda re*, id est freti victoria de equitibus reportata Armenios aggrediuntur.

77*. Hieronym. de situ et nom. loc. hebr. (*onomast. sacra ed. Lagarde p. 117*): 'Porro Sallustius, auctor certissimus,

asserit tam Tigris quam Euphratis *in Armenia fontes* demonstrari', 'qui *per diversa euntes* longius dividuntur spatio medio relicto multorum milium; sed *terra, quae ab iis ambitur, Mesopotamia dicitur*' (Isid. orig. XIII 21, 10).

App. (IV 52 D, 11 K, 55 G, II p. 495 Br.) || *Voci* demonstari *Hieronymi Sallustianum* ostendi *respondere videtur.* — per diversa euntes] *Sallustianum esse apertum est.* — sed terra quae] quae tamen terra quae *Isidorus.* — *Postrema Isidori verba ad Sallustium redire collato Dione veri fit simile, c. 6, 2:* (*Μεσοποταμία*) *οὕτω γὰρ πᾶν τὸ μεταξὺ τοῦ τε Τίγριδος καὶ τοῦ Εὐφράτου ὀνομάζεται.*

78*. Schol. ad Iuven. I 104: 'Mesopotameni homines effrenatae libidinis sunt in utroque sexu; Sallustius meminit.'

App. (IV 53 D, 12 K, 56 G, II p. 641 Br.)

79. Clausi lateribus altis pedem.

App. (IV 64 D, 65 K, 70 G, II p. 239 Br.) — Arus. p. 450.

Comm. Ad Nisibim pertinere hoc fragmentum collato Dione putavi, c. 63: *τὰ γὰρ τείχη καὶ διπλᾶ καὶ πλίνθινα ὄντα τήν τε παχύτητα πολλὴν ἔχοντα καὶ τάφρῳ βαθείᾳ διειλημμένα κτλ.*; sin quaerimus, quidnam clausum muro e lateribus exstructo fuerit, sane fuerunt ii loci, fossae, viae tramitesve, quae inter duos illos muros intererant.

80*. (Nubes) .... foedavere lumen.

App. (Inc. 104 D, 73 K, 15 G, II p. 82 Br.) — Serv. ad Aen. II 286: 'Sallustius de nubibus.'

Comm. Spectare locus mihi videtur ad Nisibis urbis expugnationem, cf. Dion. c. 7, 1: *ἐτήρησε νύκτα ἀσέληνον καὶ ὑετῷ λάβρῳ βρονταῖς τε χειμέριον κτλ.*

81. Sestertium tricies pepigit a C. Pisone.

App. (IV 36 D, 61 K, 73 G.) — Arus. p. 498.

Comm. Quae Dietsch enucleare studuit e fragmenti huius verbis, falsissima omnia sunt, neque enim C. Piso pecunia corrumpi hic narratur, verum is corrumpitur, qui 3000000 sestertium ex pacto a Pisone accepit. Pisonem alium, nisi C. Calpurnium Pisonem, anni 67 consulem, intelligi non posse iam Kritzio iure visum est; sed de ambitu illius consulatum petentis hoc loco agi vix crediderim, cum ea in re multi ex plebe, non unus, velut nostro hoc fragmento, ambiri corrumpique soleant. Optime vero quadrare fragmentum videtur ad crimen ambitus eidem consuli designato obiectum, quod corrupto ille accusatore evitavit, cf. Dion. c. 38, 3: (*οἱ ὕπατοι*) *αὐτοὶ γὰρ διασπουδάσαντες ἀπεδείχθησαν καὶ ὅγε Πίσων*

καὶ γραφεὶς ἐπὶ τούτῳ καὶ πρὸς ἑνὸς καὶ πρὸς ἑτέρου τινὸς ἐξεπρίατο τὸ μὴ κατηγορηθῆναι. Quisnam vero fuerit, qui mercedem silentii pecuniam accepisse fertur, nescimus.

Fragmenta incerta, fr. 82—85.

82. Qui proximi locos hostium erant.

App. (IV 66 D, 67 K, 74 G.) — Arus. p. 498. || locos] *sic N*, loca *vulgo e Lindemanno.*

83. Stolide castra suggressus.

App. (IV 67 D, 68 K, 76 G.) — Arus. p. 510.

84. Consilii aeger.

App. (IV 73 D, 76 K, 65 G, I p. 317 Br.) — Arus. p. 453.

Comm. De Lentulo Sura etsi haud inepte haece affirmari potuerunt, tamen plures sane homines quarto commemoratos libro ita fere dictos esse haud negaveris.

85. Ne inrumpendi p⟨ontis⟩ .... sublicibus cavata .... ⟨es⟩sent.

App. (IV 74 D, 77 K, 81 G, I p. 396 Br.) — Festus p. 293 M. (p. 414 Th.): 'Sallustius libro qu⟨arto historiarum⟩' e. q. s. — quarto] *suppl Ursinus.* || inrumpendi] inrumiendi *F, corr. O. Müller.* — pontis] *post* p *desunt 20 fere litterae,* pontis *suppl. Ursinus, recte, quoniam de ponte sublicio apud Festum esse sermonem constat. Fortasse* ne inrumpendi pontis vis flumini esset *vel simile quicquam scribendum est.* — *Post* cavata *18 fere desunt litterae.* — essent] *suppl. Ursinus.*

Comm. Pons sublicius quonam conexu quarto historiarum libro mutilisque his verbis appellatus sit, nescimus; saepius hac fere aetate eum aucto tempestate Tiberi dirutum esse a Dione XXXVII 58, L 8, LIII 33 refertur.

LIBER V.

ARGUMENTUM.

In quinti libri materia disponenda auctorem sequi licet optimum, scilicet Dionem Cassium; primum igitur locum tenet bellum Armeniacum, cuius res inde ab autumno anni 68 ad finem anni 67 deductas esse e Dione atque ex fragmentis sequitur. Cui subiecta fuit lex Gabinia, dein bellum piraticum Pompeio duce gestum, turbae Romae a Cornelio excitatae ceteraeque res urbanae anni 67. Atque bellum Creticum resque a Q. Metello actas non enarratas esse historiis in Prolegomenis p. 72 sq. iam monui.

CAPUT I.

Belli a Lucullo gesti finis, fr. 1—16.

Enarratio.

L. Lucullo per autumnum Nisibim obsidente Tigranes
Armeniae partes a Romanis iam occupatas sibi repetivit (Dio
1 c. 8); simul Mithridates subito in Pontum invasit (fr. 1), oppida
2 sua recepit (fr. 2), incolas, ad sese ut deficerent, brevi commovit
3 (fr. 3), iamque cum M. Fabio Hadriano legato congressus
necopinatos Romanos paene oppressit, sed ipse rex in pugna
4, 5, 6, 7 fortiter dimicans (fr. 4, 5) vulneratus est (fr. 6, 7. — Dio c. 9).
— Sed Fabius Cabirae obsessus tamen brevi a Triario ex obsidione solutus est, quo appropinquante rex Comana recedere coactus ibi a duobus Romanorum ducibus clade affectus est (Dio c. 10).

Anno post 67 M.' Acilio Glabrione C. Calpurnio Pisone consulibus Mithridates cum ad Zelam vicina Triario castra haberet decertare cum legato, antequam advenisset Lucullus, studuit; et recusante quidem proelium Triario militum ex voluntate pugna commissa est Romanique dissipati sunt: qui plane eo die interiissent, nisi Mithridates a centurione per insidias vulneratus
esset (Dio c. 12, 13, adde fr. 8). 8

Sed Romae interim tanta adversus Lucullum orta est invidia agitantibus tribunis et L. Quintio, ut ex A. Gabinii, tribuni plebis, rogatione demi illi provincias dimittique legiones populus iuberet (Plut. Luc. c. 33 inde a: *οἱ δημαγωγοὶ . . . φθόνῳ τοῦ Λουκούλλου κατηγοροῦντες κτλ.*). Atque Lucullus iam profectus erat in hostes iamque e Ponto expellere eos coeperat, cum subito legiones Valerianae ceteraeque deficiunt (Dio c. 14), par-
tim ex insolita luxuria, qua Nisibi hiemantes usi erant (fr. 9), 9
partim iam pridem Lucullo infensae, cum severitatem superbiamque eius aegre ferrent (Plut. c. 33 usque ad *οὕτω διακει-
μένοις* [= fr. 10], cf. cum Dion. c. 16), ad hoc exagitatae sedi- 10
tiosis P. Clodii legati contionibus (Plut. c. 34, adde fr. 11 et 12, 11,12
praeterea Dion. c. 14, 4, et fr. 13). Ac quamquam Nisibi in 13
Pontum secuti milites Lucullum erant, tamen regresso in montes Mithridate atque imminentibus undique hostium exercitibus imperatorem deseruerunt, non nisi unam eam aestatem in castris sese mansuros concedentes; itaque facile brevissimoque tempore Mithridates Pontum ac Cappadociam recepit (Dio c. 15; 17, 1,
adde fr. 14, dein Plut. c. 35). Marcius vero pro consule Ciliciae 14
non solum Lucullum non adiuvit (fr. 15), sed etiam P. Clodium 15
Lucullo inimicum in exercitum suum recepit (Dio c. 17, 2—3,
tum fr. 16). 16

Fragmenta.

1*. Repente incautos agros invasit.

App. (Inc. 46 D, 12 K, III 71 G, II p. 144 Br.) — Schol. Vatic. (Philargyr.) ad Georg. III 469.

Comm. Cum Mithridatis invasione necopinantibus Romanis in Pontum facta bene haece consentire ex iis, quae Cassius Dio enarrat, constare videtur, cf.: *Μιθριδάτης ἔς τε τὴν ἑτέραν Ἀρμενίαν καὶ ἐς τὰ ἄλλα ἐσβαλὼν πολλοὺς τῶν Ῥωμαίων τοὺς μὲν ἀνὰ τὴν χώραν πλανωμένους ἀπροσδόκητός σφισι προσπεσὼν ἔφθειρε.*

2*. Simul immanis hominum vis multis e locis invasere patentis tum et pacis modo effusas.

App. (Inc. 25 D, III 72 K, inc. 36 G, II p. 50 et 113 Br.) — Serv. (Schol. Dan.) ad Aen. I 298. ‖ *Vocem* urbes, *quam subaudiendam esse patet, add. Dietsch, sed antecessisse eam paullo supra non est, cur negemus.*

Comm. Kritz de fugitivis in Campaniam invadentibus haec dicta esse proposuit; quam ad rem neque *immanis hominum vis* neque *multi* illi *loci* quadrare videntur, neque *pacis modo* tum patuisse Italiae urbes crediderim. Sed rectius Dietsch bello Mithridatico fragmentum attribuit, etenim *pacis modo effusos* esse Asiae minoris incolas verbis Dionis modo laudatis comprobatur. Hunc vero locum paulo infra habet Dio l. l.: *καὶ τῶν χωρίων τὰ πλείω διὰ ταχέων ἀνεκτήσατο.*

3*. Adeo illis ingenita est sanctitas regii nominis.

App. (V 1 D, 1 K, IV 79 G, II p. 632 Br.) — Serv. ad Georg. IV 211 (c. schol. Vat.), schol. Bern. ad h. l. ‖ regii nominis] regi in omnibus *AH*, religionis *V*.

Comm. Spectant verba ad Dionem c. 9, 2: *οἵ γὰρ ἄνθρωποι ἐκείνου τε εὔνοιαν ἔκ τε τοῦ ὁμοφύλου καὶ ἐκ τῆς πατρίου βασιλείας . . . . ἔχοντες προσεχώρησάν τε αὐτῷ κτλ.*

4*. Et in proeliis actu promptus.

App. (Inc. 31 D, V 5 K, inc. 4 G, I p. 504 Br.) — Donat. ad Terent. Eun. IV 7, 13. ‖ et] *D, om. O.*

Comm. Cum Donatus testetur imperatorem aliquem ita dictum esse supra solitum officium in pugnis versantem, ad Mithridatem haec spectare, quod Kritz coniecit, paene certum est, cf. fr. 5; ceterum quod Prolegom. p. 51 cum Frontino II 5, 30 haec verba conferebam atque de Olthaco Scytha agi scribebam, errore sane factum est.

5. Peractis septuaginta annis armatus equom insilire.

App. (V 3 D, 4 K, 10 G.) — Arus. p. 488.

Comm. Mithridatem intelligendum esse hoc fragmento constat, quod pertinet ad Dion. c. 9, 5: *καὶ γὰρ ὑπὲρ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτη γεγονὼς ἐμάχετο.* Idem legisse videtur Appianus loco, quo Mithridatis naturam et ingenium describit, Mithr. c. 112: *οὐκ ἀπέστη τινὸς οὐδ' ὥς, καίπερ ὢν πρεσβύτης,* ac post: *εὔρωστος δέ, ὡς μέχρι τέλος ἱππεῦσαί τε καὶ ἀκοντίσαι καὶ χίλια στάδια τῆς ἡμέρας . . . . δραμεῖν.*

6*. Luxo pede.

App. (V 2 D, 2 K, inc. 48 K, II p. 631 Br.) — Probus cath. p. 31. — Sacerdos (VI p. 482).

Comm. Mithridates dictus est genu lapide percusso vulneratus.

7*. Prohibebit nocere venenum, quod tibi datur.

App. (Inc. 30 D, V 3 K, inc. 79 G.) — [Caper] de dubiis nomin. (V p. 593). ‖ prohibebit] *sic M, Keil,* prohibet *V, vulgo.*

Comm. Mithridatem in proelio lapide vulneratum serpentium veneno usum esse, ut vulneri mederetur, notum est; quod ne sibi noceret, antidoton secum habuisse fertur idoneum, quo omnibus venenis occurreretur (cf. Plin. XXV 62). Ad hanc igitur rem spectare fragmentum iure Kritz coniecit, antidoton vero illud fragmenti esse subiectum vix est, quod moneam; itaque verba sunt medici Scythici, qui post pugnam Mithridatis vulnus curavit.

8*. Pressi undique multitudine.

App. (Inc. 66 D, 32 K, 1 G, I p. 404 Br.) — Donat. ad Terent. Adelph. III 2, 4.

Comm. Ad pugnam Zelae factam fragmentum referendum esse veri est simile collato Dione c. 12, 4: *(οἱ βάρβαροι) τοὺς μὲν ἐν χερσὶ τῷ τε πλήθει σφῶν περιέσχον καὶ κατειργάσαντο κτλ.*; Romanorum igitur his verbis illustratur condicio.

9. Ceteri negotia sequebantur familiaria legatorum aut tribunorum, et pars sua commeatibus, mercatis.

App. (V 8 D, 8 K, 4 G, II p. 633 Br.) — Nonius II p. 138. ‖ sequebantur] exequebantur *coni. Dietsch, at cf. fr. III 95.* — et] *tollit Dietsch.*

10*. Plut. Luc. c. 33: *Σαλούστιος μὲν οὖν φησι χαλεπῶς διατεθῆναι τοὺς στρατιώτας πρὸς αὐτὸν εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῦ πολέμου πρὸς Κυζίκῳ καὶ πάλιν πρὸς Ἀμίσῳ, δύο χειμῶνας ἑξῆς ἐν χάρακι διαγαγεῖν ἀναγκασθέντας.*

App. (V 5 D, 10 K, inc. 89 G, II p. 543 Br.)

11. Qui uxori eius frater erat.

App. (V 7 D, 9 K, IV 47 G, II p. 53 Br.) — Arus. p. 474.

Comm. Publius Clodius, Luculli legatus, dictus est, cf. Plut. Luc. c. 34: *ἦν δὲ τῆς Λουκούλλου γυναικὸς ἀδελφός, ἣν καὶ διαφθείρειν ἔσχεν αἰτίαν ἀκολαστοτάτην οὖσαν*, idem Dion. c. 14, 4: *καὶ μάλισθ᾿, ὅτι Πούπλιος Κλώδιος . . . . συνεστασίαζε σφᾶς ὑπ᾿ ἐμφύτου νεωτεροποιίας, καίπερ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ τῷ Λουκούλλῳ συνοικούσης.*

12*. Ex insolentia avidus male faciendi.

App. (Inc. 77 D, 43 K, I 74 G, II p. 146 Br.) — Serv. ad Aen. IX 341. ‖ ex] *F*, et *rell. codd.* — avidus] avidius *ASRHF*.

Comm. Significatum esse iuvenem aliquem e Servii interpretatione effici mihi videtur, qui cum ad Vergilium adnotet: 'bene expressit et bellatoris peritiam et tironis inconsideratam aviditatem', huius iuvenilis aviditatis exemplum e Sallustio promit. Itaque confirmari puto Kritzii sententiam, P. Clodium intelligi iubentis, praesertim cum loco ad fr. 11 laudato Dio praecipue illius *ἐμφύτου νεωτεροποιίας* mentionem faciat.

13. Legiones Valerianae comperto lege Gabinia Bithyniam et Pontum consuli datam, sese missos esse.

App. (V 10 D, 14 K, 2 G, II p. 644 Br.) — Priscian. XVIII (III p. 225). ‖ sese] esse *codd., corr. Douza.*

Comm. Pertinent verba ad id temporis momentum, quo primum de lege Gabinia legiones certiores factae sunt, et ad Dion. c. 14, 4: *ἐταράχθησαν δὲ καὶ τότε, ἄλλως τε καὶ ἐπειδὴ τὸν Ἀκίλιον τὸν ὕπατον, ὃς τῷ Λουκούλλῳ διάδοχος .... ἐξεπέμφθη, πλησιάζοντα ἐπύθοντο.* Itaque Kritzii interpretatio corrigenda erit.

14. At Lucullus audito Q. Marcium Regem pro consule per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere.

App. (V 11 D, 12 K, 1 G, II p. 647 Br.) — Priscian. XVIII (III p. 225). ‖ audito Q.] auditoque *MDSL.* — in] ad *R.*

Comm. Ad Dion. c. 15, 1: *ὁ οὖν Λούκουλλος ἔκ τε τούτων καὶ ὅτι παρὰ τοῦ Μαρκίου τοῦ πρὸ τοῦ Ἀκιλίου ὑπατεύσαντος ἐς Κιλικίαν, ἧς ἄρχειν ἔμελλε, παριόντος ἐπικουρίαν αἰτήσας οὐκ ἔτυχεν κτλ.*

15. Sed ubi ille militum voluntatem causatus.

App. (IV 12 D, 13 K, 11 G.) — Arus. p. 489.

Comm. Ad Dion. c. 17, 2: *Μάρκιος δὲ Λουκούλλῳ μὲν οὐκ ἐπεκούρησε πρόσχημα τοὺς στρατιώτας ὡς οὐκ ἐθελήσαντάς οἱ ἀκολουθῆσαι ποιησάμενος.*

16. Regem aversabatur.

App. (V 4 D, 7 K, 3 G, II p. 33, 115, 198, 482 Br.) — Arus. p. 456.

Comm. Hoc fragmentum ut explicemus, vir aliquis nobis quaerendus est quinto quidem libro commemoratus, a quo regem

— scilicet aut Mithridatem aut Tigranem — desertum esse scimus; ad Menemachum igitur fragmentum refero, cf. Dion. l. l.: ἐς δὲ τὴν Κιλικίαν ἀφικόμενος Μενέμαχόν τινα ἀπαυτομολήσαντα τοῦ Τιγράνου ἐδέξατο (scil. Marcius).

CAPUT II.

Bellum piraticum, fr. 17—27.

Insunt de lege Gabinia fr. 19—24, de legibus Cornelianis fr. 27.

Enarratio.

Iisdem temporibus bellis circum terra marique saevientibus ingenter auctae sunt praedonum opes, numerus, audacia: sane tum non singuli, sed magnis classibus maria infestabant omnia, urbes evertebant ac diripiebant, ipsam in Italiam descendebant (Dio c. 20—23, 2, fr. 17, 18). Quos adversum unus imperator 17, 18
consulari imperio mitteretur cum exercitu legatisque, quos vellet, omnique maris Romani orae praeficeretur, A. Gabinius rogavit; qua lege adversariis quidem nobilibus maximeque C. Pisone consule, magno vero populi studio promulgata Pompeium significatum esse omnibus patuit (Dio c. 23, 3—5, c. 24, fr. 19). Sed die, quo lex comitiis ferenda erat, primus Pom- 19
peius ipse locutus est (fr. 20), dein A. Gabinius legem longiore 20
oratione commendavit (fr. 21, 22). Ac L. Trebellius unus tribu- 21, 22
norum resistere legi ausus est; 'quo *perseverante intercedere* — nam senatui promiserat moriturum se antequam illa lex perferretur — *intro vocare tribus Gabinius coepit*, ut *Trebellio magistratum abrogaret* ...... Et aliquamdiu Trebellius ea re non perterritus aderat perstabatque in intercessione, quod id minari magis quam perseveraturum esse Gabinium arbitrabatur; sed *postquam decem et septem tribus rogationem ac-*

Ὁ Τρεβέλλιος ἐπειράϑη μὲν ἀντειπεῖν, ὡς δ' οὐδενὸς λόγου ἔτυχεν, ἠναντιοῦτο, μὴ τὴν ψῆφον δοϑῆναι. Ὁ οὖν Γαβίνιος ἀγανακτήσας τὴν μὲν περὶ τοῦ Πομπηίου διαψήφισιν ἐπέσχεν, ἑτέραν δὲ περὶ αὐτοῦ ἐκείνου ἀντεσῆγε. Καὶ ἔδοξεν ἑπτακαίδεκα φυλαῖς ταῖς πρώταις χρηματισάσαις ἀδικεῖν τε αὐτὸν καὶ μηκέτι χρῆναι δημαρ-

ceperunt et una modo supererat, ⟨ut⟩ populi iussum conficeret, *remisit intercessionem Trebellius.'* (Ascon. ad Cic. Corn. p. 71 Or.)

Ῥωσκίου δὲ προσελθόντος οὐδεὶς ἤκουσεν. ὁ δὲ τοῖς δακτύλοις διεσήμαινε μὴ μόνον ἀλλὰ δεύτερον αἱρεῖσθαι Πομπήιον. Ἐπὶ τούτῳ λέγεται δυσχεράναντα τὸν δῆμον τηλικοῦτον ἀνακραγεῖν, ὥστε ὑπερπετόμενον κόρακα τῆς ἀγορᾶς τυφωθῆναι καὶ καταπεσεῖν εἰς τὸν ὄχλον. (Plut. Pomp. c. 25.)

χεῖν. Μελλούσης οὖν καὶ τῆς ὀκτωκαιδεκάτης τὰ αὐτὰ ψηφιεῖσθαι, μόλις ποτὲ ὁ Τρεβέλλιος ἐσιώπησεν. (Dio c. 30, 1. 2.)

Ἰδὼν δὲ τοῦτο ὁ Ῥώσκιος φθέγξασθαι μὲν οὐδὲν ἐτόλμησε, τὴν δὲ χεῖρα ἀνατείνων δύο ἄνδρας ἐκέλευε σφᾶς ἑλέσθαι.... Ταῦτ' οὖν αὐτοῦ χειρονομοῦντος ὁ ὅμιλος μέγα καὶ ἀπειλητικὸν ἀνέκραγεν, ὥστε κόρακά τινα ὑπερπετόμενον σφῶν ἐκπλαγῆναι καὶ πεσεῖν ὥσπερ ἐμβρόντητον. (Id. ibid.)

Quin Q. Catuli, viri omnium tunc summo honore habiti,
23 qui populo contradicere non veritus est (fr. 23), irritum est factum studium; *Κατούλου δέ τινος τῶν ἀρίστων ἀνδρῶν εἰρη-*
24 *κότος 'ἐὰν ἐπὶ ταῦτα ἐκπεμφθεὶς σφαλῇ* (fr. 24), *οἷα ἐν τοιούτοις φιλεῖ γενέσθαι, τίνα ἄλλον ἀντ' αὐτοῦ πρὸς τὰ ἀναγκαιότερα εὑρήσετε;' ὁ ὅμιλος σύμπας ὥσπερ ἀπὸ συγκειμένου ἀνεβόησεν εἰπὼν 'σέ'* (Exc. e Dion. c. 37). Itaque Pompeius magno cum exercitu navium militumque et quindecim cum legatis ad bellum profectus (Dio c. 37, 1) primum quadraginta diebus mari Tyrrheno terrisque ei adiacentibus praedones profligavit atque expulit, dein Romam reversus
25, 26 summo populi gaudio exceptus est (fr. 25, 26), tum Graeciae Asiaeque maria a piratis liberavit, quorum reliquias ad Coracesium, Ciliciae promunturium, pugna navali fudit. Et plerosque eorum in deditionem acceptos in urbes terrasque forte vacuas deduxit (Dio c. 37, 3—6).

Eodem anno C. Piso consul iubente senatu legem tulit Calpurniam de ambitu 'graviorem, quam fuerat antea .... in qua praeter alias poenas pecuniaria quoque poena erat adiecta' (Ascon. ad Cornel. p. 75 et p. 68 Or. — Dio c. 38). Ac simul C. Cornelius, tribunus plebis, legem tulit, 'ne qui nisi per popu-

lum legibus solveretur', qua de lege vehementer offensis senatoribus Pisoneque consule ingentes turbae in comitiis ortae sunt; etenim consul, cum per tribunum quendam intercedere legi ferendae vellet, 'gravi convicio a populo exceptus est; et cum ille eos, *qui sibi intentabant manus* (fr. 27), prendi a lictore 27 iussisset, *fracti eius fasces sunt lapidesque* etiam ex ultima contione *in consulem iacti*' (Ascon. in Cornel. p. 57—58 Or.).

Τὰς δὲ ῥάβδους αὐτοῦ ὁ ὄχλος συνέτριψε καὶ αὐτὸν διασπάσασθαι ἐπεχείρησεν (Dio c. 39, 3).

Praeterea Cornelius legem, 'etsi nemo repugnare ausus est, multis tamen invitis tulit, ut praetores ex edictis suis perpetuis ius dicerent' (Ascon. p. 59. — Dio c. 40, 1. 2). Postremo de L. Luculli cuiusdam praetura relatum est (Dio c. 41).

Fragmenta.

17*. Qui nullo certo exilio vagabantur.

App. (Inc. 27 D, III 73 K, I 76 G, I p. 393 Br.) — Serv. ad Aen. I 2.

Comm. Hos exules vagosque in fugitivorum numero fuisse putavit Kritz, ad Lepidum se applicasse eos Debrossius ac Gerlach rati sunt. At ego malim ad piratas cum Dietschio verba referre, namque non re vera exules significari putaverim, verum tales, qui *nullo exilio* ex ipsa tantum animi inconstantia ac levitate per terras mariaque vagentur; id autem genus homines permultos fuisse inter praedones unusquisque mihi concedet.

18*. Charis. p. 98: '*Ostia* exitus fluminum in mare neutro genere semper pluraliter dicuntur. Sed si urbem significare voles, singularem potius numerum observabis, quamvis Sallustius frequenter etiam plurali numero urbem significet.'

App. (Inc. 74 D, 40 K, 82 G, I p. 546 Br.)

Comm. Eundem ad locum spectare grammaticus mihi videtur, quem exhibet Dio c. 22, 2: *ἔς τε τὰς ἄλλας τὰς ταύτῃ πόλεις καὶ ἐς αὐτὰ τὰ Ὤστια ἐσέπλεον καὶ τάς τε ναῦς ἔκαιον καὶ πάνθ' ἥρπαζον.*

19*. Cupientissimus legis.

App. (Inc. 32 D, V 15 K, IV 36 G, II p. 584 Br.) — Diomedes p. 311. — Dositheus (VII p. 426).

Comm. Populum cupientissimum fuisse legis alicuius (tribuniciae, iudicariae) coniecit Dietsch, contra Pompeium legemque Gabi-

niam significari Debrossio auctore Kritz proposuit. Etsi *populum* subaudiri posse prorsus negari nequit, tamen et per se minus est veri simile et ea re, quod non populus, sed plebs vel populares tribunive talium legum, quae his annis latae sunt, cupientissimi fuerunt; itaque et aliud subiectum et aliam adiectivi formam desiderare cogeremur. Sin ad virum aliquem haec referimus, Pompeium hunc esse sane acutissime coniectum est, neque est cur de vulgata hac opinione recedamus, quae etiam comprobatur Dionis c. 24, 5: *ὁ Πομπήιος ἐπιθυμῶν μὲν πάνυ ἄρξαι κτλ.*

20. Quibus de causis Sullam dictatorem uni sibi descendere equo, assurgere sella, caput aperire solitum.

App. (V 13 D, 16 K, 8 G, I p. 307, II p. 601 Br.) — Nonius IV p. 236. — Id. IV p. 397: 'sella surgere' e. q. s. — Arus. p. 454 *inde a* Sullam. — Serv. ad Aen. I 107 *inde a* caput. — Id. ad III 206 *eadem.* ‖ dictatorem] *Arusianus,* dictatore *H Gen. Nonii,* in victoria *ante* dictatorem *Nonius,* victorem ac dictatorem *coni. Madvig, ineptam vocis* dictatorem *dittographiam iure sustulit Kritz.* — uni sibi] sibi munia *H Gen. Nonii.* — descendere equo] equo descendere *Nonius.* — assurgere sella] *Arusianus,* sella surgere *Nonius p. 397,* de sella *idem p. 236, sed cf. Valerii Maximi illud:* 'sella adsurrexit.' — solitum] solitus *codd. Servii praeter F lib. III.*

Comm. Legit hunc locum Valerius Maximus V 2, 9: 'Dictator enim privato Pompeio et caput adaperuit et sella adsurrexit et equo descendit.'

21. Spe⟨ciem et⟩ celebritatem nominis intellego timentem.

App. (V 14 D, 17 K, 5 G, II p. 601 Br.) — Priscian. XVIII (III p. 226). speciem et celebritatem] *conieci,* spe celebritate *codd.,* saepe celebritatem *vulgo, praeter quod* spem celebritate *Gerlach,* super celebritate *Hertz.* — nominis] nostris *R O D.*

Comm. Ex oratione Gabinii pro lege sua habita verba sumpta esse consentiunt. Sed *timentem* non Pisonem esse aliumve ex nobilitate legis Gabiniae adversarium, sed ipsum Pompeium recte assecuti sunt Gerlach et Dietsch; illum enim, quamvis cupiens esset legis, tamen modestum se gessisse, quasi recusaturus fuisset imperium, notum est, cf. Dion. c. 29, 2: *πείσθητι οὖν καὶ ἐμοὶ καὶ τούτοις μηδὲ ὅτι τινὲς φθονοῦσι φοβηθῇς, ἀλλὰ καὶ δι' αὐτὸ τοῦτο μᾶλλον σπούδασον.*

22. Video ingentia dona quaesitum properantem.

App. (V 15 D, 18 K, 6 G, II p. 602 Br.) — Priscian. XVIII (III p. 226). ingentia] *D O S L, N man. sec.,* ingentem *R,* indigentia *M,* indigentiam *Gerlach et Kritz Krehlium secuti,* indigentem *coni. Hertz, illorum vero codicum memoriam secuti optimam accipiemus lectionem.* — quaesitum] quaesiturum *S, sic Hertz,* quaesituram *L,* quaesitura *N R M O D,* quae-

situm *corr. iam Krehl.* — *Post* quaesitum *antea* gratiae *ediderunt, e grammatici verbis* 'τὸ πορίζειν graece' *ortum.*

Comm. Gabinianae orationi hoc quoque fragmentum attribuendum esse vel eo, quod hoc velut fr. 21 directa oratione compositum est, elicias. Qui ingentia dona sibi parasse arguitur, ei corruptionis crimen obicitur; itaque significat Gabinius hominem quendam ex adversariis, qui pretio compositus legi Gabiniae restitit; Trebellius igitur aut Roscius dictus esse videtur.

23*. Sane bonus ea tempestate contra pericula et ambitionem.

App. (Inc. 33 D, V 19 K, I 38 G, I p. 382 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. I 195.

Comm. Iure Kritz defendit Catulum ita appellatum esse, quippe qui unus fortiter et periculo, quod cuique legis adversario imminere videbatur, et ambitioni Pompeii occurreret; ac bene cum Sallustii de Catulo optimati opinione convenit, quod *ea* tantum *tempestate* Catulum bonum fortemve appellat.

24. Nam si in Pompeio quid humani evenisset.

App. (V 16 D, 20 K, 7 G, II p. 602 Br.) — Arus. p. 470. ‖ Pompeio] Pompeo *N.*

25*. Rebus supra vota fluentibus.

App. (Inc. 101 D, 70 K, III 96 G, II p. 480 Br.) — Serv. ad Aen. II 169.

Comm. Haud inepte quadrare locus mihi videtur ad res praeclare a Pompeio gestas, cf. Plut. Pomp. c. 27: *ἐποίει δὲ τὴν χαρὰν τὸ παρ' ἐλπίδα τῆς μεταβολῆς τάχος.*

26*. Eo redeunte domum, salutatum apud aedem Bellonae.

App. (Inc. 99 D, 68 K, 63 G.) — Schol. Veron. ad Verg. Aen. V 80 (p. 94 K). — Sallustius in di *legit Maius,* in hi⟨storiis⟩ *vel* in hi⟨st. V⟩ *corrigendum esse reor.* ‖ salutatum] *conieci,* salutaretur *V,* salutaret *Gerlach.*

Comm. Pompeio ex Hispania redeunti plebem obviam ivisse, hanc vero illum in contione ad aedem Bellonae habita dein allocutum esse (cf. fr. IV 44—47) coniecit Dietsch. At falso de contione illa fragmentum interpretatus est, etenim etsi eam ad Bellonae aedem fuisse concedas (neque iure quidem concedes), certe non eodem tempore et rediit et ad populum locutus est Pompeius: scilicet orationem habuit iam consul designatus. Melius vero res fragmento illustrata ad annum 67 pertinere videtur, cum victis maris occidentalis praedonibus Romam Pompeius rediit; ac sane tunc a populo summo gaudio exceptus est atque salutatus, cf. Plut.

Pomp. 27: *αἰσθόμενοι δὲ πάντες ἐξεχύθησαν εἰς τὴν ὁδόν, ὥσπερ οὐ πρὸ ἡμερῶν ὀλίγων ἐκπέμψαντες αὐτόν.*

27*. Manum in os intendens.

App. (*Deest in editionibus.*) — Placidus gloss. p. 55 (*ed. Deuerling*).

Comm. Pisoni consuli tale quid accidisse Asconii loco supra allato scimus; huc igitur fragmentum referendum videtur, licet nesciamus, quis adeo consuli minatus sit.

INCERTAE SEDIS FRAGMENTA.

Fragmenta, quorum et liber et sententia ignota est, quodam fere modo distinxi, ita ut primum tenere locum ea fragmenta iuberem, quibus de *bellica* aliqua *re* agitur, fr. 1—10, dein subicerem fragmenta ad *res navales* spectantia, fr. 11—13. Tertio extant loco ea, quae ad *res Romae gestas* referenda videntur, fr. 14—16. At etiam maior est eorum numerus, quae omnino explicatione quamvis tenui carent; ex his, quae qualem ad rem spectent vel quomodo intelligenda supplendave sint, etsi obscurum est, tamen inesse sententiam liquet, sunt fr. 17—28, postremum dein locum obtinent *parvissima fragmenta* singulis pleraque vocibus composita fr. 29—38. Utrumque autem fragmentorum hoc genus secundum auctores distribui.

1. Ex parte cohortium praepropere instructa stationes locatae pro castris.

App. (Inc. 43 D, 9 K, III 74 G, II p. 326 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. XII 661. ‖ ex] *F, et T,* et pars *coni. Thilo.* — cohortium] cohortum *F.* — praepropere] praecipere *F,* pro¦opere *T (una littera evanuit),* propere *vel* pro opere *coni. Thilo,* praepropere *malui, ut vestigia F codicis sequerer,* pro tempore *coni. Dietsch,* praecipue *Putsch.* — instructa] instructa et *FT,* et *removi,* instructae *Putsch.*

2. In secunda cohortis festinas composuerat.

App. (Inc. 44 D, 10 K, I 130 G, II p. 510 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. IX 486. ‖ in secunda] *scil.* historia, *ubi libri indicium inesse coniecit P. Jürges p. 7,* in secundo *coni. Thilo, uterque argumento non allato.*

3. Profectus quidam Ligus ad requisita naturae.

App. (Inc. 54 D, 20 K, III 25 G, II p. 187 Br.) — Pompei. comm. Donat. (V p. 293). — Quintilianus inst. VIII 6, 59: 'ad requisita naturae.' ‖ ad requisita naturae] requisitam naturam *P Pompeii.* — profectus] perfectus *P.*

4. Regressi ad faciliores ictus loco cedebant.

App. (Inc. 56 D, 22 K, 25 G, II p. 550 Br.) — Serv. ad Aen. IX 746: 'genus feriendi Gallicanum Sallustius' e. q. s. ‖ loco cedebant] locos quaerebant *Dietsch.*

Comm. Forsitan hoc quidem e Servii verbis conicere liceat, de pugna cum Gallis facta hoc fragmento agi, possisque ad Pompeii iter per Gallias in Hispaniam factum vel ad pugnam, qua Crixus cum Gallis Germanisque interiit, referre: at tamen valde mihi dubium videtur, utrum tantum moris pugnandi illius exemplum attulerit, an coniecturae suae, Gallicanum id esse genus feriendi, comprobandae causa haec laudaverit Servius.

5. Pactione amisso Publio legato.

App. (Inc. 84 D, 51 K, 3 G, II p. 480 Br.) — Donat. ad Terent. Phorm. I 2, 91.

Comm. Publii legati nomine neminem, nisi P. Clodium, Luculli legatum, significari potuisse iusto audacius editores statuerunt.

6. Hostes aut oppressi aut dilapsi forent.

App. (Inc. 52 D, 18 K, 11 G, II p. 552 Br.) — Isidor. orig. XVIII 2, 7. ‖ *Prius* aut *om. vulgo in Sall. edd.*

7. Virtuti satis credebant.

App. (Inc. 47 D, 13 K, 74 G.) — Serv. ad Bucol. II 17.

8. Neu quis miles neve pro milite.

App. (Inc. 49 D, 15 K, 42 G, II p. 159 Br.) — Serv. ad Aen. II 157: 'plerumque enim evocati dicuntur, et non sunt milites, sed pro milite, unde Sallustius' e. q. s.

9. Ut res magis quam verba agerentur, liberos parentisque in muris locaverant.

App. (Inc. 39 D, 5 K, III 59 G, II p. 101 Br.) — Schol. ad Stat. Theb. X 573. ‖ agerentur] *codd.,* gererentur *ed. Lindenbrog.* — res magis quam verba] re magis quam verbo *coni. Klotz.*

10. Non repugnantibus modo, sed ne deditis quidem ⟨armis bellum excitare metuentibus⟩.

App. (Inc. 60 D, 26 K, I 21 G, I p. 303 Br.) — Donat. ad Terent. Phorm. I 2, 4, 8 (*deest in O*). ‖ repugnantibus] ne pugnantibus *D.* — deditis] dedit iis *D.* — *Postrema verba litteris* a. b. e. m. *abbreviat D, ed. pr.,* a. b. c. m. *vulgo,* atrocis belli clades metuentibus *suppl. Debrossius,* abstinuerunt manus *Klotz,* approbantibus bellandi consilium mittit *Dietsch. Verum restituere cum nequeamus, veri similia proponere satis habeamus. Ac primum* deditis *nullo modo respondere potest voci* repugnantibus, *desideratur autem verbum aliquod, quo* repugnandi *notio etiam augetur; itaque substantivum alterum quaerendum est ad ablativum absolutum* deditis

pertinens; atque quoniam ex litteris traditis a *participio illi proximum est,* deditis armis *facillimum videtur supplementum. Praeterea cum figura* non ... modo *vocibus* ne ... quidem *continuata sit atque αὔξησιν quandam, ut ait Donatus, verbi repugnandi requirere cogamur, negativum aliquod verbum inesse tribus litteris reliquis necesse est; quare* bellum excitare metuentibus *conicio, quod satis facere non modo librorum memoriae, sed etiam sententiae postulatae sermonique Sallustiano mihi videtur.*

11. Dorso fluctus trieris adaequata.

App. (*Deest in editionibus.*) — Glossa Vatic. (*ed. A. Maius class. auct. VII p. 584*). ‖ adaequata] adaequatum *ed. Ang. Maius, corr. Schmitz.*

Comm. Ad Mithridatis naufragium verba refert Jürges p. 62 tertioque inserit libro, at illa in re Mithridatis navis minime *adaequatam fluctui* se praebuit. Sed quovis libro, cum de re maritima agatur, haec verba legi potuisse non est, quod moneam.

12. Et parvis modo velorum alis demissis.

App. (*Deest in editionibus.*) — Servius (schol. Dan.) ad Aen. III 520. ‖ parvis] paullum *coni. Hagen.* — demissis] remissis *F, correxi, cum* remittere vela *ineptum sit, cf. fr. IV 3.*

13. Impediebant iussa nautarum.

App. (Inc. 57 D, 23 K, III 51 G, II p. 105 Br.) — Serv. ad Aen. III 128: 'celeuma autem quasi praeceptum, unde Sallustius ait' e. q. s.

Comm. E Servii interpretatione sequitur *iussa nautarum* idem esse atque κέλευμα Graecorum, h. e. cantus clamoresque nautarum, quibus in remigando sese adhortabantur; hoc vero Sallustius verbo tenus e Graeco transtulit.

14. Cum inferior omni via grassaretur.

App. (Inc. 96 D, 65 K, 28 G, I p. 509 Br.) — Macrob. exc. Bob. (V p. 652) *et* exc. Paris. (V p. 626). ‖ cum] *codd.,* dum *vulgo praeter Gerlachium.* — omni via] omni vi *coni. Douza.*

15. Atque ipse cultu rei.

App. (Inc. 81 D, 47 K, 35 G, II p. 506 Br.) — Porphyr. ad Horat. sat. II 2, 66. ‖ cultu] *M, W. Meyer,* cultus *vulgo.*

16. Genua patrum advolvebantur.

App. (Inc. 92 D, 60 K, 37 G, II p. 317 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. I 301. — Arusianus p. 514: 'volutans suis genibus. Verg. Aen. X genua amplectens genibusque volutans haerebat, genua advolvebantur idem.' *Alterum Arusiani exemplum Sallustii esse recte monuit Keil, sane turbatus est in Arusiani codice exemplorum lemmatumque ordo.* ‖ patrum] *om. Arusianus.* — advolvebantur] *Arusianus, cf. Heges. V 49, 4:* 'ad genua singulorum advolvebantur', advolvuntur *schol. Verg., vulgo.*

17. Rumore primo.

App. (Inc. 9 D, I 109 K, I 119 G, I p. 462, II p. 628 Br.) — Charis. p. 216.

18. Admodum vanus.

App. (*Deest in editionibus.*) — Sergii expl. in Donat. (IV p. 559).

19. Serv. ad Aen. V 626: '(Orion) qui oritur, ut Sallustius dicit, *iuxta solis aestivi pulsum.*'

App. (Inc. 100 D, 69 K, 58 G, I p. 568 Br.)

20. Soleas festinate.

App. (Inc. 105 D, 74 K, 40 G, II p. 494 Br.) — Serv. (schol. Dan.) ad Aen. XII 425. ‖ soleas] solas *F, corr. Mascivius.* — festinate] festinare *ex Mascivii coniectura Kritz.*

Comm. Ad convivii alicuius narrationem pertinere videntur verba; possis quoque cogitare de Cossinio a Spartaco in balneis subito oppresso.

21. Bene posita urbs.

App. (*Deest in editionibus.*) — Schol. Bern. ad Georg. III 13.

22. Imbecilla est fortitudo, dum pendet.

App. (Inc. 103 D, 72 K, 47 G, II p. 142 Br.) — Schol. ad Stat. Theb. V 384. — *Verba, quae omnino sensu carent, corrupta esse putaverim, quamquam ita ea exhibere etiam M et F libros rogatus a me inspectis codicibus scripsit benigne mihi C. Weyman.*

23. Nihil socordia claudicabat.

App. (Inc. 107 D, 76 K, 2 G, II p. 118 Br.) — Donat. ad Terent. Eun. I 2, 84: 'Claudi aut claudicare. Salustius . . . [fr. III 48, 25] et: nihil' e. q. s. ‖ socordia] secordiae *O.* — claudicabat] *O,* claudebat *vulgo, sed utriusque usus exempla e Sallustio scholiasta attulisse mihi videtur.*

24. Quae pacta in conventione non praestitissent.

App. (Inc. 58 D, 24 K, 22 G, I p. 401 Br.) — Donat. ad Terent. Eun. III 2, 13.

25. Atque ea cogentis, non coactos, scelestos magis quam miseros †obstringi.

App. (Inc. 95 D, 64 K, IV 22 G, I p. 314, II p. 315 Br.) — Donat. ad Terent. Hecyr. IV 1, 21. ‖ obstringi] *O,* obstruis *D,* distringi *vulgo, locus corruptus mihi videtur.*

Comm. 'Verba videntur fuisse reorum se ipsos excusantium' adnotavit Jürges p. 5; immo accusantis sunt.

26. Ad Iovis mandem † iram.

App. (Inc. 106 D, 75 K, 29 G, I p. 571, II p. 37 Br.) — Donat. ad Terent. Adelph. IV 2, 43. ‖ Iovis] ionem *O, om. D,* Iovis *vulgo, quod legit certe Donatus.* — mandem iram] mande iram *D,* mandeuani *O,* manaevani *ed. pr.,* mandem nostra *vulgo; verba sanata esse haud contenderim.*

27. ..... publicum studiis corruperant me veri . u ... unum p ... †

App. (*Deest in editionibus.*) — Schol. Bemb. ad Haut. tim. III 1, 81 (*ed. Umpfenbach Herm. II p. 375*): 'vera, utilia, ut Sall. . . .' *Post vocem* Sall. *octo litteras desiderari, inter* veri *atque* u *unam, dein inter* u *atque* unum *tres, in fine tres deesse docuit Umpfenbach. — In initio possis supplere* ⟨datis in⟩ publicum studiis, *reliqua emendare desperavi.*

Comm. Priore fragmenti parte commoveri possimus, ut in librum primum et ad auctoris prooemium haec referamus, at altera parte tam corrupta mancaque cohibendum potius est iudicium.

28. At cum mandatum credat.

App. (*Deest in editionibus.*) — Glossa Vatic. (*ed. A. Maius auct. class. VII* p *567*). ‖ at cum mandatum] adcommodatum mandatum *ed. Maius, correxi sublata dittographia.*

29. Confestim.

App. (Inc. 98 D, 67 K, 8 G, II p. 514 Br.) — Charis. p. 196: 'confestim . . . . Sallustius libro fessit ut nuntiis confestim lugubribus, ubi Statilius Maximus ordine inquit et sine intermissione' *sic N.*

Comm. Quae Statilius Maximus adnotavit, ad Sallustium spectare nequeunt, etenim ille Ciceronis opera edidit commentatusque est et libellum 'de singularibus apud Ciceronem quoque positis' composuit, praeterea etiam de Catone commentarios scripsit, de Sallustio vero nusquam, quoad scimus, egit. Ex utroque autem Statilii commentario Iulius Romanus multa excerpserat, quae in Charisii arte nunc legimus: itaque hoc quoque loco exemplum, quod quidem Statilius interpretatus est, Sallustii non esse, sed Ciceronis vel Catonis concludendum nobis est. Ac Keil excidisse hoc Ciceronis exemplum ante verba *ubi Statilius* ratus est (velut Cic. de inv. II 12, 42 sive Phil. V 12, 31). Equidem ego noluerim duas continuo lacunas statuere, namque post vocem *libro* et ante ipsum exemplum lacunam esse, qua libri numerus excidit et ex qua codicis lectio *fessit* procul dubio corrupta orta est, constat. Eadem vero hac lacuna etiam Sallustii verba exhausta esse opinor, id autem enuntiatum, quod Statilius interpretatus est, minime Sallustii, sed alterius esse scriptoris; atque Catoni idem attribuerim, quippe quod e rerum scriptore potius quam ex oratore oriundum esse videatur. Quae si ita sunt, e Charisio nil discimus, nisi voce *confestim* Sallustium usum esse.

30. Luces.

App. (Inc. 116 D, 88 K, 69 G, II p. 398 Br.) — Serv. comm. in Donat. p. 432.

31. Hic proconsule.

App. (*Deest in editionibus.*) — Probus inst. p. 126.

32†. Cuncta potiendi.

App. (Inc. 118 D, 91 K, 72 G.) — Arus. p. 498: Sal. Iug. *N; fortasse* IUG *ex* IV *corruptum est, ita ut quarto historiarum libro fragmentum attribuendum sit.*

33. Sciens horum.

App. (II 35 G.) — Arus. p. 509.

Comm. Iniuria Kritz verba ab Arusiano laudata e fragmentis sustulit; neque inest iis aliquid, cur a Sallustio ea abiudicemus, neque pro lemmate Arusiani ea habenda sunt, cum ipsum lemma adsit.

34. Duci probare.

App. (Inc. 110 D, 93 K, 81 G.) — Quintil. inst. IX 3, 12.

35. Non poeniturum.

App. (Inc. 108 D, 77 K, 5 G, I p. 401 Br.) — Quintil. ibid.

36. Visuros.

App. (Inc. 109 D, 92 K, 80 G.) — Quintil. ibid.: 'unde eo usque processum est, ut .... visuros ad videndum missos idem auctor dixerit.'

37. Serv. ad Aen. II 433: '(vices) pugnas, quia per vicissitudinem pugnabatur, ut Sallustius docet.'

App. (Inc. 89 K, 59 G, II p. 550 Br.) — *per vices* aliquando pugnatum esse Sallustius forsitan dixerit.

38. Serv. ad Georg. I 43: 'ut primo mense veris novum dicatur ver, secundo adultum, tertio praeceps, sicut etiam Sallustius dicit ubique.'

App. (Inc. 112 D, 79 K, 61 G, I p. 589, II p. 544 et 553 Br.) — *Accedit* Serv. Aen. I 430: '(aestate nova) et bene nova, quia est et adulta et praeceps secundum Sallustium.'

FRAGMENTA DUBIA VEL FALSA.

1. [*Iugurth. c. 54*] Puberes omnis interfici iubet.

App. (*Locus deest in editionibus.*) — Serv. ad Aen. V 546. — Schol. ad Stat. Theb. IV 112 (*extat in solis T et B*). — Probus cath. p. 19: 'quam declinationem secutus Sallustius in Iugurtha: puberes interfecit.'

Comm. Verba a Servio laudata Linker pro novo historiarum Sallustianarum fragmento habuit, sed loco alteri Sallustii Iug. c. 54, 6 adeo videntur esse similia, ut ad Iugurtham utrumque spectare putem, cf. Iug. l. l.: 'multa castella et oppida temere munita aut sine praesidio capit incenditque, *puberes interfici iubet,* alia omnia militum praedam esse.' Quod confirmatur collato Probo, etenim quin tres grammatici unum eundemque secuti sint fontem (quem Aquilam fuisse e Probo concludas), non dubito; eundem igitur Sallustii locum exempli loco usurpatum esse sequitur. Ceterum quis rectius verba Sallustii tradiderit, utrum *omnis* Parisino duce omittamus, an *iubet* cum Probo tollamus, hic nondum iudicaverim; at animadverte etiam in Parisino et aliis quibusdam libris pro *interfici* legi *interficit*, quocum conferas velim Probi memoriam *interfecit.*

2. [*Iug. c. 34*] Volgus amat fieri.

App. (Inc. 111 D, 78 K, 6 G.) — Quintil. IX 3, 17. ‖ volgus] vulgo *coni. Riemann.*

Comm. Non ex historiis exemplum promptum esse, sed ad Iug. c. 34, 1 spectare Quintilianum acute primus intellexit Dietsch; cf.: 'ac tametsi multitudo, quae in contione aderat, vehementer accensa terrebat eum clamore, voltu, saepe impetu atque aliis omnibus, *quae ira fieri amat,* vicit tamen impudentia.'

3. [*Iug. c. 18—19*] Maurique, vanum genus, ut alia Africae, contendebant antipodas ultra Aethiopiam cultu Persarum iustos et egregios agere.

App. (I 63 D, K, 84 G, I p. 455 Br.) — Prisc. XIV (III p. 46/47): 'ultra praepositio apud Sallustium in Iugurthino' e. q. s. — Nonius IV p. 416: 'vanum est mendax .... Sallustius in Iugurthae bello: Mauri

vanum genus.' — Tertull. de anim. c. 20: 'Sallustius vanos Mauros et feroces Dalmatas pulsat.'

Comm. Verba haece historiarum fragmentis vulgo inserta in Iugurthino se legisse uterque grammaticus testatur, sed utriusque simul in codicibus corruptum esse libri indicium, nisi mira credamus, existimare non licet neque eum 'antiquum grammaticae traditionis errorem' putandum esse iudico — quod arbitratus est L. Müller —, cum minime ex eodem fonte grammaticos hausisse docet ipsa ea res, quam ob rem verba afferunt; uterque igitur vel utriusque auctor grammaticus re vera in Iugurthino haece legerunt. Neque omnino rei hoc exemplo a Sallustio narratae locus est in historiis. An ubi Africam attingeret? Estne alterum fragmentum, quo de Africae situ eum copiosius egisse doceatur? Noli vero cum Kritzio Plutarchi cap. 9 afferre, quippe quod e Strabone, non e Sallustio haustum esse Otto demonstravit (cf. Proleg. p. 30). — Contra egisse de Africae incolis Sallustium scimus Iug. c. 18 et 19, ergo huc referenda erunt grammaticorum testimonia. Et viden, velut nostro loco homines *cultu Persarum*, ita illic Herculis comites commemorari et affinitate quadam cum Africae incolis consociari, sicut hic *Mauros* ipsos, ita illic libros Punicos testes narrationis ab auctore afferri. Ceterum bonus videtur verbis his locus Iug. c. 19, 5: 'super Numidiam Gaetulos accepimus partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare, post eos Aethiopas esse, dehinc loca exusta solis ardoribus', iam sequi iubeo 'Maurique vanum genus' e. q. s. — Accedit, quod his ipsis capitibus Iug. c. 18 et 19 bis gravius discrepat et codicum nostrorum et grammaticorum (Arusiani ac Diomedis) memoria: tertiam igitur discrepantiam hic comprehendimus etiam graviorem. Neque vero lacunam statui corrigique librorum lectionem iubeam; satis habeamus constituere, ut saepius, ita etiam his capitibus alia primi saeculi grammaticos, alia tertii quartive viros doctos editoresque legisse in Sallustio.

4. [*Vibii Crispi*]

Nónne tu scis, sí quas aedes ígnis cepit ácriter,
Haúd facilest defénsu, quine cómburantur próximae.

App. (III 32 D, 37 K, IV 48 G, II p. 300 Br.) — Charis. p. 195 (cf. p. 609): 'Acriter, Crispus III.' ‖ nonne tu scis] ñ tuscis *N*, non tu scis *vulgo*, nonne *Keil*. — quas] $\overset{a}{q}$ *N*. — facilest] facile sunt *N*, *corr. Keil*, faciles *vulgo e Wagneri coniectura*. — quine] *N Keil*, quin et *vulgo*.

Comm. Versibus restitutis iure abiudicavit exemplum a Sallustio Keil. Qui cum Sallustii verba nomenque poetae alicuius post *Crispus III* excidisse putaret, equidem malui Vibii Crispi esse versus, etenim Sallustium Crispi nomine a Charisii citari sane inauditum est. Ceterum hac de causa de genuitate dubitaverat iam Dietsch.

5. [*Catonis?*] † fessit, ut nuntiis confestim lugubribus.

App. (Hist. fr. inc. 98 D, 67 K, 8 G, II p. 514 Br.) — Charis. p. 196.

Comm. Verba minime Sallustii, sed e Catone (vel fortasse Cicerone) sumpta esse supra disputavi fr. inc. 29.

6. [*Σαλλούστιος Graeculus quidam*] Stephan. Byzant. (p. 32 ed. Meineke): *Ἄξιλις, πόλις Λιβύης, οἱ δὲ περὶ Σαλλούστιον οὐ πόλιν ἀλλὰ τόπον φασὶ καὶ ποταμὸν εἶναι.*

App. (Hist. fr. I 64 D, 121 K, inc. 87 G.)

Comm. Ad res a Sertorio in Mauretania gestas Kritz locum rettulit. At Sallustium Romanorum scriptorem a Stephano commemorari credi prorsus nequit; neque ullo historiarum loco Libyae regiones dictae descriptaeve sunt neque vero, ubi de Mauretanorum bello Sallustius ageret. Itaque alterum Sallustium eumque Graecum a geographo appellatum esse existimo, vel *σοφιστὴν* vel *φιλόσοφον* vel *Μοψεάτην ἰατρόν* (cf. Suid. s. n.): et hunc quidem Plinius XXXIII 80 laudat ac saepius exscripsisse videtur.

APPENDICES.

I.

De locis falso antea pro fragmentis historiarum Sallustianarum habitis.

Cum numerum fragmentorum, quae in editionibus viri docti collegerunt, percensemus, nonnulla reperimus fuisse in unaquaque Sallustii historiarum editione fragmenta, quae postea ab altero editore abiecta sunt, dein rursus auctum esse fragmentorum numerum repertis novis locis. Sed multa, quae nova habuerunt Gerlach, Kritz, Dietsch novis e subsidiis eruta, paucaque, quae nova accesserunt hac in editione, ea seorsum tractare non poscimur, sane extant supra suo loco in fragmentorum editione; de iis vero locis, quos inter Sallustii historiarum fragmenta numerandos esse priores editores iudicarunt, quos tamen supra tacite omisi, pauca me disserere necesse est. Atque ut ea sileam, quae iure ex antiquioribus atque e Gerlachii editione Kritz removit, etiam e Kritzii fragmentorum collectione Dietsch iure complura sustulit haece:

Fr. V 6 K: 'Turbinum motus vagus est et disiectus et, uti Sallustii verbis utar, vorticosus' (*Seneca, nat. quaest. VII 8*). His verbis nil nisi ipsam vocem *verticosus* Seneca Sallustianam declarasse videtur, itaque Senecae locus inter testimonia fragmenti IV 28 referendus est.

Inc. 81 K: 'aequore et terra' (*Donat. ad Terent. Phorm. II 1, 13*); spectat ad Lepidi orationem, vide fr. I 55, 4.

Inc. 82 K: 'Cornua occanuerunt' (*Serv. ad Georg. II 384*); pertinet ad fr. I 135.

Inc. 84 K: 'ne qua contumelia' (*Donat. ad Ter. Eun. IV 7, 1*); non ad historias, sed ad Iug. c. 58, 5 spectat Donatus.

Inc. 87 K: 'aquis hiemantibus' (*Seneca ep. 114*); dictus est locus Iug. c. 37, 4.

Inc. 94: 'alis alibi stantes ceciderunt, omnes tamen advorsis vulneribus conciderunt' (*Diomed. p. 333, Charis. p. 159*). Grammaticos — eodem scilicet fonte, ut saepius, usos — nihil nisi Catil. c. 61, 3 in animo habuisse vel Kritz suspicatus est; atque discrepare et hoc loco et antecedente gravius codicum et grammaticorum memoriam Sallustianam non est, cur miremur: sane idem etiam aliis locis nobis animadvertendum fuit (cf. fr. dub. 1—3).

Etiam e Dietschii historiarum editione sat multa removenda esse fragmenta codicum meliorum imprimis lectionibus nunc evulgatis edocti sumus. Atque primum quidem ii loci, qui non propria fragmenta existimandi sunt, sed inter testimonia aliorum locorum aut Iugurthae aut historiarum referendi, hi fere sunt:

Inc. 34 D: 'Neque animo neque lingua satis compotem' (*Donat. ad Terent. Adelph. III 2, 12*); iure iam Kritz hunc locum ad fr. I 136 (88 K) rettulit, falsa scilicet lectione Dietsch nisus est.

Inc. 48 D (14 K): 'tergis vinciebant' (*Serv. ad Aen. IV 412*) pertinet ad fr. IV 30, ubi apud alterum loci testem Arusianum falso antea virgis edebatur.

Inc. 73 D (39 K): Tertull. de an. 'Sallustius vanos Mauros et feroces Dalmatas pulsat'; *feroces Dalmatae* non pro peculiari fragmento habendum, sed potius cum fr. II 39 'genus armis ferox' e. q. s. componendum esse ibidem exposui.

Inc. 113 D (80 K): 'sanctus alia' ex *Servio ad Aen. III 594* editum est, quod ad fr. I 116 referendum esse vel ipse Dietsch intellexit.

Inc. 115 D (86 K): 'senecta iam aetate' (*Serv. ad Aen. XI 165*); spectat ad Cottae orationis locum, cf. fr. II 47, 2.

Inc. 117 D (90 K): 'aliaque propter' ex *Arusiano p. 502* laudarunt editores; at ibi in *N* legimus: 'properat illam rem .... Sal. Iug.: aliaque properare', quod ad Iug. c. 37 pertinere patet.

Deinde omnino e Sallustio removendi mihi videntur hi loci:

Inc. 69 D (35 K). Prisc. part. XII vers. Aen. (III p. 514): '*versus* quoque suppositum localibus nominibus adverbium esse

invenitur, ut Italiam versus, Galliam versus, Hispaniam versus .... Sallustius tamen etiam praepositionem ei anteposuit in Catilinario' [cap. 56, 4]. — Verba *Hispaniam versus,* quae post locum e Catilinario laudatum in codicibus leguntur, pro fragmento historiarum habita quidem sunt, sed recte ea, quippe quae inepta eo loco essent contrariaque ipsius Prisciani explicationi, transposuit Hertz.

Inc. 119 D: *Arusianus p. 451,* postquam exemplum Sallustii attulit, ita habet 'id est adversus illi nobilitatis' (sic *N*); inde e Lindemanni coniectura 'idem: adversus ille nobilitatis' scriptum est, quae Gerlach et Dietsch Sallustii verba esse putabant. Cum vero aperta sit ante *id est* lacuna maior, utrum ea, quae secuntur, Arusiani scholion an novum scriptoris alicuius exemplum sint, incertissimum est.

Fr. I 34 D: Ex *scholio ad Luc. I 175:* 'qui poterat, plus iuris habere videbatur' velut Sallustianum fragmentum a Gerlachio ac Dietschio editum est; iam vero Kritz cautius egerat, qui his verbis non nisi ad fr. I 18 spectari suspicabatur. At illa in libris bonis adnotationum ad Lucanum illarum omnino desunt atque hariolationes tantum novissimi alicuius codicis — Guelferbytani apud Weberum — putanda sunt.

Inc. 86 (54 K): 'Pyrrhus interemptus fuit in aede Dianae a quadam muliere Trogo, Sallustio et Lucceio auctoribus.'

Inc. 87 (55 K): 'Staphylus primum docuit vinum aqua misceri. C. Plinius et Sallustius auctores sunt.'

Utrumque exemplum a *Caecilio* illo *Apuleio* 'de orthographia' laudatum nobis nunc abiciendum est, cum tractatus ille de orthographia scriptus falsario novicio — scilicet Ludovico Caelio Rhodogino, professori Ferrarensi — debetur, cf. Madvig *opusc. I p. 1,* Crusius *Philol. 47 p. 434.*

II.

De orthographia Sallustiana.

Sallustii historias edituros haud exigua agitat cura quaerentes, quanam verborum sonorumque forma Sallustius edendus sit; neque supervacuum est in hasce res inquirere: scilicet qui

de sermone Sallustiano scripserunt scribentque, non ad fontes redire, sed editiones tantum evolvere soliti sunt, editores igitur oportet quam accuratissime legem ac rationem scribendi constituere. Sane absint ab hac quidem editione, quod iam monui, omnes de sermone Sallustiano quaestiones; verum aliud est de orthographia Sallustiana agere, aliud linguam ingeniumque scriptoris exponere, quamquam nonnumquam ad formarum quarundam historiam nos descendere nemo erit, qui miretur.

Atque priores et historiarum et bellorum editores omnes antiquae rusticaeque linguae speciem Sallustio dederunt; scilicet cum archaismos eum semper appetiisse sibi fingerent, etiam formas verborum vetustiores ei assignarunt, qua in re nisi sane sunt locis nonnullis, ubi in codicibus antiquiores formae servatas esse putabant. Atque omnium scriptorum memoriam Graecorum Latinorumque paulatim immutatam esse, novicias formas in textum irrepsisse, vetustiores easque obscuriores renovatas esse quis est, quin sciat? Neque ego Sallustium hanc saeculorum labentium vim effugisse per se contenderim, quamquam historiarum textus ab Aemilio Aspero editus est, viro memoriae sane tenacissimo. At Sallustii formas etiam in contrarium mutari potuisse mihi concedas velim, modo reputes Frontoniani aevi viros doctos antiquitatis amantissimos Sallustiique studiosos ea, quae vulgatis formis in eo scripta invenirent, vetustiora reddere maluisse, eadem scilicet ex opinione, qua nostrates commoti editores Plautinae Catonisve aetatis formas Sallustio vindicarunt.

Si igitur his de rebus pauca nobis accuratius disserenda sunt — et de historiis tantum nunc quidem acturus sum —, praesto sunt primum Aurelianense, Berolinense, Vaticanum historiarum fragmenta*) ex eodem Sallustii codice oriunda, quae quamvis quarto quintove saeculo scripta sint, memoriam etiam multo vetustiorem praebent, dein codex Vaticanus 3864, quo orationes epistulaeque ex historiis excerptae continentur; accedit Parisinus 500, optimus eorum liber, qui Catilinarium ac Iugurthinum praebent, etsi hunc grammaticae traditionis paulo posterioris testem esse diversamque ab historiis exhibere

*) De scribendi ratione his fragmentis adhibita egit nuper Hauler, *stud. Vindobon. IX p. 36.*

memoriam constat. Quae a grammaticis scriptoribusque laudata sunt historiarum fragmenta, eorum genuina scribendi ratio rarissime tantum investigari potest, quippe quae a grammaticorum longa illa serie, per quorum manus calamosque inde ab Aspero ad medium aevum fragmenta transierunt, plane obscurata sit.

Sed quanam nos uti oporteat scribendi ratione quaeritur! Atque plerumque acquiescendum nobis esse in vulgata illa orthographia per secundi saeculi viros doctos constituta iure suo Ritschl ac Brambach defenderunt*); attamen ab hac secundi saeculi memoria profecti etiam altius ad ipsius scriptoris aetatem ascendere studeamus moneo atque hortor, illorumque temporum scribendi rationem ex inscriptionibus praecipue cognitam restituamus, illis scilicet, quas modo laudavi, nisi opibus quamvis tenuibus tamen haud spernendis; at ipsius auctoris orthographia qualis fuerit ac quantopere ab aequalium recesserit, rarissime vel numquam fere detegere nobis continget. Sallustii igitur historias edituris inquirendum est, sintne in reliquiis nostris vestigia, in quibus aevi Sallustiani scribendi rationem agnoscamus, an desint; sin deesse ea iudicandum est, cautius esse putaverim vulgatas omnibusque fere in scriptoribus receptas formas sequi; minime vero e libidine nostra archaismos fingere Sallustioque vindicare nobis licet. Ceterum ad aetatis Sallustianae scribendi rationem restituendam complures adsunt inscriptiones; tempore quidem proxime accedunt historiae ad legem Iuliam municipalem**) anno 45 latam; sed scriptores paululum provectiores fuisse lapidibus etiam hisce in rebus putandi sunt: medium igitur fere locum historiae tenere videntur inter Caesaris atque Augustea tempora.

Sed nimis iustoque amplius praefatum me esse non deerunt, qui conclament; itaque ad singula nunc accedamus.

1. De u vocali in superlativis similibusque formis recte adhibendo.

Editores nostrates semper formas in *-umus* exeuntes adhibuerunt ʻnec umquam formis per i scriptis' Sallustium usum

---

*) Cf. Schuchardt, *Vulgärlatein* I p. 16: ʻMan verzichte bei der Herausgabe römischer Schriftsteller darauf, die individuelle Orthographie herstellen zu wollen.'

**) C. I. L. I 206, Schneider, *exempla nr. 312.*

esse grammaticarii, velut Constans, *de sermone Sallustiano p. 1*, affirmarunt. Atque usque ad Quintiliani fere aetatem medium quendam sonum a Romanis expressum esse, nostrum ü, Graecorum *υ*, e Quintil. I 4, 8 sequitur, licet in vulgari, quae dicitur, latinitate is sonus multo antea i redditus sit. Quem medium sonum, cum signum eius deesset Romanis, inde a Caesare littera i expressum esse e Quintiliano I 7, 21 discimus*), quod comprobatur collatis et Pompeianis inscriptionibus — in quibus bis *maxumam*, bis *optumus*, ubique vero alias formas superlativi in *-imus* exeuntes reperimus — et monumento Ancyrano, in quo semper *imus* scriptum est (etiam *finitimae* in eodem legimus). Contra Caesarianae Sullanaeque aetatis inscriptiones omnes fere *-umus* exhibent: Sallustius igitur, si aequalium lapicidarum consuetudinem sequebatur, hoc, si Caesarem ipsum imitari volebat, illud scribere potuit. Sed in fragmentis palimpsestis octies *-imus*, ter *-umus* legimus, velut *proxumi* in Aurelianensi fr. II 98 D, ⟨*plu*⟩*rumi* atque ⟨*finit*⟩*umorum* in Vaticano fr. III 98 A et D; contra *velocissimum* fr. II 87 A, *maximo* fr. II 87 C, *tutissimo* fr. II 92, *saevissimos* fr. II 98, 5, *maritimas* ib. 9, *maxime* ib. D in Aurelianensi, *facillime* fr. III 96 A, *optimum* fr. III 98 B in Vaticano. Praeterea in Vaticano 3864 quinquies *-umus* extat, *optumis* fr. I 55, 2, *pessumis* ib. 21, *maxuma* ib. 25, *maxume* fr. IV 69, 17, *maxuma* ib. 20; at quadraginta superque superlativi sunt littera i scripti. Etiam in Parisino magis *-imus* quam *-umus* scriptum est. Ut igitur summam faciam, ipse Sallustius quomodo scripserit, quamquam certo quidem non scimus, tamen veri simile esse mihi videtur paucas formas per u scriptas archaismo potius editorum Sallustii Frontonianorum attribuendas esse, quam auctori, Sallustium vero etiam hac in re praecepta a Caesare grammatico data secutum esse: et nos quidem hac in re et orthographiam vulgarem et codicum optimorum memoriam sequi praestat.

Eundem sonum habent voces *inclitus, libet, libido* aliaque: quae ab editioribus e more suo *inclutus, lubet, lubido* scribi solent. Atque vocem *inclitus* possis dubitare quomodo Sallustius exhibuerit, etsi per -i- eam scribunt Servius ac Nonius

*) Cf. Brambach, *Neugestaltung der latein. Orthographie p. 108.*

grammatici*) (fr. I 101, II 81), *inclytis* habet V fr. IV 69, 19; itaque sequi memoriam rectius puto. Sed *libens* legimus vel in inscriptione secundi a. Chr. n. saeculi**), atque ita ubique habet monumentum Ancyranum (velut *manibias, reciperavi*): apud Sallustium haud aliter fuisse efficitur codicis V lectione *libidine* fr. I 77, 17, *libet* ibid. 20. Contra in nominibus propriis antiquiores servatae esse videntur formae, velut *Curenas* legimus in Berolinensi palimpsesto, fr. II 43; *Sulla*, non *Sylla* vel *Silla* scriptum esse a Sallustio nemo negabit; itaque contra codices Servii fr. II 40 *Iapudiam*, non *Iapidiam* edere praetuli.

2. De gerundii formis.

Etiam gerundium in Sallustio non effugit manus editorum nostratium ἀρχαΐζοντας, qui continuo *gerundus* et *faciundus* ediderunt, *gerendus, faciendus* plane spreverunt. Atque utriusque formae quae sit origo, parum certum mihi videtur***); quin formae per -e- scriptae vetustissimis non modo Latinis, sed etiam Italis propriae fuerint, procul dubio est collata Umbrorum forma *anferener*. Grammatici latini, ut per -e- verba e consonantibus stirpibus formata scriberentur, praeceperunt, de verbis, quorum praesens per *-io-* redditum est, dubitavit et grammaticorum et inscriptionum aetate imperatoria incisarum ratio, velut legimus in monumento Ancyrano *regendam* atque *oriundus*. Verba de consonantibus stirpibus derivata inde a Sulla vel magis a Caesare per e scripta inscriptiones exhibent: *legundeis* habet quidem lex Cornelia anno 81 scripta, *referundos* senatusconsultum de Asclepiade anni 78†), at *deducendae* extat iam in lege agraria††) anno 111 lata, *sternendas* exhibet lex Iulia. Eodem etiam tempore verba, quorum praesens in *io* exit, praeter *-iundus* simul *-iendus* ostendere incipiunt: *faciendum* scriptum est anno 94 a. Chr. n.†††), *reficiendarum, demoliendae* similia praebet lex Iulia. — Ut igitur ad Sallustium revertamur, non nisi duobus locis formae per u scriptae in eo reperiuntur: *perdundae* habent

*) Hieronymi libri fr. II 64 *incluti* an *incliti* habeant, nescio.
**) Schneider 118.
***) Cf. Brugmann, *Grundriss II p. 1424.*
†) Schneider nr. 28 et 29.
††) Schneider nr. 23.
†††) Schneider nr. 301.

libri scholiastae Ciceronis fr. III 3, at ibidem Arusianus *perdendae* testatur, dein in Vaticano fr. I 55, 25 legimus *circumveniundam*; contra in eodem Vaticano semper (i. e. viginties fere) gerundia verborum, quorum stirpes ad consonantes exeunt, per e scripta sunt, et in verbis in *io* desinentibus praeter unum illum locum orationis Lepidi octies e usurpatur; in palimpsestis Vaticano *capiendam* fr. III 98 A, Aurelianensi *abnuendo* fr. II 92 invenitur. Ceterum Parisini in Catilinario ac Iugurthino memoria minime apta est, qua Vaticani rescriptique libri de historiis testimonium infringatur; immo, cum ille saepius *capiundae*, *faciundi, potiundi*, praeterea *gerundum, sumundum* similia habeat, hoc, quippe quod posterioris multoque deterioris memoriae sit, e grammaticorum vetustatis speciem appetentium libidine profectum esse demonstratur; et eidem grammaticorum studio deberi videtur immane illud participium *pariuntumque*, quod legimus in Aurelianensi fr. II 92, 16.

3. Quaeritur, utrum 'vester, verto' an 'voster, vorto' scribendum sit.

Eae voces, quae a syllaba *vo-* vel *ve-* incipiunt, semper apud Sallustium *vo-* edi scribique solent; at etiam hac in quaestione recedere a ceterorum Sallustii editorum opinione cogor. Etenim teste Quintiliano I 7, 25 syllaba *vo-* vel a Scipione *ve-* reddita est, sonus igitur iam medio secundo a. Chr. n. saeculo mutatus esse videtur; itaque fieri omnino non potest, ut Sallustii aetate *voster, vorto* quisquam Romanorum locutus sit, etiam aetate imperatoria unum *ve-* usitatum est.*) Atque idem Sallustium secutum esse e reliquiis concludere possumus; namque libri rescripti ubique *ve-* praebent, velut Berolinensis *diversorum* fr. II 43, Aurelianensis *adversa* fr. II 47, 1, *animadvertatis* fr. II 98, 8 (et utroque loco cum Vaticano 3864 ille consentit), Vaticanus *perverso* fr. III 98 C. Dein orationum epistularumque liber plus quadraginta formas per *ve-* scriptas exhibet, bis *vo-* legimus, fr. II 47, 14 *advorsa*, fr. III 48, 13 *animum advortere*; atque idem Iug. 14, 20 *transvorsos* habet. Ceterum etiam in Parisino paene ubique formae a syllaba *ve-* incipientes reperiuntur, licet Iug. 50 *transvorsis*, ib. 26 *advorsaretur*, ib. 69 *ad-*

*) Cf. Brambach p. 101.

vertere ad se vorsum (sic!) lectum sit. — Itaque eandem, quam aetati Sallustianae attribuendam esse iudicavi, scribendi rationem etiam in nostris reliquiis extare existimo, paucissimis quidem locis exceptis, quos editorum antiquorum librariorumve libidini vindicanti mihi neminem credam obsistere.

4. De vocum forma in -vus (-vos) atque -uus (-uos) exeuntium.

Editores nostri, etsi sibi non constant hac in re, tamen formas per *-uo-* scriptas praeferre videntur. Ac Quintiliani quidem temporibus *-vus* scribebant scribique iubebant grammatici, sed etiam primo post Chr. saeculo *-uos* et dictum et scriptum esse idem testatur I 7, 26. Itaque in monumento Ancyrano *-uu* legimus, *vivum, vivus, annuum,* in Pompeianis inscriptionibus parem fere utriusque scribendi rationis numerum reperimus. Atque postea Frontonis saeculo formae per *-uo* scriptae rursus adamatae esse videntur.*) Sed ante Augustum ubique fere *-uo* in usu fuisse videtur, velut habemus in lege Iulia *suom, aequom,* et semel quidem *suum.* Verum in Sallustiana memoria fluctuant codices, velut *scaevus* habet Vaticanus I 55, 5, *novos* idem fr. I 77, 21, *annuus* fr. II 98, 2. Itaque cum illa nos plane deficiat, voces in *-vos* exeuntes per *-vo,* non per *-vu* scribamus, quod certe et a Sallustii aequalibus ita scriptum est et comprobatur loco illo orationis Philippi; ea vero verba, quae ante finalem syllabam *-uus* consonantem habent nostrisque litteris *-uus* scribi solent, in Sallustio per *-uus* scripta edidi, quippe in quibus duplicis u sonum vel Caesaris aetate usitatum esse inscriptionibus disceremus.

Eodem spectat quaestio illa haud supervacua, utrum a Sallustio *quom* an *cum* scriptum sit; scilicet Jordan etiam in novissima Sallustii editione p. 135 (ad fr. III 96 A) *quom* ab ipso auctore profectum esse contendit. Atque inde ab initio linguae latinae *quom* coniunctio et *com* praepositio diversissimas fuisse diversaque ab origine oriundas cognita Umbrorum Oscorumque nunc lingua scimus; utramque vero vocem, cum vel secundo a. Chr. n. saeculo similiter pronuntiarent i. e. *cum* loquerentur, mox confundebant Romani, cuius erroris antiquissimus, quem

*) Cf. Brambach p. 93.

repperi, testis est lapis Scipionum sepulcralis*) anno fere 170 a. Chr. n. incisus: '*actate quom parva.*' Dein inde ab Augusto semper fere *cum* exhibent lapides**), grammatici quidem ac Quintilianus I 7, 5 inter *quom* et *cum* distingui iusserunt, hanc vero vanam fuisse virorum doctorum rationem ipsis inscriptionibus efficitur; archaistarum postea aetate etiam *quom* rursus adhiberi coepit. Sed apud Sallustium ubique *cum* scriptum reperimus paucis exceptis hisce locis: *quom* coniunctio in Vaticano rescripto fr. III 98 C, in eodem *quom* praepositio fr. III 96 A, dein in orationum libro Vaticano *quom* coniunctio fr. IV 69, 13, eiusdem vocis vestigium fortasse latet fr. III 48, 15, ubi scriptum est *q*$\overset{a}{u}$*m*. Accedunt e reliquis fragmentis *qum* e scholio Veronensi Vergiliano fr. I 107, atque *com* apud Servium fr. I 99. — Itaque quoniam pronuntiasse Sallustii aetate Romanos certe *cum* ex ipsa illa confusione duarum vocum efficitur, deinde cum tam raro in memoria historiarum scripturae *quom* vestigia appareant, et nobis quidem in Sallustio edendo forma *cum* et in coniunctione et in praepositione utendum esse et ipsum ita scripsisse Sallustium existimo, scilicet pauca illa alterius formae exempla vetustatis studio Frontonianorum attribuenda esse etiam comprobari videtur Quintiliani grammaticorumque mira illa ratione, qui, ut denuo *quom* et *cum* disiungerentur, frustra operam dederunt. Eadem vero syllaba *-quos* vel *-cus*, si aliis in vocibus usurpatur, similiter scribenda esse mihi videtur. Sane *-quus* grammaticorum posteriorum inventum esse, usque ad Caesarem Augustum *-quos* dictum scriptumque esse, dein *-cus* adhiberi nemo est, qui nesciat. Quomodo Sallustius scripserit, ignoramus; sane habemus in Vaticano *relicuum* fr. III 48, 2, *secuntur* fr. I 77, 9, quare nobis in Sallustio *-cus* edendum esse mihi visum est.

Eandem similemve soni mutationem formae *quoius* et *quoi* perpessae sunt: utraque vero etiam in lege Iulia legitur, quin *quoi* usque ad medium primum p. Chr. n. saeculum conservatum est; etiam Catullum sic scripsisse haud paucis locis e codicum eius memoria investigari potest. Sed in Sallustii

*) CIL. I 34, Schneider nr. 91.

**) Licet Pompeianis inscriptionibus bis *quom*, semel *queiquomque* ac *quor* exaratum sit.

historiis, etsi ita eum scribere potuisse ac fortasse scripsisse nemo erit qui neget, plane fere desunt vetustioris illius scripturae reliquiae; habemus in Vaticano fr. III 48, 19 *quiusque*, quod e *quoiusque* corruptum esse dixerit quispiam; praeterea idem liber Iugurth. 14, 21 *quoius* habet, cum et Parisinus et reliqui codices *cuius* praebeant. Itaque nobis vulgatis formis utendum esse iudico.

5. De syllaba ol aut ul.

Grammatici primi secundique saeculi hunc sonum per u scribendum esse iusserunt*), velut *adulescens, epistula;* in his similibusque vocibus *ol* usque ad Caesarem perduraverat, sed iam in lege Iulia *in tabulas* scriptum est; ea vero verba, quae syllabam *vol-* continebant, per o scripta sunt usque ad primam imperatorum aetatem, sicut docemur inscriptionibus Pompeianis. Atque historiarum Sallustii memoria eadem ratio comprobari mihi videtur; namque legimus in palimpsesto Vaticano fr. III 98 C *perverso volnere*, dein in orationum codice *volnera* fr. I 55, 22, *volneribus* fr. II 98, 2, contra *vult* fr. I 55, 21; etiam Parisinus saepius *volt, volgus, voltus* exhibet. — Quare *volnus, volt* similia scribamus necesse est, in ceteris vocibus recentiorem formam per *ul* scriptam retineamus, quoniam in historiarum memoria nusquam fere *ol* extitit; quod autem in Parisino saepius *adolescens*, nonnumquam *formidolosus*, *virgolta* similiaque scripta sunt, si minus posteriorum vetustatis studio, tamen certe linguae vulgari, quae ubique sonum *ol* restituit, attribuas, minime vero Sallustio vindices.

6. De i vocali contracta ac de ei diphthongo.

Iis in vocibus, quarum nominativus in *-ius* exit, genetivum et nominativum pluralis quin vulgo contracta i vocali Romani elocuti sint, nemo negabit; scilicet duarum vocalium hiatum quam maxime gens illa odit. Sed poetae inde a Catullo fere hominesque urbani et grammatici formas per *-ii* scriptas ex analogia constructas adamabant, ita ut vel secundo saeculo plane illae usui essent.**) Quantum interfuerit inter elocutionem atque

---

*) Cf. Brambach p. 81.
**) Cf. Brambach p. 188.

orthographiam, optime elucet e sexta Scipionum inscriptione sepulcrali: '*mieis moribus accumulavi*', ubi versus docet enuntiatum esse *mīs*, tamen scriptum est *mīīs*; eodem modo ceterae inscriptiones varie et contractas et apertas formas praebent, velut legimus in monumento Ancyrano non modo *auspicis, provincis, stipendis, dis*, sed etiam *alii, consiliis, manibiis*, in Pompeianis inscriptionibus numero longe praestant formae contractae. — Sed in historiis Sallustius quid scripserit, nescimus; atque in libris rescriptis septem extant exempla formarum vulgarium, sex contractarum, velut in Berolinensi *Octavi* fr. II 45, *auxilis* fr. II 47 A — ubi in Vaticano 3864 *auxiliis* extat —, in Aurelianensi *imperi* fr. II 98, 4, *Pompei* fr. II 98 D, in Vaticano *Anni* fr. III 98 B, *aedificis* fr. III 98 D, contra in Aurelianensi *alii* fr. II 87 A, *copiis* fr. II 87 B, *Sertorii* II 98, 5, *nuntiisque* fr. II 98 D, *aliis* fr. III 6, in Vaticano *inviis* fr. III 96 C, *consilii* III 96 D. — Etiam in fragmentis a grammaticis servatis contractae vocalis i superest memoria, velut *crici* legerunt Nonius et Servius fr. III 36, *proelis* habet D Prisciani fr. IV 13, *consili* apud Charisium fr. I 68, *Pompei* praebet Gellius fr. I 53, *aerari* Diomedes legisse mihi videtur fr. II 98, 3. — In orationum libro quinque formae contractae sunt: *di* fr. I 77, 3, *Mari* ib. 7, *ali* ib. 20, *aerari* fr. II 98, 3, *modis* fr. III 41, 19, contra quattuordecim voces per *ii* scriptae. Atque utriusque usus exempla antiquissima in memoria Sallustiana fuisse comparatis testimoniis intelligimus, velut fr. II 98, 3 *aerari* habet et codex Vaticanus et Diomedes, ibid. 5 in lectione *Sertorii* consentiunt Vaticanus ac codex rescriptus Aurelianensis, in forma *Pompei* congruunt Gellius fr. I 53 et Aurelianensis fr. II 98 D; contra discrepant testes fr. II 98, 4, ubi *imperi* rescriptus, *imperii* Vaticanus praebet, item fr. II 47, 1 *auxiliis* in Vaticano, *auxilis* in palimpsesto extat. Ut igitur summam faciam, quoniam quomodo Sallustius scripserit, e sola memoria diiudicari nequit et ipsum Sallustium aeque atque aequales in adhibendis contractis vulgatisve formis certam non secutum esse rationem veri simillimum est, nos quoque unum eundemque ubique restituere modum desistamus atque vulgatas formas usurpemus iis quidem exceptis locis, ubi contractas fuisse apud Sallustium formas e memoria efficitur.

Diphthongum *ei* pro *i* longa usque ad medium p. Chr. n. saeculum esse usurpatam nemo est, qui nesciat; in lege Iulia ubique fere *ei* legimus, etiam in Catullo scriptum olim id esse facile perspicitur et in Pompeianis inscriptionibus viginti quattuor extant diphthongi illius exempla, at in monumento Ancyrano non nisi bis *ei* legitur (*emeriteis, Dalmateis*) atque in Sallustiana memoria tam rara ac debilia sunt illius scripturae vestigia, ut recipere ea in contextu insani esset, immo inde, quod fr. II 98, 6 Aurelianensis *quois* habet, quam formam neque umquam inde a litterarum memoria in lingua latina extitisse neque a Sallustio usurpatam esse vix est quod moneam, intelligimus, quomodo talia levi grammaticorum vetustatis affectatione orta sint; sane eodem loco codices quidam minores (Urbinas ac Vaticanus 3415) teste Haulero illud *queis* exhibent. Solis in declamationibus, quae vulgo rhetori alicui adscribi solent, saepius *ei* scriptum reperimus. Itaque etsi concedam a veri specie haud abesse Sallustium aequalesque eius *ei* adhibuisse, ut longi ī sonum significarent, tamen a nostro contextu hodiernaque editione longe illud removendum esse cum ceteris iudico.

7. De voce 'labos' eiusque similibus.

Quaeritur, utrum in iis vocibus, quarum stirpes in *-ōs* exeunt, in casu nominativo *-os* an *-or* scribendum sit. Atque *honor* habet iam sexta illa Scipionum inscriptio, cum quarta, quae quadraginta fere vel quinquaginta annis ante incisa esse videtur, *honos* praebeat. Primo a. Chr. saeculo non constabat ratio, etiam Vergilius vetustiores formas in *os* exeuntes praetulit. Sed eosdem Sallustium usurpasse optimo Servii testimonio elucet, ad Aen. I 253: 'item Sallustius paene ubique *labos* posuit, quem nulla necessitas (scil. metri) coegit.' Atque testimonium, quod quin ad Asperi in historias Sallustii commentarios redeat, non dubium est, minime licet infringere, velut Jordan iussit, immo vero aliis rebus comprobari mihi videtur; etenim *labos* praebet Vaticanus et fr. II 47, 1 et fr. III 48, 18; Parisinus quidem et in Iugurthae et in Catilinarii loco *labor* habet; cum vero in eodem Cat. 15 *color* legatur, Probus *colos* testatur; deinde Iug. 44, ubi codices *odor* exhibent, *odos* legit ipse Fronto. Qua re cum Asperi Serviive iudicium optime fultum esse intelligamus, quin Sallustius re vera ubique formas vetu-

stiores per *-os* scriptas adhibuerit, dubitari non debet; Jordan vero, qui*) formam *-os* in orationibus tantum Sallustium praebuisse contendit, non modo mirabilia finxit, sed aperto Frontonis, Probi, Asperi consensui obstitit.

8. De verborum compositorum forma, quae dicitur, restituta.

Formas *intellego, neglego* similia — non *intelligo, negligo* — non modo aliis**) in scriptoribus, verum in Sallustio quoque usitatae hodie sunt, et easdem habent fragmentorum nostrorum a grammaticis laudatorum codices, item Vaticanus semper, plerumque Parisinus. Et Sallustium formas accentu non infirmatas adamasse praeterea testantur complures loci, velut *retractantes* fr. I 77, 3 in Vaticano, *detractantibus* in Vaticano rescripto fr. III 96 A, *periaci* fr. III 5, *transgradientur* fr. II 98, 10 in Aurelianensi, ubi Vaticanus quidem *transgredientur* exhibet; quibuscum locis conferas *superiactis* apud Nonium fr. II 56 et *praegradiebantur* in Bambergensi Nonii libro fr. IV 66, denique *occanuere* fr. I 135, quod Diomedes, Priscianus, Servius testantur. Quae exempla satis multa esse iudico, ut aliud alio fulciatur atque a nobis conservetur, neque tamen ubique in Sallustio formas hasce restitutas reddere licet. At certe his exemplis verborum *neglego* et *intellego* scriptura confirmari mihi videtur.

9. De accusativi tertiae, quae dicitur, declinationis forma in -is exeunte.

Grammatici latini, velut Varro ac Probus, *is* an *es* in accusativis scribendum esset, non certis definierunt praeceptis; postea Plinii regula accepta est, qui iis in vocibus, quarum genetivus *-ium* haberet, in *-is* accusativum finiri iussit. A librariis vero omnibus in vocibus accusativi per *-es* scripti praeferebantur.***) Et Plinii doctrina optima rectaque fuisse videtur, quoniam re vera initio stirpes in consonantes exeuntes *-es*, eae

*) *Kritische Beiträge z. Gesch. d. latein. Sprache p. 144.*

**) Cf. Fleckeisen, *Fünfzig Artikel etc. p. 19.*

***) De accusativi formis, quae in scriptorum nonnullorum codicibus reperiuntur, cf. O. Keller in *mus. Rhen. XXI p. 241.*

autem, quae vocali *i* finiuntur, *-is* accusativo praebuerunt (velut *civis, partis, montis, potentis*). Primo a. Chr. n. saeculo plerumque *-is* (vel *-eis*) in accusativo scriptum reperimus, sed extant etiam formae ex analogia constructae, velut et *ceives* et *ceiveis* iuxta habet lex Antonia anno 71 a. Chr. incisa; ac nominativus quoque ex analogia accusativum secutus est, velut in lege Furfensi*) anni 58 *pelleis.* Neque non in lege Iulia *-es* legitur (velut *Vestales*), et in monumento Ancyrano utraque saepius forma iuxta usurpatur (velut *omnis, curulis, inferentis, agentis,* contra *naves, aedes, fines, labentes,* saepius *gentes*). Contra iam in Pompeianis inscriptionibus ubique *-es* scriptum est exceptis duobus *Octobreis* et *dantis.*

Quae si consideraverimus, Sallustii aetate voces, quarum stirpes in *i* exibant, accusativum per *-is* formasse veri simile est; etiam Sallustium hanc secutum esse rationem e memoria historiarum quidem elucet. Legimus igitur *gentis* fr. II 43, *deducentis* fr. II 45 in Berolinensi rescripto, *hostisque* fr. II 98, 4, *hostis* ib. 5, *Alpis* fr. III 5 in Aurelianensi, *ignis* fr. III 96 B et fr. III 98 C, *silentis* et *sumentis* fr. III 96 D, *Naris* fr. III 98 B in Vaticano, quin *laxioris* falso in eodem fr. III 98 B; contra paucissima alterius formae exempla sunt *agentes* fr. II 98, 4 et *restantes* fr. III 98 C. — Eandem praebet scribendi rationem Vaticanus orationum liber, in quo sunt *conserentis* fr. I 55, 19, *penatis* I 77, 20, II 47, 3 et 4, II 98, 1, *montis* II 47, 6, *omnis* II 98, 2, *hostisque* ib. 4 (ubi consentit codex cum palimpsesto), *agentis* ib. 4 (quo loco in Aurelianensi *agentes* est), *potentisque* IV 69, 17. Contra non nisi tria sunt exempla alterius usus, *gentes* I 55, 1, *hostes* II 98, 5 — et hic rectius habet rescriptus *hostis* —, *omnes* IV 69, 20. Etiam simillime in Parisino formae per *-is* scriptae multo crebriores sunt; ceterum quod in grammaticorum exemplis vulgatum illud *-es* praeferebatur, non est, quod mireris; attamen etiam in his habemus *utris* apud Nonium fr. III 37, *vitantis* in eodem fr. IV 40, *omnis* apud Gellium fr. I 105 ac similia quaedam. Quibus de causis cum comprobari putaverim etiam Sallustium suae aetatis scribendi rationem secutum esse, iure ubique ita edidisse mihi videor.

---

*) Schneider 309 et 310, CIL. 204 et 603.

10. Restat, ut de singulis quibusdam disseram.

Arcessere, non *accersere* recte scribendum esse consentire puto viros doctos*); in Sallustiana quidem memoria Parisinus sexies *arcessere*, ter *accersere* praebet**), contra Vaticanus bis, fr. I 77, 6 et Catil. 52, *accersere* habet. Nobis, ne inepta vulgariaque scriptori vindicemus, *arcessere* ex etymologia edendum est.

Autumnus, ut vulgo scribitur***), apud Sallustium legitur fr. III 96 A et III 98 D, quo loco eandem praebet lectionem etiam Horatii scholiasta; ergo *autumnus*, non *auctumnus* scripsi.

Cloaca scripsi, quod apud scriptores grammaticosque legitur†), non *cluaca*, quod L. Müller nuper edidit fr. IV 16.

Danuvius, non *Danubius* scribendum esse inscriptionibus nummisque ostenditur.††)

Dextera, non *dextra* Sallustius usurpasse mihi videtur, namque *dextera* habet Aurelianensis fr. III 5, idem Parisinus Catil. 59, *dextero* Iug. 49, praeterea *dexterum* codex Prisciani aliquis fr. II 54, *dextera* Arusianus fr. II 105, *dexteri* Servius fr. II 107.

Maestus ex origine vocis scribendum est, non *moestus*, cf. *maeror*; iniuria igitur Haulerum fr. II 47 *permoestus* edidisse puto.

Nactus scripsi, quamquam *nanctus* exhibet Vaticanus rescriptus fr. III 98 B; sed hanc formam multo post ex praesentis temporis imitatione constructam refutant reliqui fragmentorum loci, velut *nactos* Nonius fr. I 67, *nacti* idem fr. III 33 IV 11, IV 20, *nactus* Gellius fr. I 104.

Oportunus scribendum esse iudico, quoniam hoc adiectivum de *opus* derivandum est; *opportunus* legimus in Aurelianensi fr. II 98, 5, *opportunam* in eodem fr. III 6, contra rectius *oportunus* in Vaticano priore loco, praeterea fr. IV 69, 2 et apud Nonium fr. I 108.

---

*) Cf. Keller, *Latein. Volksetymologie p. 146.*
**) Rem ipsam locosque illos in Iordani schedulis adnotata inveni.
***) Cf. Fleckeisen p. 8.
†) Cf. Brambach p. 81.
††) Cf. Fleckeisen p. 15, Brambach p. 332.

Percuntari scripsi contra originem vocis; *percunctari* falso ex vulgari quadam etymologia usurpari notum est; cum vero ita saepissime scriptum sit, sequitur non *percontari* enuntiasse Romanos, sed *percuntari*, quod vel per se e sonorum natura concludi licet; atque iam intelligetur, quare falsam illam etymologiam vulgus commiserit. Itaque etiam in Sallustio *percuntari* quam *percontari* edere malui.

Plebes, non *plebs* nominativus in Sallustii libris reperitur; et ita ubique ante Augustum scriptum esse animadvertit Schneider.

Denique graecae cuiusdam declinationis, quae dicitur, vestigia in fragmentis extant pauca, velut *Euphraten* habet Nonius fr. IV 59, Eumenen ex Vaticani lectione fr. IV 69, 8 restituendum esse putabam, Metrophanen fortasse habuit Nonii archetypus fr. IV 2. — Ceterum *τὰ Κάβειρα*, quae urbs *Cabira* fem. gen. a Romanis plerumque redditur, *Caberam* Vaticanus fr. IV 69, 15 appellat.

III.

Quaestionum historicarum epicrisis.

De rebus inde ab anno 78 ad annum 66 domi militiaeque a Romanis gestis fusius disserui prolegomenis priore editionis huius fasciculo contentis. Sed eodem fere tempore, quo illa in lucem prodierunt, docta Bienkowskii commentatio inscripta *Kritische Studien über Chronologie und Geschichte des Sertorian. Krieges* in *Wiener Studien XIII p. 129 et p. 210* edita est, simul liber Theodori Reinachii apparuit *Mithridate Eupator, roi de Pont*; qui viri doctissimi cum saepenumero mecum consentirent, nonnumquam vero aliter atque ego de rerum gestarum tempore constituendo iudicassent, denuo de quibusdam rebus hoc loco disputare mihi proposui.

Atque e belli Sertoriani historia summi est momenti, ut tempus, quo Pompeius in Hispaniam advenisse putandus sit, definiamus. Sed Bienkowski, a quo saepius approbata esse ea, quae exposueram, summo mihi fuit gaudio, tamen hac de re

p. 210 dissentit*), cum Pompeium pervenisse in Hispaniam eodem eo anno 77, quo Roma profectus esset, Mommseni scilicet secutus opinionem, defendit. Quem adversus equidem nisus loco Appiani b. c. I 109 iisque, quae prolegom. p. 23—24 exposui, adventum Pompeii anno 76 etiam nunc attribuerim; argumentis autem meis, quae nondum refutata esse mihi videntur, addam vel e Perpernae rebus eandem consequi temporis distributionem. Etenim cum Pompeius brevi post Lepidum Cosae victum ex Italia profectus esset atque per Alpes Galliasque in Hispaniam perrexisset, Perperna una cum Lepido in Sardinia bellavit et mortuo demum duce in Liguriam et inde in Hispaniam contendit; itaque si Pompeium continuo eodem anno etiam Pyrenaeos transiisse et ipso eo autumno in Hispaniam advenisse putaremus, expectaremus multo ante Perpernam ibidem eum fuisse: at re vera Perperna iam tempus quoddam contra Romanos duces ante Pompeii adventum pugnaverat et adventu tantum illius ad Sertorium se applicare coactus est; ex quo sequitur Pompeium non eodem itinere in Hispaniam contendisse, sed hiemem in Gallia degisse, dein vere anni 76 in Celtiberos descendisse. — Deinde verba epistulae Pompeianae fr. II 98, 5: 'hiememque castris inter saevissimos hostis, non per oppida neque ex ambitione mea egi' aperte spectant ad hiemem, quae rebus ad Lauronem gestis succedebat, i. e. 76/75, quod docetur verbis: 'primum impetum Sertorii victoris novis militibus et multo paucioribus sustinui.' Atque hoc loco unam hiemem, non duas commemorat Pompeius in Hispania a se actas, et omnino locus ille non intelligitur, nisi de prima hieme, qua Pompeius in Hispanis erat, dictus esse accipitur: viden hac quoque re confirmari advenisse Pompeium anno demum 76? Ceterum respiciamus etiam Fonteii res poscimur! Qui cum Pompeium in Gallia hiemantem frumento adiuvisse traderetur, Schneider (*quaestionum in Ciceronis pro M. Fonteio orationem capita quattuor*) aliique hoc factum esse hieme 74/73, Fonteium autem praefuisse Galliae annis 74—72 affirmaverunt. Sed Schneider, qui p. 8 Macedonicam eius legationem annis 78 et 77, praeturam anno 75 fuisse

---

*) Eandem sententiam secutus est A. Tilley in prolegomenorum meorum recensione, *historical review VII (1892) p. 337.*

dicit, certa huius rei argumenta minime protulit, immo vero cum anno 73 'vitiosis magistratibus' Galliam laborasse Sallustius fr. III 46 narret, his verbis Fonteium perquam a Cicerone laudatum significatum esse negaverim; quare, si propraetura Fonteii annis 77—75 attribuenda est, denuo fulcitur opinio nostra anno 77 hiemasse Pompeium in Gallia. — Quare his de causis advenisse Pompeium in Hispaniam vere anni 76, quod scripsi in prolegomenis, etiam nunc defendo neque iam fore, quin mecum consentiat, vehementer spero.

Deinde quaeritur, quonam modo res bello Mithridatico gestae per singulos annos distribuendae sint. Namque Th. Reinach l. l. p. 318 sq. ita res constituit, ut Nicomedes exeunte anno 74 mortuus hiemeque foedus factum esset inter Mithridatem et Sertorium, vere anni 73 bellum coeptum, obsidiones Cyzici Amisique fuissent annorum 73/72 et 72/71 hieme ac proelium Cabirense aestate 71, denique Sinope atque Heraclea anno 70 captae essent. Quem secuti sunt A. Tilley et P. Jürges l. l. p. 24—34. Attamen belli huius rationem temporis satis definiri puto locis tribus illis Plutarchi et Phlegontis, quibus prolegom. p. 47 nisus sum, cum initium belli anno 74 attribuerem; scilicet Jürges, qui Reinachii (vel potius Ihnii) opinionem copiosius argumentis firmare studet, saepius contradicere scriptorum memoriae mihi videtur.

Atque causa, ex qua Nicomedis mortem anno 74, belli initia anno 73 evenisse dicit, Reinachio fuerunt nummi quidam Nicomedis III anno aerae Bithyniae 224 (qui annus incipiebat inde ab Octobri anni 74 a. Chr. n.) incusi; at hos equidem non a Nicomede III, sed a filio eius, quem regem a Bithynis ipsis proclamatum esse Nicomedem IV scimus, factos esse existimaverim; scilicet imago iis impressa est Nicomedis II neque quidquam interest inter eos, qui Nicomedis II imperio orti sunt, eosque, qui Nicomede III regnante signati sunt: unde igitur scit Reinach hos nummos anno 74 vel 73 incusos esse a patre rege, non a filio? Ceterum ne id quidem mirarer, si Nicomede rege anno 75 mortuo bellis circum saevientibus Bithyni eosdem nummorum typos etiam anno 74 repetiissent; sane tum neque extitit rex, nisi adulescens ille, neque erat pro consule neque iam Mithridates regebat. Itaque abiectis his nummis ante omnia

scriptorum testimonia nobis examinanda esse iudico. Quorum sane gravissimum puto Sallustium nostrum, qui cum mortem Nicomedis et foedus inter Mithridatem ac Sertorium ictum secundo libro atque ante epistulam Pompeianam enarret, ipse satis ostendit etiam anno 75 ea accidisse. Deinde extant quoque auctores, a quibus initium belli anno 74 fuisse aperte narratur, cf. Cic. pro Mur. 33: 'ad quod bellum duobus consulibus ita missis, ut alter Mithridatem persequeretur, alter Bithyniam tueretur'; idem Livius rettulerat, cf. per. 93: 'M. Aurelius Cotta consul ad Chalcedona proelio a rege victus', per. 94: 'L. Licinius Lucullus consul adversus Mithridatem' etc., Eutrop. VI 6: 'adversus eum ambo consules varium habuere fortunam', paulo post: 'Lucullus alter consul occurrit.' At Jürges p. 26 his locis errasse affirmat scriptores, ita ut eos, qui pro consulibus erant, errore sane vulgari consules appellarent! Profecto, qui singulos hos locos legat, eum ita conicere concedam: verum ipso eo consensu, nisi mira credamus, efficitur rectum et Ciceronem et Livianos illos tradidisse; accedit, quod Eutropius VI 7, ubi de anno 73 agit, denuo consules appellat, ea igitur, quae antecedunt, anno 74 et Lucullo Cottaque consulibus ab Eutropio et Livio comprehensa sunt.*) Quare constare puto secundum Livium et Ciceronem et Sallustium initium belli consulibus L. Lucullo M. Cotta annoque 74 a. Chr. n. factum esse.

Neque vero cum his auctoribus ipsae certant res. Initio anni 74 Cotta et Lucullus consulatum ingressi sunt; Cotta quidem consul**) in Bithyniam cum exercitu missus est, Octavius pro consule in Ciliciam, etenim tum Mithridatem bellum parare nemo Romae nesciit (cf. Plut. Luc. c. 5 et or. Cott. fr. II 47, 7: 'exercitus in Asia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur'). Et rixae, quae inter Lucullum, Quintium, Cethegum intercesserunt, eadem hieme et vere 74 optime contineri potuerunt. Vere anni 74, si me sequaris, in Bithyniam invasit Mithridates; eodem fere tempore L. Octavius mortuus esse videtur;

*) Qua cum re consentit Orosius VI 3, 1 de Catilinae incestu: at hunc, qui sibi oppugnat, testem sane removere studet Jürges!

**) Falso e Plut. Luc. c. 6 Cottam post Lucullum abiisse in provinciam conclusit Jürges; nimirum loco illo sine conexu ceteris addito nihil discimus de ordine rerum.

Lucullus, ut ei succederet, brevi impetrare potuit; neque multum temporis itineri in Asiam navibus facto attribuendum est. Dein per Phrygiam adversus Chalcedona, postea Cyzicum profectus est, quod eodem etiam anno fieri potuisse quamvis 'praefracte negante' Jürgio crediderim; namque Lucullum multo demum autumno ad Cyzicum pervenisse scimus, quod, si meam sequeris temporis rationem, apte expeditur: sin una cum Cotta vel potius ante Cottam in Asiam ivit, qua causa tam sero Cottae eum adfuisse putamus?

Duabus hiemibus obsidiones Cyzici et Amisi contineri consentiunt, at magnopere dissentiunt viri docti de rebus Cabirensibus ac de Phlegontis hac de re testimonio. Atque ego cum prolegomenis pugnas ad Cabiram factas cum Mommseno anno 72 assignavissem, Reinach ceterique factas eas iudicant aestate anni 71; quod cum obsistere Phlegontis narrationi fr. 12: *αὐτὸς* (sc. Lucullus) *μετὰ τριῶν ἄλλων προῆγεν ἐπὶ Καβείρων, ὅπου διεχείμαζε καὶ Ἀδριανὸν ἐπέταξε πολεμῆσαι Μιθριδάτῃ καὶ πολεμήσας ἐνίκησε* intellegerent, Reinach miserrima coniectura locum mutare studet scribens *ὅπου διεχείμαζε ⟨Μιθριδάτης⟩*, Jürges errori id dat aut Phlegontis aut Photii. At haec nugae sunt, neque tales inire desperatorum vias nobis licet, quoniam mutata ex libidine memoria quidlibet scriptoribus imputare possumus! Effugere difficultatem A. Tilley operam dedit, cum scripsit 'he advanced against Cabira in the same winter', quem contra faciunt Plutarchi *μετὰ τὸν χειμῶνα* et Appiani *ἱσταμένου δ' ἦρος*. Neque omnino oppugnat Phlegon ceteris scriptoribus neque erroris accusandus est; etenim cum de olympiade 177 (anno 72/71) refert: *Λεύκολλος δ' Ἀμισὸν ἐπολιόρκει καὶ Μουρήναν ἐπὶ τῆς πολιορκίας καταλιπὼν μετὰ δυοῖν ταγμάτοιν αὐτὸς μετὰ τριῶν ἄλλων κτλ.*, plenum annum Romanum inde ab hieme usque ad hiemem enarrat, scilicet initio anni 72 Amisum Lucullus circumsedebat, dein vere ad Cabiram contendit, postea hiemem 72/71 ibidem degit, postremum vere 71 per Hadrianum Mithridatis exercitum fudit; ita vero, velut feci, numerandum esse docetur loco inferiore: *τῷ δὲ τετάρτῳ ἔτει Τιγράνης καὶ Μιθριδάτης ἀθροίσαντες πεζοὺς μὲν τέσσαρας μυριάδας, ἱππέας δὲ τρεῖς κτλ.*; quartus enim olympiadis illius annus incipit a Quintili anni 69, attamen Tigranis apparatus

bellici anteriore hieme facti et bellum Armenium inde a vere anni 69 coeptum breviter a Phlegonte repetuntur, Graeci igitur anni terminos levi negligentia ille non observare solitus est. Itaque si hieme 72/71 Cabirae Lucullus secundum Phlegontem moratus est, nonne animadvertes ad tres illos Mommseni nostraeque opinionis testes etiam Phlegontem accedere? At esse, qui aliter referat, non ignoro, cf. Velleium II 33: 'L. Lucullus, qui ante septem annos ex consulatu sortitus Asiam' etc., cui fortasse adnumerandus est Appianus b. c. I 111, cum mortuum esse Nicomedem anno 74 narrare videatur.*) Quem ad auctorem aut illius aut utriusque temporum ratio redeat, nescio, satis equidem habeam diversam memoriam detegere. Verum tamen et Sallustium — quod unum nostra interest — eam, quam dedi, temporis rationem secutum esse constat et veram rectamque eam fuisse Ciceronis, Livii, Phlegontis cum eodem consensu approbatur.

Restat, ut de minoribus quibusdam rebus pauca prolegomenis addam. Atque errore quidem factum esse libenter concedo, quod prol. p. 40—41 imperium belli servilis Crasso mandatum esse vere anni 71 contenderem. Contra recte Mommsen autumno id accidisse anni 72 disputaverat; argumentis ab eo allatis ipse adiciam Pompeium, cum anno 71 non iam in Hispania fuisset**), rediisse Romam vere anni 71, non autumno demum; sin 71 Hispaniae praefuisset, ante annum 70 reverti Romam nequiit. Sed Pompeius arcessitus est a senatu, cum Crassus Spartacum in Bruttio circumsederet (App. b. c. I 111), i. e. non post hiemem 72/71, vel potius iam autumno: ex quo sequitur iam tunc imperium fuisse summum belli apud Crassum.

Praeterea meam de Curionis Marcique Luculli bello Thracico opinionem confirmari Sallustii fragmento II 80 supra in commentario eiusdem exposui, de pugnae ad Valentiam factae tempore cf. fr. II 54. De rebus a Lepido gestis nuper egit J. Franke *annal. philol. 1893 p. 49*, a quo memoriam Sallustianam non immutari breviter adnoto. Ceterum ea, quae proleg.

---

*) Quamquam, si hoc errori eius attribuere velis, non repugnabo; etenim in fonte eius chronographico fortasse nihil nisi olympiade 176 — anno non addito — haec facta esse scriptum erat.

**) Propraetore Hispaniae citerioris fuit M. Pupius Piso.

p. 82 de consulum proconsulumque muneribus commemoraveram, infringere studuit Tilley; tamen Lucullos, Cottam, Curionem etiam consules in provincias abiisse iis, quae modo hoc appendice disserui, firmasse me puto; at satis clara sunt exempla, quae, quamvis non appellata essent a me, quippe de quibus constaret, negligere vir doctus ille non debuit, scilicet M. Acilii Glabrionis et Q. Caecilii Metelli, qui hic anno 69 contra Cretenses, ille anno 67 in Pontum ac Bithyniam ipso consulatus anno profecti sunt.

INDICES.

I.

Tabula fragmentorum.

Kritzii editio ac Dietschiana cum hac ita conferuntur, ut utriusque fragmentorum numeri iusto fere ordine sese excipiant.

Kritz	Dietsch	Maur.
I 1	I 1	I 1
2	2	4
3	3	
4	4	2
5	(i 1)	3
6	5	6
7	6	8
8	7	7
9	8	11
10	9	
11	10	12
12	12	16
13	13	13
14	11	17
15	14	19
(III 81)	15	20
16	(i 2)	21
17	17	22
18	16	67
19	(36)	23
20	18	32
21	19	24
22	20	26
23	21	144
24	(i 3)	II 32
25	(i 4)	I 28
26	22	47
27	23	34
28	(57)	91
29	24	35
30	25	37
31	26	36
32	28	38
33	27	42
34	29	58
35	30	44

Kritz	Dietsch	Maur.
I 36	I 31	I 49
37	32	50
38	33	18
—	34	cf. p. 212
39	35	51
(19)	36	23
40	37	60
41	(i 5)	II 55
42	38	I 52
43	(i 6)	123
44	39	53
(90)	40	54
45	41	55
(i 52)	42	64
46	43	63
47	44	66
48	45	69
49	46	65
50	47	75
51	48	77
52	50	79
53	49	68
54	51	82
55	52	86
(89)	53	62
56	54	84
57	55	88
58	56	89
(28)	57	91
(i 61)	58	92
59	59	93
60	60	98
61	61	100. 102
62	62	101
63	63	dub. 3
(121)	64	dub. 6

Kritz	Dietsch	Maur.
I 64	I 65	I 104
65	66	105
66	67	107
67	(i 7)	85
68	68	108
69	71	135
70	70	110
71	69	111
72	72	122
(II 20)	73	125
73	74	126
74	75	113
75	76	III 44
76	77	I 124
77	78	127
78	(i 8)	III 15
79	79	I 129
80	80	II 81
81	81	I 133
82	82	134
83	83	141
84	84	46
85	85	33
86	86	112
87	87	106
88	88	136
89	(53)	62
90	(40)	54
91	89	138
92	90	59
93	91	71
94	92	116
95	93	145
96	94	45
97	95	121
98	96	139
99	97	142
100	98	140
101	99	118
102	(111)	137
103	100	78
104	101	40
105	102	143
106	(112)	15
107	103	41
108	(113)	152
109	(i 9)	inc. 17
110	104	I 146
111	105	147
112	106	148
113	(114)	150
114	(115)	29
115	107	80
116	108	97
117	109	81
118	110	117

Kritz	Dietsch	Maur.
(I 102)	I 111	I 137
(106)	112	15
(108)	113	152
(113)	114	150
(114)	115	29
I 119	116	151
120	117	153
121	(64)	dub. 6
II 1	II 1	II 1
2 }		2. 10
3 }	2	3
4 }		cf. p. 60
5	3	7
6	4 }	
7 }	5 }	6
8 }		
9	(i 122)	4
10 }	6	9
11 }		8
12	7	12
13	8	11
14	9	109
15	10	I 83
16	(i 11)	II 22
17	11	19
(62)	12	21
18	13	91
19	14	cf. 92
20	(I 73)	I 125
21	17	II 59
22	15	29
23	16	31
24	18	54
25	19	67
26	20	68
27	21	64
28	22	65
29	23	70
30	24	III 45
31	25	II 20
32	26	5
33	27	66
34	28	94
35	29	95
36	30	15
37	(73)	34
38	31	84
39	(i 10)	I 128
40	32	130
41	33	II 80
42	(i 12)	40
43	(i 13)	36
44	34	27
45	35	25
(III 83)	36	26

Kritz	Dietsch	Maur.
II 46	II 37	IV 54
—	38	II 42
47	39	43
48	(51)	96
49	40	45
50	41	47
51	42	49
52	43	28
53	44	73
54	45	75
55	46	76
56	47	77
57	48	71
58	49	78
(48)	51	96
59	52	IV 67
60	53	II 106
61	50	IV 4
62	(12)	II 21
63	54	89
64	55	102
65	56	90
66	57	99
67	58	III 23
68	59	II 103
69	60	104
70	61	105
71	62	100
72	63	101
73	64	61
74	65	110
75	66	I 25
76	(79)	II 44
77	67	88
(82)	68	107
(84)	69	41
(88)	70	69
(91)	71	18
(94)	72	97
(37)	73	34
(95)	74	112
(100)	75	108
(98)	76	60
(102)	77	I 149
(101)	78	II 113
(76)	79	44
78	80	85
79	81	39
80	82	13
81	83	56
(90)	84	114
82	(68)	107
83	85	82
84	(69)	41
85	86	17
86	87	37

Kritz	Dietsch	Maur.
(I 83)	II 88	II 51
II 87	89	111
88	(70)	69
89	90	48
90	(84)	114
91	(71)	18
92	91	83
93	92	74
94	(72)	97
95	(74)	112
96	93	53
97	94	14
98	(76)	60
99	95	33
100	(75)	108
101	(78)	113
102	(77)	I 149
III 1	II 96	II 98
(90)	III 1	III 46
2	2	82
3	4	83
4	3	81
5	5	85
6	7	88
7	6	87
(54)	8	49
(55)	9	79
(56)	10	80
8	11	IV 2
9	12	II 79
10	13	III 91
11	14	20
12	(I 14)	21
13	(I 15)	II 38
14	15	III 27
15	17	26
16	16	29
17	18	28
18	(I 16)	II 57
19	(I 17)	III 75
20	19	37
21	20	30
22	21	35
23	22	36
24	23	34
25	24	54
(29)	25	I 43
26	26	IV 16
27	28	III 39
28	27	38
29	(II 25)	I 43
30	29	III 42
31	(53)	1
32	(40)	69
33	(39)	61

Kritz	Dietsch	Maur.
III 34	III 30	III 12
35	31	56
36	33	53
37	32	dub. 4
38	34	IV 8
39	37	III 59
40	38	60
41	36	33
42	35	58
(33)	39	61
(32)	40	69
(53)	41	66
(52)	42	64
(50)	43	62
(49)	44	63
(51)	45	65
43	46	70
44	47	71
45	48	77
46	49	73
(IV 21)	50	68
47	51	76
48	52	74
(31)	53	1
(65)	54	3
49	(44)	63
50	(43)	62
51	(45)	65
52	(42)	64
53	(41)	66
54	(8)	49
55	(9)	79
56	(10)	80
57	(i 18)	104
58	(i 19)	105
59	55	2
(88)	56	8
60	57	10
61	58	11
62	59	13
63 64	60	14
65	(54)	3
66	(i 20)	16
67	(i 21)	93
68	(i 22)	101
(81)	61	48
(84)	62	17
(85)	63	47
69	64	100
70	(i 23)	I 70
71	(i 24)	IV 6
72	(i 25)	V 2
73	(i 27)	17
74	(i 26)	I 14
75	65	III 94

Kritz	Dietsch	Maur.
III 76	III 66	III 97
77	67	96. 98
78	68	84
79	69	99
80	70	106
81	(I 15)	I 20
82	(III 61)	III 48
83	(II 36)	II 26
84	(III 62)	III 17
85	(63)	47
86	71	25
87	72	40
88	(56)	8
89	73	95
90	(1)	46
91	74	24
92	75	107
93	76	108
94	77	52
95	(IV 6)	IV 58
96	78	III 109
97	79	31
98	80	32
99	81	110
IV 1—21	IV 42—62	vd. infra
22	1	III 102
23	2	103
24	3	IV 20
25	(i 28)	II 46
26	4	IV 11
27	5	22
(III 95)	6	58
28	7	33
29	8	30
30	9	31
31	10	32
(63)	11	53
32—39	17—24	vd. infra
40	12	37
41	13	38
42	15	40
43	16	5
44	14	39
45	(i 29)	41
46	(IV 38)	18
47	(39)	19
48	(40)	III 9
49	(41)	IV 3
32	17	24
33	18	23
34	19	25
35	20	26
36	21	27
37	22	28

Kritz	Dietsch	Maur.
IV 38	IV 23	III 55
39	24	IV 29
(57)	25	43
(59)	26	46
(60)	27	55
50	(35)	1
51	(37)	17
52	28	49
53	29	III 89
54	33	IV 48
55	30	45
56	31	42
57	(25)	43
58	32	47
59	(26)	46
60	(27)	55
(50)	35	1
61	36	81
(51)	37	17
62	34	51
(46—49)	38—41	vd. supra
1	42	13
(69)	43	15
2	44	76
3	45	10
4	46	III 18
5	47	IV 12
6	48	57
7	49	56
8	(V 6)	70
9	50	III 57
10	51	IV 59
11	52	77
12	53	78
13	54	61
14	55	14
15	56	63
16	57	66
	58	64
17	59	65
18	60	72
19	61	69
20	62	74
63	(11)	53
64	63	21
65	64	79
66	65	36
67	66	82
68	67	83
69	(43)	15
70	68	III 50
71		
72	69	IV 50
73	70	44
74	71	73
75	72	68

Kritz	Dietsch	Maur.
IV 76	IV 73	IV 84
77	74	85
V 1	V 1	V 3
2	2	6
3	(i 30)	7
4	3	5
5	(i 31)	4
6	—	cf. p. 210
7	4	16
(IV 8)	6	IV 70
8	8	V 9
9	7	11
10	5	10
11	9	IV 71
12	11	V 14
13	12	15
14	10	13
15	(i 32)	19
16	13	20
17	14	21
18	15	22
19	(i 33)	23
20	16	24
I 5	inc. 1	I 3
16	2	21
24	3	II 32
25	4	I 28
41	5	II 55
43	6	I 123
68	7	85
78	8	III 15
109	9	inc. 17
II 39	10	I 128
16	11	II 22
42	12	40
43	13	36
III 12	14	III 21
13	15	II 38
18	16	57
19	17	III 75
57	18	104
58	19	105
66—68	20—22	v. supra
70—74	23—27	
IV 25	28	II 46
45	29	IV 41
V 3	30	V 7
5	31	4
15	32	19
19	33	23
—	34	cf. p. 211
inc. 1	35	I 99
2	36	II 35
3	37	III 43
4	38	I 30

Kritz	Dietsch	Maur.
inc. 5	inc. 39	inc. 9
6	40	III 92
7	41	41
8	42	I 120
9	43	inc. 1
10	44	2
11	45	I 56
12	46	V 1
13	47	inc. 7
14	48	cf. p. 211
15	49	inc. 8
16	50	III 7
17	51	19
18	52	inc. 6
19	53	II 58
20	54	inc. 3
21	55	IV 75
22	56	inc. 4
23	57	13
24	58	24
25	59	IV 62
26	60	inc. 10
27	61	I 109
28	62	III 86
29	63	IV 7
30	64	II 30
31	65	I 87
32	66	V 8
33	67	I 27
34	68	114
35	69	cf. p. 211—12
36	70	I 119
37	71	115
38	72	III 51
39	73	cf. p. 211
40	74	V 18
41	75	II 16
42	76	I 90
43	77	V 12
44	78	I 5
45	79	94
46	80	II 62
47	81	inc. 15
48, 49	82	I 57
50	83	II 23
51	84	inc. 5
52	(I 42)	I 64
inc. 53	inc. 85	II 63
54	86	cf. p. 212
55	87	
56	88	II 86
57	89	I 74
58	90	II 50
59	91	II 24
60	92	inc. 16
61	(I 58)	I 92
62	93	72
63	94	103
64	95	inc. 25
65	96	14
66	97	IV 60
67	98	inc. 29, cf. dub. 5
68	99	V 26
69	100	inc. 19
70	101	V 25
71	102	I 9
72	103	inc. 22
73	104	IV 80
74	105	inc. 20
75	106	26
76	107	23
77	108	35
(92)	109	36
(93)	110	34
78	111	dub. 2
79	112	inc. 38
80	113	cf. p. 211
81	—	cf. p. 210
82	—	
83	(II 88)	II 51
84	—	cf. p. 210
85	114	IV 52
86	115	cf. p. 211
87	—	
88	116	inc. 30
89	—	37
90	117	cf. p. 211
91	118	32
92	(109)	36
93	(110)	34
—	119	cf. p. 212
—	120	I 39
—	121	III 4
(II 9)	122	II 4
94	—	cf. p. 211

Omissa a Kritzio ac Dietschio recepi fragmenta I 61, 131, 132, II 72, III 22, inc. 33. — Nova hac in editione accesserunt: e codice rescripto II 52, 87, 92, 93, 98 D, III 5, 6; e scholiis ad Lucanum I 10, 31, III 67, 72, 78; e Vergilianis scholiis IV 34, 35, inc. 21; e Terentianis inc. 27; e Statii scholiis IV 9; ex Horatii commentariis III 90; ex Hieronymo I 95; e Lydo I 49; e Placidi glossis V 27; e Vaticano glossario inc. 11, 28; e Sergio grammatico inc. 18; ex Probo inc. 31.

II.

Index nominum atque historicus.

Index ita est compositus, ut non modo ea nomina, quae in fragmentis extant, eo contineantur, sed etiam quae fragmentis significata vel subaudienda supplendave sunt; denique ea quoque comprehendi hoc indice, quae in enarratione commemorata sunt. Et hi quidem loci uncis inclusi sunt; eis nominibus, quae non inveniuntur in Sallusti verbis, asteriscum apposui. Ceterum nomina virorum non secundum gentes, sed (velut eos ipse appellabat auctor) secundum cognomina disposita sunt.

III.

Index verborum.

Eae voces, quas non nisi coniecturis assecuti sumus, vel eae, quae ex scriptorum tantum excerptis in enarratione appositis Sallustio vindicavimus, asterisco insignes sunt.

Corrigenda.

Pag. 43, fr. I 100: *pro* a *lege* procul a.
,, 87, fr. II 70: *post* secus *adde* per vias et tecta.
,, 153, fr. III 100: *pro* constitissent *lege* institissent.